



**In apocalypsim Iohannis Apostoli D. Sebastiani Meyer
ecclesiae Bernensis. Commentarius, nostro huic saeculo
accommodus, natus & aeditus.**

<https://hdl.handle.net/1874/394914>

h 2

IN APOCALYPSIM

IOHANNIS APOSTOLI D. SE-

BASTIANI MEYER ECCLESIASTAE

Berneñ. Commentarius, nostro huic sæ-

culo accommodus, natus,

& æditus.



TIGVRI IN OFFICINA
FROSCHOVIANA.

IN APOCALYPTICIS
JOHANNIS APOSTOLI DE
BAPTISTAE MAYER ECCLESIAE
P. 1. Commentarius, notis
et ad omnes, nam,
& ad omnes.



ANNO 1717 IN APOCALYPTICIS
A. MAYER A. P. 1.

DE LIBRI APOCALYPSIS

AVTORITATE, DIGNITATE,

ET VSV, D. SEBASTIANI MEYER AD LE-

CTOREM PRAEFATIO.



DE LIBRI Apocalypsis cum Autore tum Autoritate, non modo apud recentiores, sed apud ueteres quoque cōtrouersum est. De Autore quidem quem alij Iohan. apostolum, alij uero Iohannem quendam presbyterū siue theologum apostolorum discipulum putant. Verum apud ecclesiasticos, praesertim Latinos, ferè obtinuit à Iohanne apostolo fuisse conscriptam. De qua Tertul. lib. aduersus Marcion. 4. sic scribit: Habemus & Iohannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocal. eius Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Iohannem stabit autorem.

Nec solū Iohannis apostoli esse, sed & de Canone scripturarū hunc esse librum, adeo inter ecclesiasticos scriptores obtinuit, ut per omnes orbis ecclesias eius celebrata sit autoritas, & plures magni nominis uiri illū cum miris commendarint eulogijs, tum etiam aeditis commentarijs illustrarint. Inter quos sunt Iustinus martyr, Irenæus Lugdunensis, Augustinus Hipponen̄, Beda presbyter, Tyconius Afer, praeter Donatistarum errorem haud poenitendus autor. Post quos Haymo, Rupertus, & quidam alij. Porro recentiorū ingens turba est, qui commentaria & adnotationes adiderunt, in quibus multa utilia est legere. D. uero Hiero. praeter prologum, quē huic prefixit, in quo, ut & aliās, eius autoritatem et excellentiam mirè praedicat, in epist. ad Darda. eam unā cum epist. ad Heb. hīs uerbis commendat, Quod si eam, inquit, nempe ad Heb. epistolam, Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Graecorū quidem Ecclesiae Apocalypsim Iohan. eadē libertate suscipiunt: et tamen nos utraque suscipimus, nequaquam huius temporis cōsuetudinem, sed ueterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimonijs, non ut interdum de apocryphis facere solent, quippe qui & gentiliū literarum raro utantur exemplis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis.

Hinc ferè nullus scriptorū est, siue inter ueteres, siue neotericos, quem non in loco huius testimonio abusum inuenias. Neque id solum ubi dictis suis fidem faciunt, uerumetiam ubi fidei ueritatem aduersus haereses uindicant. Id quod Teophilus (ut meminit Eusebius lib. Eccles. histor. 4. cap. 24.) Antiochenae Ecclesiae antistes aduersus Hermogenis, & ipse Hieronymus aduersus Luciferi, atque alij aduersus aliorum haereses scribentes faciunt. Sed & illud addam, quod ueteres, ubi de canone scriptu-

DE AVTORITATE

rarum utriusque testamenti agunt, etiam Apocalyp. Iohannis apostoli inter canonicos libros recensent. Vnde Origenes (ut Euseb. lib. Eccl. hist. 6. cap. 18. testatur) exponens psalmum primum, sic scribit: Iohannes quoque qui supra pectus domini recubuit, post Euangelium scribit & Apocalypsim, &c. Hoc idem faciunt, Hiero. in prologo, quem libris Regum præfixit. Cyprianus martyr in expositione Symboli, & Augustinus in li. de doctr. Christ. Dionysius quoque Alexandrinus episcopus, ita de ea scribit apud Euseb. lib. Eccl. histo. 7. cap. 23. Ego uero, inquit, quantum ad meam sententiam pertinet, spernere aut abijcere scripturam libri huius nullatenus audeo, maxime cum multi ex fratribus ita mecum sentiunt: sed hoc magis de eo sentio, quod excedant atque emineant, quæ in eo scripta sunt, humanæ auditionis modum, & sit in eo arcanus quidam, & reconditus, atque admirandus omnibus sensus, quem & ego admiror ac ueneror etiam si non intelligo. Et ita sentio quod diuina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam iudicio meo discernens, quam fide credens: & ideo non reprobo quæ non intelligo, sed tanto magis admiror quo minus assequor.

Accedit quod iuxta fidem historiarum, Iohannes apostolus, Domitiani Cæsaris iussu in Patmos insulam noscitur deportatus, indeque deo providente ad Ecclesiam suam reuocatus, & muneri prædicationis restitutus. Quem igitur alium dabunt nobis Iohannem, qui in insula Patmos Apoc. conscripserit, quemadmodum autor huius de se adserit, si qui hanc Iohannis apostoli esse negant?

Iam quod constanter se Prophetam, atque reuelationem illam Prophetiam uocat.

Huc facit & scribendi diligētia, quam Beda in eo hijs uerbis commendat. Hunc enim, ait, mystica solertia numerum (de septenario loquens) penè ubique seruat: cum & moris sit eiusdem Iohannis, in Euangelijs quoque & epistolis, nihil tepidè & breuiter dicere. Ex quibus omnibus consequitur, sic huius libri auctoritatem nobis esse habendam, ut in loco usui esse se possit, non, ut quidam adsolent, in totum reiiciendam, quando sibi tamen permittunt in re admodum contentiosa eius auctoritate abuti.

Neque uero satis idonea hunc librū reiiciendi sunt argumenta, quod alius dicit: Multa hic obscurè et ferè sphingicòs traduntur: Prophetarum ueteris Testamenti, non apostolorum est uti uerborum inuolucris & ænigmatis: Perpetuò in figuris & typis, plusquàm ueteres propheta, uersatur: Immodice suam auctoritatem commēdat Ecclesijs: Dira imprecatur ijs, qui addituri aut adempturi sunt quidpiam: Ex ueteribus quidam hunc librum reiecerunt, tamen Hieronymus, ut et alijs, ita & hic in laudando admodum prodigus est. Postremo: Nusquam in eo docetur Christus.

Item

Item alius obijcit, Nomen suum præter apostolorum ac suum ipsius morem, quasi syngraphum nõ librum scribens, inculcat, Ego Iohan. Ego Iohan. Hæc & id genus similia quædam argumenta in medium adferunt, quibus huic libro autoritatem adimant.

Non ignorant illustres alioqui scripturarum tractatores, id quod libenter illis cedimus, imò ingenuè fatemur, dei in illis dona & agnoscentes & adorantes, eum esse scripturæ morem, ut ea quæ uelit nobis maxime commendata, haud satis ducat semel atq; iterum simpliciter proposuisse, nisi etiam ea miris uerborum inuolucris, metaphoris, similibus, colationibus, hyperbolis, & quibus tandem non admiranda et commendatiora reddat, quo studiũ nostrum ad inquirenda illa pariter & amplexanda alliciat: haudquaquã dubitantibus, augusta et prorsus diuina esse, quæ nobis tanta diligentia commendantur. Nec fugit eos sathanæ cogitationes è diuerso esse, ea quæ maxime oportebat suspicere & adorare, omnino suspecta & inualida reddere, adeo q; nõ solum hac nostra tempestate, sed iam pridem conatum, ut huic libro (quem non minus nos ad cauendum Antichristum, quàm olim ludæos prophetarum oracula ad suscipiendum Christum, quotidie uersare manu ac mente uoluere oportebat) autoritatẽ deroget. Id quod hæctenus diuina prohibuit clementia, quam indies speramus maiorem futuram.

Cæterũ quod omnia obscurè & ferè sphingicòs hic traduntur, fit ad modum prophetarum oraculorum, quæ de Christi in carnem aduentu, adeo obscure uaticinata sunt, ut uix à paucissimis, spiritu dei afflatis, dum coram adesset, & ea in oculis omnium operaretur, quæ de illo prophetæ sub inuolucris tamen uerborum prædixerant, agnitus fuerit. Sed prophetarum ueteris testamenti, inquit, non apostolorum est, uti uerborum inuolucris atq; ænigmatis. Audio. Verum quis ignorat non modo prophetarum atq; apostoli Iohãnis, sed & Christi seruatoris, ac aliorum apostolorum de extremis temporibus oracula, tam esse obscura, ut uel à nemine, uel à paucissimis spiritu dei donatis, probè sint intellecta? Qualia sunt illa quæ de mundi fine Seruator Matth. 24. Paulus 2. Theff. cap. 2. & Pet. 2. epist. cap. 3. Id quod uel ex eo uerissimum adparet, quando tot ferè illorum locorum uidemus interpretationes, quot sunt interpretes.

Quod autem perpetuo utitur figuris, inde fit, quia reuelatio est, quam deus illi sub huiuscemodi typis, quos describit uti iussus est, ostendit: id quod & prophetæ fecerunt. Adde quod multo consultius erat sub figurarum inuolucris prædicere Rom. imperij interitum (quod tum rerum ferè per uniuersum orbem potiebatur) quàm aperto sermone: ne uel hoc

nomine seuerius in Christianos grassarentur Ro. principes, & tamen hæc prophetia aduersus sæuissimas persecutiones piæ mentes erant animadæ & folandæ.

At immodice huius libri autoritatem commendat Ecclesijs. Recte quidem. Cur enim non maxime commendaret, id quod summopere profuturum erat Ecclesijs, si probe teneretur? Adde, quædo spiritus afflatu præuidet haud defuturos qui huic reuelationi autoritatē essent derogaturi. Iam eodem spiritus afflatu etiã dira imprecatur falsarijs, qui additari quidpiam uel adempturi essent huic reuelationi, quo uel suos errores sub magnorum apostolorum nomine Ecclesijs obtruderent, uel saltē apostolicam doctrinã de ueritate redderent suspectam. Vnde et Paulus Thessalonicenses aduersus huiusmodi falsarios præmonet. Sed & Irenæus quoque (apud Euseb. lib. Eccle. histo. 5. cap. 20.) sancte adiuro te, inquit, descripturus sit librum suum de Ogdoade, hijs uerbis, Adiuro te, inquit, qui transcripseris librum hunc, per dominum nostrum Iesum Christum, & aduentum eius in gloria, cum ueniet iudicare uiuos & mortuos, ut conferas hæc quæ scribis, & emendes diligenter, ad exemplaria de quibus transcripseris, ad finem. Et ut sacramentum huius adiurationis similiter transcribas, & inferas hijs quæ transcripisti, Hactenus Irenæus. Quibus subiungit Euseb. Hoc autem utiliter ab illo dictum, inserere operi nostro necessarium credidi, quo per hoc diligens efficiatur omnis, qui hoc uel legere uel describere dignum duxerit, sciens exemplum diligentiae à sanctis & illustribus uiris traditum.

Quod uero addunt, quosdam ex ueteribus hunc librum reiecit, Cogitent inuentos esse qui alijs quibusdam libris canonicis autoritatem derogare tentarint. Neq; solus Hieronymus Apocal. laudat. Laudat illam & Dionysius Alexandrinus, neq; id modice, Laudat item & alij complures, & omni laude maiorem prædicant. Quanquã etiam minus uitium committit qui laudando, quã qui uituperando excesserit.

Postremo aiunt, Nusquam in toto libro neq; docetur, neq; agnoscitur Christus. Cum tamen per totum librum, ita Christi cum sacerdotum regnum ac iudiciaria eius potestas magnificentissime adeo describitur, ut uix in alio augustius & magnificentius. Id quod facile pij omnes iudicabunt, ubi probe & cum timore domini secum expenderint. Et esto non usq; adeo Christum inculcasset, tamen uel hoc nomine uenia dignus uideri poterat, quod non infidelibus, quo ad Christum concedant, sed iam Christo initiatis, scriptus fuerit.

Quod item alij obijciunt, Nomen suum, præter suum ipsius & aliorum apostolorum

LIBRI APOCALYPSIS.

apostolorum morem, inculcat. Respondeo, Quoties quaeso Christus ipse, ut fidem & auctoritatem suae conciliaret doctrinae, praecipue in re ardua, & ad salutem uehementer necessaria, coactus inculcare solet, Ego autem dico uobis: quemadmodum Matth. 5. & alibi uidere est. Insuper & suum Amen amen dico uobis. Denique & ipse Paulus, quoties ex eadem causa suum nomen inculcat, Ego Paulus, inquit, dico uobis: Cur igitur Iohan. non itidem faceret: praesertim quando in spiritu futurum prauebat sathanæ astus multis imposituros, etiam Christo initiatis, imò etiam ips quos aliorum duces esse oportebat, quo minus huic reuelationi fidem haberent, adeo quod minus sathanicis astibus sese opponant, neque id sentiant quidem, donec sathanas omnia latissime occuparit: id quod est hodierna dies. Quando enim ips habenda est gratia qui in sacris literis expositis, pro humani ingenij imbecillitate, non nihil hallucinati sunt: quanto igitur maiorem ips agere oportebat, qui citra controuersiam multa utilia, imò nihil perperam tradiderunt, etiam si ea obscurius, & non quibusuis peruis: Mihi igitur uehementer eorum fratrum probatur modestia, qui huius libri autorem, siue apostolum, siue apostolorum discipulum haud postremo habent loco, sed optimum faciunt prophetarum Paraphrasten. Sed uindicanda est, inquit, sanctarum scripturarum auctoritas, ne incerta pro certis recipiantur. Fateor uindicandam esse, sed neque reijciendum est, quod plurimorum eorundemque probatissimorum patrum, magno consensu receptum est. Haecenus de huius libri auctoritate, nunc de eius dignitate & usu.

DE LIBRI APOCALYPSIS DIGNITATE ET VSU.

APOCALYPSIS Diui Iohannis apostoli multis nominibus digna mihi uidetur, quae ab omnibus eruditissimis, praecipue hisce extremis ac uehementer periculosis temporibus, & diligentissime legatur & probe admodum expendatur.

Primum, quod in hoc praesertim uidetur ab Apostolo conscripta ut sempiternam Christi seruatoris nostri diuinitatem adeo quod ipsius cum regnum (quo per spiritum in cordibus credentium interim regnat) cum sacerdotium (quo semel pro peccato mundi se deo patri hostiam gratam litauit) aduersus obstinatos Iudaeos, aliosque uesano spiritu agitados haereticos certissimis adeo eisdemque euidentissimis argumentis, uindicet. Diuinitatem quidem, qualia sunt, Qui est, & qui erat, & qui uenturus est. Ego sum & principium & finis, primus & nouissimus, i. cap. Item pollicis

tationes quæ 2. & 3. cap. Vincēti dabo, & cætera. Iam quod idē honor se-
dēti in throno & agno defertur ab uniuersa creatura, cap. 5. Quod reges
& principes, & cæt. cupiunt abscondi à facie sedentis in throno, & ab ira
agni, cap. 6. Atq; in hunc modum per singula huius libri cap. in quibus ui-
debis magna adseueratione ea tribui Christo seruatori, quæ uni deo con-
ueniunt, nec alijs quàm deo absq; insigni blasphemia tribui possunt. Sunt
igitur huiusmodi certissima & euidentissima sempiternæ illius diuinitatis
argumenta. Porro regnū illius conuincunt illud, Princeps regum terræ;
præterea totus ille habitus quo describitur cap. 1. Regem ac iudicem indi-
cant. Item, Fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus
super terram, cap. 5. Item, Facta sunt regna huius mundi domini nostri &
Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum, 11. cap. Sic Mulier amicta
sole, sub cuius pedibus luna, & in capite eius corona stellarū duodecim,
regnum Christi, quod est Ecclesia, cōmonstrat, cap. 12. Item Victoriā il-
lius de aduersarijs potestatibus & carmen uictoriale totius regni, cap. 14.
Sic in alijs cap. consequenter uidere est. Sacerdotij ipsius argumenta sunt
cura Ecclesiarum & ministrorum tam sedula, cap. 1. 2. & 3. Deinde apertio
libri, cap. 5. Iam quod per ipsum offeruntur preces sanctorū in conspectu
dei, cap. 8. Accedit quod phialæ plagarum distribuuntur in tēplo, & uox
magna de templo iubens ut angeli effundāt phialas iræ in terram. Hæc &
similia ad sacerdotale Christi officium pertinere dinoscuntur.

Docet igitur hic liber, quanquam sub eisdem typis, clarius tamen hæc
omnia quàm ipsi prophetæ, adeoq; quis prophetarum in regno Christi,
quod est Ecclesia, usus: nempe ut illam aduersus huiusmodi pestilentes sa-
thanæ doctores uindictet, quorum nunquam non, maxime tamen hoc no-
stro sæculo uberrimus prouentus est, qui ut Euangelio inuidiā apud sum-
mos principes ac magistratus concitent, cursumq; eius ut ut remorentur,
diuinitatem Christi (æditis in hoc libris) modis omnibus renegādā do-
cent. Regnū Christi externum in præsentī sæculo armatis copijs, quem-
admodum Iudæi de suo Messia somniant, deletis in uniuersum impijs
propagandum: in qua sententia Anabaptistæ sunt. Quis uero ignorat
Papistas Christo suum sacerdotium, qui uultui dei astans perpetuo sacris
pro nobis operatur, præripuisse?

Deinde & hac potissimum ratione hic liber haud negligendus, sed in-
ter primos hac tempestate continue manu uersandus, quod ad perferen-
das impiorum persecutiones, pios mirum in modum soletur, hoc præ-
sertim nomine, quod Christus dominus, pro cuius fide illas perferūt, po-
tens sit abunde reddere.

Tertio

Tertio, hoc nomine quod uehementer idoneus & efficax sit ad sæuos perterrefaciendos tyrannos, quo uel tantisper à persequendis dei seruis quiescant. Vtitur ad hæc omni schematum ac troporum genere quibus Rhetorum schola ad persuadendum uel dissuadendum, imò quibus omnis scriptura uti solet. Deinde argumentis ab honesto, à decoro & utili, à facili, à præmijs: ediuerso uero ab absurdo, à turpi, à pœnis; & id genus similibus.

Quarto, quod tametsi Sathan miris technis usus sit, quo huius libri autoritatem eleuaret saltem, si non posset illum è sacris Biblijs prorsus expungere, diuina tamen prouidentia effectum est, ut hæcenus semper sacris Biblijs fuerit & hodie quoq; sit adscriptus.

Quinto, quod magnæ autoritatis uiri, & ferè illustriores cum Græcorum tum Latinorum scriptores, apud ueteres simul & recentiores, ex illo proferant testimonia.

Sexto, quod uideamus illum ab idiotis Anabaptistis nullam prorsus scripturarum intelligentiam habentibus, passim pro cuiusq; libidine uarie exponi, ac miserè pro suis erroribus (quibus simplicioribus imponunt) stabiliendis, torqueri, quos oportebat refellere, ac simplices ab illorum imposturis uindicare.

Septimo, ut libri huius tandem idoneum ac certum usum aliquem in Ecclesia dei esse, & qualis is sit ostenderent, ne frustra sacris Biblijs putetur adscriptus.

Octauo, ut huic libro cum alijs certis & indubitatis scripturis conuenire ostenderent, imò multam hunc illis adferre lucem: quemadmodum & epistola ad Heb. quæ tametsi à multis cum ueterum tum recentiorum scriptoribus paræ autoritatis cum alijs indubitatis noui testamēti libris non habeatur, adeo tamen multum lucis pariter & efficaciam, quod Christi sacerdotum attinet, scripturis adfert, tantoq; spiritus artificio rem tractat, ut in gentis thesauri loco, quo uix carere possint, Ecclesijs habenda sit.

EGO igitur Apocalypsim Iohannis hac ratione exponere aggressus sum, quod uideam ueteres non potuisse cum pro natura oraculorum tum pro ratione temporum (quæ oracula tandem in lucem proferunt) huius libri mysteria adsequi.

Deinde quod uideam plures hac nostra tempestate, præter scripturæ dignitatem, ac sine dei metu in huius libri mysterijs explicandis uersari, ne dicam ineptire. Nos, aspirante deo, certiora adferemus, etiamsi non omnia pro mysteriorum altitudine, ut res est, explicauerimus.

Postremo ut eruditioribus calcar admoueam, quo tandem prodeant & ipsi, ac de abditis scripturarum penetralibus mysteria huius libri deprimant. Id quod extrema illa tempora (quorum est hæc prophetia) exposcunt.

Nemo uero à me expectet magnam eloquentiam. Satisfecisse me fustione meae arbitrabor, ubi uel aliquot sensus abstrusos, Christi spiritu illustrante, in lucem produxero, etiamsi quamlibet barbarè id effecero. Sin minus, pro rei utiq; difficultate, ueniam merebor.

Porrò hic admonuero, quod uolenti utiliter uersari in sacris, ac presertim propheticis scriptis, Primum opus esse ut sciat uaria diuinarum reuelationum esse genera. De quibus in Numerorum libro ca. 12. legitur in hunc modum, Si quis fuerit inter uos propheta domini, in uisione apparebo ei, uel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei: palam et non per aenigmata & figuras dominum uidet. Vbi tres diuinarum reuelationum distinguuntur modi. Nimirum per uisiones, hoc est per figuras quasdam diuina uirtute siue angelico ministerio formatas, & conspectui prophetae representatas. Quales plerumque uiderunt prophetae, apostoli Petrus ac Paulus in Actis, & hic noster Iohannes. Deinde alius per insomnia, quale uidit Pharaon Aegypti rex, Gen. 41. ca. & Nabuchodonosor Babyloniorum rex apud Danielelem. Item Abraham, Iacob, Ioseph, Gen. 15. 28. 37. Verum huiusmodi uisiones & insomnia aenigmati similia sunt, si non simul adsit illustratio quaedam interna, quae quid significant certiore reddat uidentem, quemadmodum de Pharaone, Nabuchodonosore, ac Petro apostolo in Actis adparet. Tertius uero modus est, quando famulari quodam & clarissimo diuinæ res commonstrantur modo, quemadmodum Mosi & fortè Paulo in raptu. Quales uero omnes isti modi reuera sint, hi norunt quibus diuinitus contingunt. De hijs modis legis & in Deut. 13. cap. & apud prophetam Iohel. cap. 2.

Secundo, legenti Apoc. ut & alia prophetica scripta, Historiae temporum consulendae sunt, & quae ad praeterita, quae ad praesentia, quae ad futura pertineant saecula, diligenter animaduertendum.

Tertio, sciat numeros haud superstitiosè obseruandos.

Quarto, Angelum nunc Christum seruatorem, nunc coelestem spiritum dei nuncium, nunc uero Ecclesiae ministrum significare.

Quinto, Tyconij regulae praec oculis habendae, de quibus Augusti. li. de doctr. Christ. 3. & Beda in huius libri praefatione. Quarum prima est, ea quae capitis Christi sunt, plerumque illius corpori, quod est Ecclesia, tribui: & contra, quae corporis sunt, capiti Christo. Atque eodem modo de sathana & suo corpore, hoc est Ecclesia malignantium, sentiendum. Secunda est de bipartito Christi corpore, Altero quidem uero, hoc est Ecclesia interna, nimirum in spiritu congregata, quae coram deo est Ecclesia, nec uideatur, sed creditur: Altero permixto, propter externam sacramentorum communionem, de quo in Cant. 1. ca. Fusca sum et speciosa, &c. Et in parabo. Matth.

LIBRI APOCALYPSIS.

Matth. 13. & 25. Item Iohan. in epist. Exierunt ex nobis, &c. Tertia est, in specie genus intelligi, & econtrà. Eodem modo de toto & parte per Synecdochem. Quarta, Recapitulationis, itē & Anticipationis habendam esse rationem, De quibus illi fusius.

Sexto, sciat Lector, uariam huius libri apud expositores esse diuisionem. Qua de re sic mihi uisum est. Nimirum in prima uisione, ea quæ circa septem Asiæ Ecclesias tum gerebantur absente Iohanne, & quæ paulò post illis superuentura erant. 1. 2. & 3. capitibus describi.

In Secunda uisione, de Christo exaltato, & collato illi orbis imperio: de scientiæ claritate: de uictoria ac populi dei præsentis foelicitate, cap. 4. 5. 6. & 7.

In Tertia, de discipulorū domini sedulitate & constantia in prouehendo Christi regno, & successu prædicationis: de uarijs incredulorum, præsertim Iudæorum, Euangelicam prædicationem contemnentium, poenis, cap. 8. 9. 10. & 11. ferè prope finem.

In Quarta, de uarijs afflictionibus & ærumnis, quas cum à gentibus tum à Iudæis, pseudoapostolis, & hæreticis à sathana agitatis passura erat Ecclesia, à quibus tamen omnibus salua euasura esset, protegente illam Christo & angelis eius, cap. 12. 13. & 14.

In Quinta, persecutionē nouissimam, quam passura erat Ecclesia sub Antichristi tyrannide, de quibus plagis uarijs, quibus deus percussurus est eos qui à fide Christi deficiunt, cap. 15. & 16.

In Sexta, de iudicio ac damnatione finali meretricis magnæ, nimirum Babylonis, hoc est Ecclesiæ malignantium, de quibus piorum super illius interitu gratulatione, cap. 17. 18. & 19.

In Septima, de Nuptijs Christi & Ecclesie, de quibus perenni piorum, triumphato sathana cum regno suo, foelicitate, cap. 20. 21. & 22.

VERVM sunt qui in tres sectiones partiuntur hunc librū, In septē Sigilla, septē Tubas, & septem Phialas. Per septem Sigilla intelligunt potissimas persecutiones, quas Romani Cæsares Ecclesiæ Christi, ab ipsis apostolorum temporibus usq; ad Constantini magni imperium, intulerunt, cap. 4. 5. 6. & 7.

Per septem uero Tubas, potissimas hæreses post datam pacem Ecclesiæ, quibus diuexata est à Cōstantini temporibus, usq; ad Mahumetum, qui ultimam inuexit, cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.

Porrò per septem Phialas, ultimas plagas intelligunt, quæ orbi à bestia (nimirum Antichristo) imminent, à cap. 17. usq; ad finem libri.

FINIS.

IN IOHANNIS APO-

STOLI APOCALYPSIM D. SEBA-

STIANI MEYER COMMENTARII

CAPVT PRIMVM.



POCALYPSIS IESV CHRISTI, quam dedit illi deus, palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito: & significauit, mittens per angelum suum seruo suo Iohanni, qui testimonium perhibuit uerbo dei, & testimonium Iesu Christi, quæcūq; uidit. Beatus qui legit & audit uerba prophetiæ huius: & seruat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim propè est.

Iohannes septem ecclesijs quæ sunt in Asia. Gratia uobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui uenturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt, et à Iesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorū, & princeps regū terræ, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnū & sacerdotes deo et patri suo, ipsi gloria et imperiū in secula seculorū, Amen.

Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui eum puerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam, Amen. Ego sum α & ω principium & finis, dicit dominus deus qui est, et qui erat, & qui uenturus est omnipotens. Ego Iohannes frater uester & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter uerbum dei & testimonium Iesu. Fui in spiritu in dominica die: & audiui post me uocem magnam tanquam tubæ dicētis, Quod uides, scribe in libro: & mitte septem ecclesijs, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphia, & Laodiceæ. Et conuersus sum, ut uiderem uocem quæ loquebatur mecum. Et conuersus, uidi septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorū similem filio hominis, uestitum podere, & præcinctū ad mamillas zona aurea. Caput autem eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix. Et oculi eius tanquam flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco uelut in camino ardenti, & uox illius tanquam uox aquarum multarum: et habebat in dextera sua stellas septem. Et de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat, & facies eius sicut sol lucet in uirtute sua. Et cū uidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me; dicens, Noli timere:

A

ego sum primus & nouissimus, & uiuus: & fui mortuus, & ecce sum uiuus in sæcula sæculorum, & habeo clauis mortis & inferni. Scribe ergo quæ uidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas uidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.



Apo-calyptis Iesu Christi, quam dedit illi deus, ut palam faceret seruis. Titulus libri est, quo declaratur doctrinæ genus, reuelationis autor, minister per quem, & ad quos. Doctrinæ genus, cum ait Reuelatio, nempe uisio prophetica, rerum futurarum adeoque occultarum quæ soli deo certo constant, & cui ille reuelare dignatur. Reuelationis autor, ubi ait, Iesu Christi, quod per hunc quælibet cœlestia dona, quæ saluti nostræ commodant, ceu mediator æternus pater nobis transmittat: iuxta illud Iohan. i. De plenitudine eius accepimus omnes: & illud Roma. 8. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Per quem ministrum, nimirum per Iohannem ut uerissimum Apóstolum, de quo paulò post ipse subiungit, Cum misisset mandatum suum seruo suo Iohanni. Ad quos, quâdo ait, Seruis suis: nimirum, quorum fidei conducebat, præsentiscere ecclesiæ successus, & agendarum rerum ordinem, quo aduersus satanæ astus, adeoque aduersus mundi tyrannos diuina ope freti, essent animosiores, neque à cœptis desisterent. Quemadmodum Christus seruator noster apud Lucam de turri ædificanda, & non esse aspiciendum retro ei qui manum misisset ad aratrum, subinde ad perseverantiam cœpti suos admonet. Hinc paulò inferius, Quod uides, inquit, scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs: & quæ sequuntur. Circa uero genus doctrinæ, significatur haud esse humanum commentum, qualia poetarum pleraque ac philosophorum sunt, sed prorsus cœlestis arcanum, qualia omnino prophetarum sunt uisa diuinitus, quo auditores reddat attentos.

Quæ oportet fieri cito. Iohan. quemadmodum & alij propheta, quædam quæ ad superiora sæcula spectant, commemorat, quædam quæ ad sua, quædam uero quæ ad futura. Id quod nonnunquam difficile fuerit discernere, cuius rei testes sunt tam uariæ interpretationes. Sed cum præteritorum præsentium propter futura sit commemoratio, quando difficile adeo est illis adhibere fidem, cuius oportet fieri: nimirum quod ea quæ diuino consilio prædestinata sunt, immutari prorsus nequeant. Ego enim (inquit) deus, et non mutor. Cito, uidetur mihi ad consolationem piorum, adeoque malorum terrorem dictum, quod parata sit malis diuina ultio, quemadmodum in 2. Petri cap. 2. Quibus iudicium iam olim non cessat, & percustodit Israel. Cito igitur pro hoc nouissimo reuelati Euangelij tempore, usque ad secundum Christi aduentum, iuxta literas apostolicas posuisse apparet.

Et significauit mittens per angelum suum seruo suo Iohanni. I Significauit, mysticis figuris ac imaginibus intextam, ne studiosis uilescerent, & indignis diuina sacramenta panderentur, adumbrauit: iuxta illud, Vobis datum est nosse mysteria regni dei, cæteris autem in parabolis: item, Pulsanti aperietur.

Mittens per angelum suum seruo suo Iohanni. I Modum reuelationis aperit. Quibusdam enim spiritus sancti instinctu, absque aliqua externa apparentia, diuina panduntur mysteria: quibusdam per insomnia: alijs uero angelico ministerio apparitiones fiunt, quas in ecclesiæ suæ profectum Christus dispensat. De quibus

quibus apparitionum modis Numerorum 12. & Iohel. 2. & alijs in scripturis. Significatur uero hoc loco, Christum esse dominum angelorum, quorum ministerio in admirabili regni sui administratione, pios e manibus impiorum eripiat, & malos subinde puniat. Huc faciunt quæ Paulus Colof. 1. & autor Epist. ad Heb. cap. 1.

Seruo suo Iohanni.] Hunc in modum diuina solet clementia præordinatis testibus familiariter uti, quo per paucos multis consulatur ad salutem. Sic primùm per Noach, deinde per Abraham, postea per Mosen, tandem per paucos piscatores: ita hic per Iohannem Ecclesijs Asia, imò orbi consulitur.

Qui testimonium perhibuit uerbo dei.] Quemadmodum enim in describendo Euangelio de seruatore ac dño nostro Iesu Christo, ita & in Apoc. quoque describenda, oculatus & auritus testis est Iohan. adeoque dignus cui fides adhibeatur. Hac adseueratione, nempe quod de rebus quæ ipse oculis uiderit, & diligenter perspexerit, et manibus attrectarit, testificetur, cum in Euangelio, tum in Epistola sua utitur. In Euangelio, Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti à patre: item, De latere eius exiuit sanguis & aqua &c. Et qui uidit testimoniū perhibuit. In epistola, Quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt &c.

Beatus qui legit & qui audit uerba prophetiæ huius.] Hoc exordio utilitatem doctrinæ ostendit, quo beneuolos reddat auditores. Beatus, inquit, qui legit & qui audit &c. subaudi, diligenter & attente, fidem præbendo ijs quæ legit & audit. Et quoniam non satis est homini Christiano scire quæ recta sunt & deo placent nisi illa moribus & uita præstet, ideo subiungit:

Et seruat quæ in ea scripta sunt.] Hoc est, uitæ suæ iuxta hanc prophetiam consulit, quo contra imminentes huius mundi aduersitates, securus atque intrepidus persistet. Et est exclamatio cum adhortatione, quasi dicat: O ter quaterque beatus, quicumque huic auscultat prophetiæ, quo futuras malorum euadat poenas, & priorum præmia consequatur. Sic & Christus ubi uolebat doctrinam suam commendatissimam haberi, utilitatem ostendit, dicens: Qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, &c. Neque prætereundum est, quod non uno loco, reuelationem hanc prophetiam uocat, à deo sibi inspiratam, quo nobis eam commendatam faciat: quemadmodum est illud apud prophetas frequentissimū, Hæc dicit dominus deus exercituum, Factum est uerbum domini; atque id genus alia. Nisi enim uerba dei, ut uerba dei habeantur, nullam adferunt utilitatem; ubi uero ut uerbum dei recipiuntur, plane felicem efficiunt, quemadmodum saluator ait, Beati qui audiunt uerbum dei, & custodiunt illud.

Tempus enim prope est.] Hoc est (ceu supra diximus) malorum è uicino impendet interitus, iudex in foribus adstat.

Ioannes septem ecclesijs quæ sunt in Asia.] Iam & à sua persona beneuolos reddit & attentos, quod iam pridem experti essent, tantam eum pro Ecclesiarum salute sollicitudinem gerere. Porrò Ecclesiæ quæ tum in Asia erant, & populorum multitudine & uitæ sanctimonia præ alijs ferè totius orbis præstantiores habebantur: quemadmodum est uidere ex Actis apostolicis & Epistolis Paulinis. Per has igitur & alias orbis Eccle. recte intelligimus, id quod etiam numerus septenarius (qui uniuersitatis est) indicat, quando septem dierum numero omne tempus comprehenditur.

Gratia uobis & pax ab eo qui est.] Salutatio est, more apostolico inserta exordio, cui simul & dignitatis & beneficiorum Iesu Christi immiscet Encomium.

Gratiæ uero, hoc est, diuinæ beneuolentiæ, adeoq; diuini fauoris augmentum. Indeq; pacem, hoc est, felicem omnium rerum, maxime earum quæ ad spiritua-
lis uitæ pertinet successum, quo expeditius diuino cultui per omnia inseruiant,
eis ex animo precatur.

Ab eo qui est &c.] Deum patrē intelligit, ut quibusdam uidetur, eo modo
quo Paulus ubiq;. Quem Diuus Iac. in Epist. patrem luminum, à quo omne do-
num & datum optimū &c. appellat. Describit uero eum *ἀνεργον* hoc est intempe-
ralem, initio sineq; carentem, cui soli propriū est semper existere, quemadmodū
in rubo ipse Mosi, nomen eius quærenti, respondit: Sic, inquit, dices, Existens, mi-
hi sit me ad uos, Exod. 3. cap. Mihi uidetur proprie ad Christi diuinitatē referendū
aduersus tum gliscentes hæreses hanc negantes: qui & scopus huius libri est.

Et à septem spiritibus.] Hoc est à septiformi spiritu, id est, omnium cœlestium
charismatū, quibus Ecclesiam suam perpetuo adornat, largitore: de quibus Pau-
lus 1. Cor. 12. 13. & 14. post Esa. cap. 11.

Qui in conspectu troni eius sunt.] Hoc est, quem septiformem quidem spi-
ritum, uelut in thesauro repositum & paratū habet, ut affluenter donet eum hijs
quibus ab æterno per mediatorem Christū destinauit, Iohan. 3. & 7. cap. De quo
& Petrus Iohalem Act. cap. 2. exponit.

Et à Iesu Christo qui est testis fidelis.] Christus seruator noster, præ cæte-
ris testis fidelis dictus est, quod ut Iohan. Baptista de eo refert, patris arcana, ut-
pote in sinu illius residens, nobis enarrarit, quæ ipse uiderit, nec alio teste didice-
rit: nimirū, quàm incredibili fauore cœlestis pater erga nos miseros sit affectus,
quod donato peccato, nos in filios, adeoq; cœlestis regni hæredes, modo fidem illi
habeamus, receperit: atq; alia magnifica, quæ per Euangelicam historiam, de pa-
terno in nos fauore, illū testificasse audimus, quo cœlestis pater à nobis unice co-
latur & ametur. Præterea solus Christus testis fidelis est regenerationis ex mora-
tuis, quod nemo ante eum resurrexerit ad uitam immortalē: quam & ipse partui
mulieris comparat, ubi ad illam iam per mortem properabat, Iohan. 16. De qua
& hoc loco Iohan. subiungit.

Primogenitus mortuorum.] Hæc ceu diximus, ad Christi pertinent enco-
mium. Neq; solum hac ratione primogenitus, quod ante eum nullus ex mortuis
redierit ad uitā immortalē, sed etiā in ordine ad fratres suos, quibus ipse causa est,
deuicta morte, ut ad uitam redeāt immortalem. Qua ratione et Paulus apostolus
primicias dormientiū, & primogenitū in multis fratribus ipsum appellat. Allu-
dit uero ad dignitatem primogenitorum, iuxta sanctorum patrum & principum
mundi consuetudinem, quam præcipue per mortis ignominiam cōsequutus est,
qui non solum uerbo & doctrina, sed & sanguine ac ipsa deniq; morte, uerita-
tem patris testificatus est. Huius igitur Encomiorum titulos, ignominia mortis
opponit.

Et princeps regum terræ.] Non solum hanc dignitatē, ut sit primogenitus
mortuorū, sed et imperiū super uniuersos reges orbis consequutus est, iuxta illud
Psal. 72. Et adorabunt eum omnes reges &c. Cui & iuxta Esa. curuabitur omne
genus. Item, Exaltauit illum deus, & dedit illi nomen &c. Phil. 2. Item uidemus
Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Et est in conso-
lationem piorum dictum, quod quamlibet reges terræ & principes orbis molian-
tur aduersus dominum & Christum eius nihil possint, Psal. 2.

Et qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius.] Et
nempe patri, cui hanc dilectionem acceptam refert, quemadmodū & ipse quoq;
Christus,

Christus, Sic deus, inquit, dilexit mundū, ut filium suum unigenitū daret, Ioan. 3. Et Matt. 26. Qui pro uobis & pro multis effundet. Rom. 3. Quē proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Item 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed precioſo sanguine: & post pauca, In obedientiam & asperſionē sanguinis Iesu Christi. Item 1. Iohan. 1. Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. Et Heb. 9. Si enim sanguis hircorum & uitulorū &c. quanto magis sanguis Iesu Christi emundat cōscientias nostras &c. Itaq; in lege sine sanguine non fiebat remissio aut emundatio, quo significabatur sanguine Iesu Christi omnia mundari & in melius restitui. Hac oīa ideo dicuntur, quod Christus sanguinis sui soluto precio, spiritū nobis emeruit, quo mundantur corda. Significat autē baptismate, quo externe lauamur, intus nos lauari sanguine Christi, hoc est spiritu illius, quem sanguine suo nobis emeruit, quemadmodū Paulus testat Ephes. 5. Mundans, inqt, eam lauacro aquæ in uerbo uitæ &c. Fulsus ista libuit cōmemorare, ut uideas cum alios apostolos, tum hunc nostrum autorem, subinde memoriā sanguinis Iesu Christi mentibus nostris inculcare.

Et fecit nos regnum & sacerdotes.] Mira & incredibilis profecto dei patris in nos clementia, qui nos peccatores, adeoq; filios mortis, usque adeo dilexit, quo nemo possit uel amicos uel benefactores magis diligere. Aliquid erat uel in seruos deligere, sed fecit nos reges & sacerdotes, quo maior dignitas non est. Atq; in hoc non aqua, quemadmodū Aharonem ac filios illius functuros sacerdotio, sed filij unigeniti, adeoq; dilecti, sanguine nos repurgauit, quo idoneos huius functionis nos redderet ministros. Solus rex et sacerdos erat deo et patri Christus dominus, sed nos in confortiū sui muneris dignanter assumpsit. De cuius cum regno tum sacerdotio Psal. 2. & 110. canunt: & de nostro cum regno tum sacerdotio, cuius uetus illud typum præ se tulit, quemadmodum Exo. 19. dicitur, Eritis mihi in regnum sacerdotale, Petrus apostolus in Epist. sua 1. cap. 2. alludit. Regnū quidē, quod bene, hoc est ad dei patris uoluntatem, gubernantes nosmetipsos, nostraq; curæ cōmissos, ne contra nos malignus præualeat hostis: Sacerdotes, ubi ex peccatoribus respicientes, cum nosmetipsos, tum proximos nostros, per carnis mortificationem spirituales maclamus hostias, & spiritalem cultum deo exhibemus.

Ipsi gloria & imperium.] More apostolico, commemorato tam ineffabili dei erga nos beneficio, per Christū parto, in laudes et gratiarū actionē prorumpit.

Ecce uenit cum nubibus cœli.] Psalmi quidam & propheta faciunt deum inequitare nubes, & uehi pennis uentorū; quibus mihi significare uidentur, terrificam simul & repentinam iudiciorū dei ultionem. Sic & Christus pontifici respondet, Ammodo, inquit, uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis dei, & uenientē in nubibus cœli. Quasi dicat, Cum ita uenientem uideritis, tum certo certius uirtutem filij hominis experiemini; & quem nunc filiū hominis tantum existimatis, tunc & filium dei sentietis: imò etiam ubi gloriā resurgentis crucis sepulchri prædicant, ubi signa & mirabilia per nomen illius fiunt, ubi plebes cateruatim ad prædicationem accurrunt, & contemptis quæ mundi sunt, cœlestem uitam meditantur: ubi ultio sanguinis innocentis à Iudaica gente in Hierosolymorū excidio exposcitur, uel nolentes uiderunt Christū in dextris dei sedentem, & uirtute sua hæc omnia operantē. Igitur & Iohan. hoc loco nubem, diuinæ maiestatis & potentæ cœlestis in Christo, facit indicium, iuxta illud Psalmi, Nubes & caligo in circuitu eius &c. Porro piorum est omni hora aduententem præstolari iudicem, at cōtra impiorum est in longa cunctari tempora, Matth. 24. & 1. Pet. 3.

Videbit eum omnis oculus.] Etiam hostes illius uirtutem experimentis discerent certissimis, & præ pudefactione in conspectu illius tabescent. Dicunt uero hæc frequenter in scripturis, quo inde pñ solentur, ne aduersis frangantur; et mali absterreantur, ne quantum uolunt seuiant, Vnde sequitur.

Et qui eum compunxerunt, & plangēt se omnes tribus terræ.] Nimirum hñ, qui prædicantibus apostolis, pœnitentiam & remissionem peccatorū per nomen illius, salutare dei consiliū spreuerunt, Luc. 23. Act. 2. & 3. cap. Hñ ergo tum plangent iuxta Zach. 12. & Christi Matth. 24. prophetiam. Sed nihil tum proderit illis sera hæc pœnitentia, sicut nec Iudæ proditori Matth. 27. & Esau la-chrymæ Heb. 12. & eorum de quibus liber Sap. cap. 5.

Etiam, Amen.] Amen apud Hebræos, quemadmodū apud Latinos Etia, plerūq; affirmantis siue approbantis est. Qua uoce uidelicet significat se in aliorū ire sententiam, & dictis illorū subscribere, atq; eandem rem uotis expetere, quam præcentor quispiam, uerbis ad hoc compositis precatus sit; sic usus eius uocis in Psalmis & precibus est. Quanc; Hebræis suum Amen, adseuerationis & iuramenti uice est; qualem eius uocis usum in Euangelio uidemus.

Ego sum α & ω.] Inter Græci alphabeti elementa, primum & ultimū hæc sunt. Quibus quidem mihi significari uidetur, non tam quod Christus dominus ante et post omne tempus, sed etiam quod regia illius & sacerdotalis dignitas ante omnes & post omnes, aduersus Cherinti, Hebionis, Arrij, & aliorum quorumlibet Christi ueram diuinitatem negantium, usq; ad ipsum Mahumetē, adeoq; Antichristum, uesanos errores.

Dicit dominus qui est, & qui erat &c.] Christum dominū hæc de semetipso affirmantē inducens, patri æqualem ostendit, adeoq; deū, cuius hæc sunt propria.

Ego Iohan. frater uester.] Hactenus salutatio, cum inserto Christi seruatoris Encomio; iam narrationem aggreditur, ubi primo personam cui facta sit reuelatio insinuat, & uel inde librū commendatiorē facit, Ego inquit Iohan. frater uester; perinde atq; dicat, Ego Iohan. quē scitis charitate fraterna uobis iunctissimum, adeoq; salutis uestre anxia teneri cura.

Et particeps in afflictione & regno & patientia &c.] Membra unius corporis, & capiti suo, & sibi inuicem congaudent & contristantur. Hinc Paulus, Si compatimur, inquit, & conregnabimus. Item, Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Id quod & ipse facit, sollicitudo omnium Ecclesiarum, Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Similem astolicū affectum et hic Iohan. ostendit. Quis uero nō diligentissime illius auscultet doctrinæ, illius acquiescet consilijs, quem ita erga se affectum esse, persuasum, imò exploratum habet? Omnia quoq; uerba hic posita, longissime à fastu, quem nostrorum temporum Ecclesiarum præfules præ se ferunt, absunt, & insignem quandā Tapinosin respiciunt. Frater, inquit, uester, particeps in afflictione, illud uero, Et regno, quod iactabundum cuiquam uideri poterat, temperauit per hoc quod adiecit, Et patientia Christi, Nam in præfenti uita regnare Christianum, est pro Christo ferre impropria atq; supplicia.

Fui in insula quæ appellatur Patmos propter uerbum.] Hñs uerbis simul declarat, quomodo particeps Ecclesiarum in afflictione sit, & locū quoq; in quo facta sit illi reuelatio indicat. Cōstat uero ex historijs Ecclesiasticis, Iohan. Euangelistam à Domitiano Cæsare, qui primus Romanorū Cæsarem, deus haberi, stasq; ex auro & argento sibi decerni uoluit, quod is Christum deum predicaret, in eam Insulam deportatum; in cuius exilij consolationem illi datum est mentis contuitu

contuitu orbis totius interim, imò cœlorū climata peruagari, cui certā terrarū spatia negabatur excedere. Sic & Paulus in uinculis tenebatur, nec tamen interim uerbum dei erat alligatum.

Fui in spiritu in dominica die.] Tempus uisioni cœlesti idoneum, Nam ea dies qua Christus uictor ab inferis redierat, solennis haberi cœperat apud Christianos, in qua Ecclesia ad audiendum uerbum, ad precandū, & ad mutuam pacis salutationē congregari solebat. Quādo igitur Iohan. nō posset corpore, exemplo tamen Davidis, spiritu interim sacris aderat cœtibus, precesq; suas in uasta illa heremo, uelut in tēplo, pro sua fundebat Ecclesia. Tum ergo cum sacris esset intentus cum deo colloquijs, extra se totus raptus, diuinis erat reuelationibus maxime idoneus. Simile de uisione Dan. & Petri apostoli, tum etiam Pauli, dum anxie inter precandum cum deo colloquerentur, legimus, Id quod puto indicare Iohan. quando ait, Fui in spiritu.

Et audiui post me uocem magnam tanq; tubæ dicentis, Quod uides scribe in libro.] Quod uoce admonet, ut uisionē attendat, & eam in libro scribat, significari mihi uideat, humani ingenij, ad capescendū diuina arcana, stupor & imbecillitas; neq; ea nos animaduertere quidem nisi admonitos posse, nedum capere.

Et mitte septem Ecclesijs quæ sunt in Asia.] Iohannem Euangelistā, Ephesiorum, quæ minoris Asiæ metropolis erat, fuisse Episcopum, ex Euse. Eccl. hist. lib. 3. cap. 31. liquet. Quando igitur illi Ecclesiarū, quæ in ea erant regione, cura à Christo specialiter fuerat demandata, quæ circa illas uentura erant, primum indicantur; quanquam & in specie genus, hoc est in hijs septem, uniuersa Ecclesiarum dogmata, qui iam tum apostolo in exilium actō, Ecclesiæ imminabant, plebs Christi abduceretur, quales erant Cherintus, Hebion, Marcion, aduersus quos rediens ab exilio, rogatus ab Asiæ episcopis, Euangelium de sempiterna Christi diuinitate, mirabili cum simplicitate, tum claritate uerborum conscripsit.

Et cōuersus sum ut uiderem uocem.] Hebraismus est, scripturæ haud infrequens, pro, Ut uiderem eum qui edebat uocem: effectus pro causa positus.

Et conuersus uidi septem candelabra aurea.] Quid sint septem candelabra & septem stellæ paulō infra Christus in angelo adparens, ipse exponit.

Et in medio septem candelaborū aureorum similem filio hominis.] Similem filio hominis dixit, ad designandam in Christo humanæ naturæ ueritatem, eadem dicendi figura, qua et Paulus usus est ad Philip. In similitudinem hominū factus, & habitu inuentus ut homo, quam quidem formam semetipsum exinaniendo cum deus esset, accepit. In medio autem candelaborū, hoc est Ecclesiarū, obambulat Christus, omnium eorum quæ illic geruntur inspector & iudex; iuxta illud, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi &c.

Vestitum podere.] Podera uestis talaris linea & candida, qua puritas & innocentia sacerdotalis, & Christi regis uictoria designatur. De utraq; hac dignitate testant Psal. 2. & 110. Porrò de singulari eius innocentia habes 1. Pet. 2. cap. qui peccatū non fecit &c. Et Hebr. Qui nō habet necessitatē quotidie quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Preterea de uictoria regis Christi idem Psalmi canunt, Reges eos in uirga ferrea &c. Item, Virgam uirtutis tuæ &c.

Et præcinctū ad mamillas zona aurea.] Baltheus auro ornatus, militare insigne est, quo significari solet strenuitas in obeundo suo munere, ut nihil frigide & segniter agat. Sic & Christus multis scripturæ locis, strenuus antagonista in

vinducando e manibus aduersariae potestatis suo populo predicat. Hinc Psal. 45. Accingere gladio super femur tuum. Item 93. Indutus est dominus fortitudinem & praecinxit se. Et Esa. 11. Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Per iustitiam namque eripit ui oppressos a potentioribus, iuxta Psal. 72. Liberabit pauperem a potente &c. Per fidem pijs promissa exhibet beneficia. In eundem quoque modum & discipulos quoque uirtutem, hoc est armaturam coelestem induit ex alto, Act. 1. Iubet et praecinctos esse, hoc est, strenuos in obeundo Euangelicae functionis certamine, Sint lumbi, inquit, uestri praecincti, & lucerna ardens &c. Quibus non modo strenuos ac fortes, sed & prouidos ac circumspectos esse uult pugiles Euangelicos, ut in tempore uideant qua parte feriturus sit hostis. Ita & Paulus quoque Christianum militem baltheo instruit. State, inquit, succincti lumbos uestros in ueritate, hoc est nihil tepide & in speciem, sed omnia uere & ex animo, adeoque strenue &c.

Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba.] Sancta & ueneranda canicies, prudentiam praese fert, longo rerum usu comparatam. Hoc igitur mihi significari uidetur, Christi seruatoris, propter coniunctam diuinitatem, aeternitas. Ipse enim est patris aeterni consilium, sapientia & uirtus, in principio apud deum, quam in initio uitarum suarum possedit, qua cuncta effecit, Prover. 8. Propter quod & in Daniele Antiquus dierum ipse quoque Christus uocatur haud uno loco. Praeterea, Qui in sinu patris est, ipse annunciauit nobis, ait Iohan. Bapt. de Christo loquens. Sed & ipse Christus, Antequam Abraham fieret ego sum. Recte igitur Iohan. cum propter hereticos Christum ante Mariam fuisse negantes, tum quia pater omne iudicium dedit filio, quem constituit iudicem uiuorum & mortuorum, describit illum sancta canicie uenerandum, & multa prudentia, hoc est longo rerum usu, pollentem, quemadmodum apud Hiob legitur, In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Huc & Cidarum munda Zach. 3. cap. facere uideatur. Neque uero illud reiecerim, quod quidam capillos Christi hoc loco ad baptismatis candidatos referunt, qui uelut oues de lauacro ascendunt, iuxta illud Cant. 4. Capilli tui sicut greges caprarum &c. modo permittant mihi & sensum meum.

Et oculi eius uelut flamma ignis.] Irati dei iudicis habitus, uarie in Psalmis & prophetis describi solet, atque id sepius per ignem, cum propter ignis uehementiam, quo crebro, sua aduersus impios exercendo iudicia, usus legitur, tum quod uelut ignis scintillas quasdam ab oculis furore percitorum, siue hominum siue beatorum, promicare uidemus. Hinc Psal. 18. Ascendit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exarsit &c. Item Psal. 34. Vultus autem domini super facientes mala. Ita & hoc loco, Christus uelut ira accensus aduersus impios Ecclesiae suae persecutores, oculis uelut flamma ignis promicantibus praer indignatione describitur. Qualem & Daniel propheta cap. 10. inducit. Oculi, inquit, eius sicut lampades ignis &c. Quanquam sunt, qui iuxta aliam ignis proprietatem, quae est illuminare, hoc loco in bonam partem accipiunt, iuxta illud Iohan. 1. Erat lux uera quae illuminat omnem hominem &c. Verum quando uideam iudicem hic describi, prior expositio magis mihi arridet.

Et pedes eius similes aurichalco sicut in camino arden.] Robor ac firmitatem deificatae carnis Christi, propter inhabitantem deum, ad comminuendum Ecclesiae hostes, significari puto, iuxta id Psal. Tanquam uas figuli confringes eos. Hinc pedes non solum aenei, sed etiam igniti, ut calcando inimicos comminuat, & incendio prorsus absumat. Alludit uero ad uisionem Ezech. cap. 1. sub fine.

Et uox illius tanquam uox aquarum multarum.] Virtus & energia praedicationis

dicacionis Evangelicæ describit, quæ apud omnes totius orbis gentes & linguas sit obtentura, iuxta illud Psal. 68. Ecce dabit uoci suæ uocē uirtutis. Qua ratione uerbum prædicationis per spiritum, tonitruis uehementibus & horribilibus in Psalmis & aliquoties in hoc libro comparatur: deinde & uoci aquarū multarum cum impetu concurrentiū: de quo Iohan. cap. 7. Flumina inquit, fluent de uentre eius. Id quod Christus simpliciter & aperte absq; metaphora dixit alibi, Ego (inquit) dabo uobis os & sapientiam, cui non possunt resistere omnes aduersarij uestri. Quod Lucas in Actis testatur sub apostolis impletum, quando ait, Virtute magna reddebant apostoli testimoniū &c. Talis erat utiq; uox illa, quæ Paulum in ipso iam medio persequutionis opere, minas et cadem aduersus discipulos domini spirantem, in terram prostrauit, inquit, Saule Saule, quid me persequeris? Cuius, nisi breuitati studeremus, multa possemus adducere exempla.

Et habebat in dextera sua stellas septem.] Christus dominus præfectos Ecclesiæ suæ, quos ipse mittit ad illustrandum ipsam, cœlestis luminis claritate, hoc est doctrina fidei salutaris imbuendā, in dextera sua continet, hoc est ipse eos dirigit, ipse in eis omnia loquitur & operatur, ipse eos protegit & defendit, quem admodum in Hiere. cap. 1. Præterea & aliàs in scriptura per Dexteram robur & omnipotens uirtus, qua omnia efficaciter operatur, significari solet, iuxta illud Psal. Dextera domini fecit uirtutē &c. Porro præfectos Ecclesiarum, stellarum nomine in scripturis significari, præter hoc quod Christus ipse infra per angelum loquens ita exponit, apud Daniele adparet. cap. 12.

Et de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat.] Per gladiū uirtus, qua regni hostes fortiter profligantur, in scripturis significari solet. Hac nihil magis admiratione et laude dignū in principe, si ea legitime utat: de qua canit Psal. 45. Quod de ore eius exire dicitur, declarat Esa. cap. 11. Spiritu, inquit, labiorum suorum interficiet impiū, & 2. Theff. 2. cap. Item Ephes. 6. Et gladium spiritus quod est uerbum dei. Quod ex utraq; parte acutū dicit, exponitur in Epist. ad Hebr. cap. 4. Viuus est sermo dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c.

Et facies eius sicut sol lucet in uirtute sua.] Iucunditatis meridiana lucis facies Christi recte comparatur, nam talis adparet suis, ubi eos de manu adfligentium eripit: tum enim serenū, atra tempestate depulsa, rutilat, & nox tetra in claritate diei lucem cōmatur. Talem in monte conspiciunt discipuli uultum Christi Matt. 17. Contra uero impijs adparet, ceu paulo ante diximus, Et oculi eius uelut flamma ignis. Sic & apud Daniele cap. 10. legitur, Facies eius sicut fulgur. Fulgur namq; tam & si fulgeat, non tamen exhilarat, sed magis terret. Sic ubi posuisset dominus finem captiuitati Iudæorum, & in terram reduxisset promissam, uisa est lux solis septemplex maior & iucundior, Esa. 30. cap. quod merore & animi angustia laborantibus, neq; sol lucere uideatur.

Et cum uidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.] Adeo diuina maiestatis præsentiam non sustinet humana imbecillitas, nisi ab ipso fulciatur. Ita & Danieli contigit cap. 10. & discipulis in monte. Qui igitur impij consistent in conspectu irati iudicis, quando non sustinent pij blandū illius aspectum?

Et posuit dexterā suā sup me, dicens.] Hoc est, Dextera uirtutis suæ iam metu labefactas restituit uires, & in pedes erexit, ac metu liberauit blande cōpellās.

Ego sum primus & nouissimus.] Christus dominus patri cœlesti coæternus, qui ut omnibus essendi est initium, ita & cuncta perficit atq; immutat, ipse omnino immutabilis perseverans, quemadmodum autor Epist. ad Heb. cap. 1. ex Psalmo 102. eleganter deducit, de Christo eundem locum exponens, Et tu in

principio domine terram fundasti: & quæ sequuntur.

Et fui mortuus, & ecce sum uiuens in sæcula sæculorum.] Fui mortuus ex dispensatione, obediendo patri, ad diluenda humani generis peccata uictima factus, Et ecce sum uiuens, deuicta morte redij ad uitam immortalẽ, mors mihi uictoria non dominabitur: unde & in æternum saluare possum eos, qui in me fidunt.

Et habeo clauis mortis & inferni.] Hoc est, potestatem dimittendi peccata, quibus ablatis elumbis facta est cum mors tum infernus. Sic Paulus 1. Cor. 15. ex Hof. propheta, Absorpta est mors in uictoria &c. Stimulus mortis peccatum est, uirtus uero peccati lex; mortuus est igitur propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationẽ nostram, hoc est, ut credentes iustificemur à peccato. Præterea legẽ mandatorũ decreti euacuans Ephes. 2. effecit ut minor esset peccandi occasio, Rom. 6. & 7. Et spiritum elargiens propensos fecit, ut ultro studeremus hijs quæ legis præcipua sunt, nempe fidei in deum, & charitati in proximum. De hac quoq; mortis & inferni potestate, quã Christus habet, Diuus Pet. Act. 2. Quem deus, inquit, suscitauit solutis, hoc est superatis, doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Item 1. Ioan. 3. In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli, hoc est peccatum adeoq; mortem & infernum.

Scribe quæ uidisti & quæ oportet fieri post hæc.] A tempore uidelicet reuelationis, usq; ad finem sæculi Ecclesiarum successus.

Septem stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum.] Ecclesiarum præfecti, & stellæ et angeli in sacris literis dicuntur. Stellæ quidem propter coelestis, cum doctrinæ, tum conuersationis splendorem, ceu paulò supra diximus: Angeli uero, quod dei patris uoluntatem nobis annunciant. Quemadmodum & hac ratione Christus quoq; apud Esa. 9. cap. magni consilij angelus, & in Malach. Angelus testamenti uocatus est. Sic etiam Iohan. Baptista apud eundem Malach. ob eandem causam Angelus dicitur. Ita & hoc loco Ecclesiarum præfecti angeli dicti sunt, id quod uel ex eo potissimũ adparet, quod infra poenitentia agere iubentur, id quod coelestibus illis spiritibus nequaquã congruit. Nisi forte quis dixerit, quod sancti illi spiritus Ecclesiarum præfecti, quemadmodum cum orantibus orant, cum gaudentibus gaudent, cum moerentibus moerent, ita & cum poenitentibus poeniteant, sicut quidam haud spernendæ cum autoritatis, tum pietatis patres uisi sunt dicere. Quibus non admodũ reluctamur, nisi quod forte eadem ratione cogeremur donare, quod etiam cum peccantibus peccent. Sed neq; hoc prætereundum, nõ sine causa factum quod cum tria iussisset scribere, nimirum ea quæ uiderat, ea quæ tum fiebant in Ecclesia, & quæ futura, in primis persequutus est ea quæ tum fiebant, tanquam magis necessaria, quibus in tempore congrua adhiberetur medela.

Et candelabra septem, septem Ecclesiarum sunt.] Ecclesia Christi candelabrum est, quod sunt in ea Prophete, Apostoli, Euangelistæ, ac doctores, iuxta Ephes. 4. qui luceant per saluberrimam Christi doctrinam, pariter ac uita sanctimoniam alijs, quibus per huius uitæ tenebras peregrinantibus, ducatum ad coelestem patriam subinde præbeant; quemadmodum 2. Pet. 1. cap. Spiritu sancto, inquit, illuminati loquuti sunt sancti dei homines. Est igitur Ecclesia uelut lucerna in portu collocata, quæ noctu alto errantibus pelago, portũ ostendat longinquo. Sic de Iohan. Baptista Saluator ait: Ipse erat lucerna ardens & lucens. Et ad discipulos: Vos estis lux mundi &c. Aurea uero sunt, quod sensum fidei purissimum, simplicem ac genuinum, nempe de deo, de Christi diuinitate uera & humanitate uera, de uero cultu, de uera iustitia, adeoq; de salute æterna cõsequenda, ex uerbis

bis cum Christi tum prophetarū, ab omnibus commentis humanis trelut aurum igni depuratum, ardoreq; charitatis flagrantem teneant, & humanis pectoribus uirtute & energia spiritus instillent, Psal. 12. Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum &c. Et Philip. 2. In medio nationis prauæ atq; peruersæ lucetis, sicut luminaria in mundo uerbum uitæ continentes &c. Et attende modum loquendi scripturarum etiam hoc loco, sicut & multis alijs locis. Sacramentum, inquit, septem stellarum &c. Deinde: Septem stellæ, angeli sunt &c. Item: Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt. Vbi uides ipsa signa nominibus rerū signatarum appellari.

C A P V T II.

In angelo Ephesi ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quod non potes sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, & nō sunt, & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinisti propter nomen meū, & non defecisti. Sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; unde exideris: & age poenitentiam, & prima opera fac. Si autem, ueniam tibi cito, et mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in paradiso dei mei. Et angelo Smyrne ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & uiuit, Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his qui se dicunt ludæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex uobis in carcerem ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usq; ad mortem: & dabo tibi coronam uitæ. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs, Qui uicerit, non lædetur à morte secunda. Et angelo Pergami ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui habet romphæam utraq; parte acutam, Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud uos, ubi satanas habitat. Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalū coram filijs Israel, edere & fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter poenitentiam age, si quo minus: ueniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesijs, uincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo, nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe, Hæc dicit filius dei, qui habet oculos tanquam flammæ

mam ignis, & pedes eius similes aurichalco. Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam & ministeriū, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem lezabel, quæ se dicit prophetam, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus ut poenitentiam ageret: & nō uult poenitere à fornicatione sua, Ecce ego mitto eam in lectum: & qui moechantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint: & filios eius interficiam in morte, & scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda: & dabo unicuique uestrum secundum opera sua. Vobis autē dico, & cæteris qui Thyatiræ estis, Quicumque non habent doctrinā hanc, & qui non cognouerunt altitudines sathanæ, quemadmodū dicunt: non mittam super uos aliud pondus, tamen id quod habetis, tenete donec ueniam. Et qui uicerit & custodierit usque in finem opera mea: dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo: & dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem, audiatur quid spiritus dicat ecclesijs.



E T angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.] Ephesus urbs, minoris Asiæ metropolis est, in qua Paulus apostolus triennio prædicās, fundauit Ecclesiam, Act. 19. Deinde Hierosolymā proficiscens, cū esset Mileti, conuocauit ad se maiores Ecclesiæ Ephesinæ, cohortās illos, ut constanter agerent in domino, & commisso inuigilarent gregi, aduersus lupos graues, qui post suam abiectionem inuasuri essent gregem, sicut legimus. Porro in 1. ad Cor. scimus scilicet fuisse obiectum Ephesi. Vnde adparet, quantis illam Ecclesiam Christo adquisierit laboribus. Discedens uero inde, Timotheū illis præficit Episcopum, ut in priore ad Tim. cap. 1. Sicut rogauit, inquit, te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam &c. Ad hos quoque Romanis uinculis scribit Epistolam, collaudans illos, quod fortes in fide perstiterint, cohortans item ut pergant. Similiter & ad Timothi. eius urbis Episcopum, posteriorem è Romanis uinculis scribit Epistolam, in qua simul & significat, à se omnes qui in Asia erant, fuisse auctores, nisi mirum à pseudopostolis seducti, quamobrem & ad constantiam hortatur cum Timotheum tum Ecclesiam Ephesinam. Post Pauli autem coronationem, Ephesinæ Ecclesiæ præficitur Iohan. apostolus, quemadmodum Euseb. in Eccle. hist. testatur, cuius etiam tum cum in exilium iussu Domitiani Cæsaris deportatus hæc scriberet, susceptā gerebat curam. Porro Polycrates scripsit aduersus Victorium Rom. ecclesiæ Episcopū, epistolam synodicam, in qua gloriatur se octauum, ex septem per ordinem Ephesinæ ecclesiæ episcopis natum, eiusdem ecclesiæ episcopum, scilicet in celebrando paschate Iohannis apostoli ueterūque autoritatē sequutum, ut scribit Euse. lib. Eccl. hist. 5. cap. 24. Extat & epistola quædam sub nomine Beati Egnatij Antiochenæ eccle. episcopi & martyris, ad Ephesios, in qua multis adeo prædicat Onesimum eiusdem ecclesiæ Ephesinæ episcopū cum quibusdam alijs, laudatque illorum constantiam, quod usque in fide Christi iuxta doctrinam Pauli, Iohannis, apostolorum ac Timothei aduersus pseudoapostolorū dogmata permanerint, cohortans eos ut pergant. Sunt præterea & Ephesi patrum ortho-

orthodoxorum aduersus subpullulantes hereses Synodi habitæ, quemadmodum Romanorum pontificum decreta ostendunt. Neq; igitur facile fuerit uidere inter tot eius ecclesiæ antistites, ad quem illorū iussus sit Iohannes scribere. Ex quo clarum fit, hoc loco et in sequentibus, angelum alicuius ecclesiæ non unumquempiam ex præfectis, sed totam simul episcoporum et maiorum eius ecclesiæ per ordinem successionem esse accipiendam.

Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua.] Descriptio Christi est, ut ex præcedentibus quoq; adparet. Is enim angelos ecclesiarū in dextera sua habet, hoc est, potestate sua & regit et continet: nisi enim ipse illos teneret, cū alijs quoq; cadentibus caderent: & nisi regeret, cum erraticis syderibus errarent: de quibus in Epistola Iudæ.

Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.] Quo significat se subinde curam & rationem habere eorum omnium quæ dicuntur & aguntur in ecclesia, iuxta illud, Ambulabo inter uos, & ero deus uester, Leuit. 26. Et Ezech. 43. Habitabo in medio uestri semper. Sic & Christus ipse ait: Vbi duo uel tres in nomine meo fuerint congregati, in medio eorum sum. Item, Ego dominus scrutans corda & probans renes.

Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quod non potest.] Erant in Ephesina ecclesia & eius præfectis, quædam laude, quædam item uituperatione digna. Quæ igitur laude digna erant, commendando uult prouehere: quæ uero uituperatione digna, pœnitentiâ & uitæ resipiscentiâ emendari. Quod ergo ait, Scio opera tua, uidetur mihi beneficentiâ, quæ bonorū operum nomine in scriptura intelligitur, in eis commendare, qua per charitatem proximo inseruiebāt. Et laborem, nimirum uigilantiâ et sedulitatē in ministerio commendat. Et patientiam, nempe aliorum infirma, imò etiam illatas subinde iniurias perferendo, & faciliter donando. Et quia nō potes sustinere malos, qui uidelicet fratrum nomine se uenditant, & sub hac specie incautos fallunt atq; in errorem abducunt, conuincendo & fortiter profligando, iuxta illud Deut. 13. Auferte malum ex uobis: item Matth. 7. Attendite à falsis prophetis. 1. Cor. 5. Si is qui frater nominatur &c. Maxime uero quæ Paulus 1. Tim. 6. Si quis aliter docet & nō acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei qui secundum pietatem est doctrinæ, is inflatus est &c. Et ad Titum 1. cap. Vt potēs sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicūt arguere. Malos igitur intelligit hoc loco Cherinthū, Hebionem, Marcionem, & eiusdem farinae heresum aduersus sanam fidei doctrinam doctores.

Et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse &c.] Hic uides ut sathanas se, quemadmodum ait apostolus Paulus, soleat angelum lucis mentiri: perinde faciunt & ministri ipsius, cum se falso apostolico nomine uenditant, quales iam nominati fuerūt, ut Euseb. eccl. hist. lib. 4. cap. 14. de Cherintho, & in sequentibus de alijs quoq;. Item Hymeneus & Alexander, 1. Tim. 1. cap. Præterea Philetus & Hermogenes, 2. Tim. 1. & 2. Ephesiorū igitur fidem & constantiam etiā Paulus apostolus laudat, quod non cesserint, imò fortiter repugnarint pseudoapostolorū doctrinæ. Quod uero ait, Tentasti eos & inuenisti eos mendaces &c. significat probe examinandam esse doctrinam, antequam de ea pronunciemus: iuxta quod etiam Paulus 1. Tess. cap. ultimo, Spiritum ne extinguatis, prophetas ne aspernemini, omnia probate, Et 1. Iohan. 4. cap. Ne cuius spiritui credatis, sed probate spiritus an ex deo sint. Quæ sunt contra nostrorum mores temporum, quando ne audita quidem damnantur.

Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.] Significat feruorem fidei apud illos non nihil tepescere, indeq; & ad charitatis opera paulò remissiores factos, quemadmodum eis & Paulus Mileti prædixerat. Hinc & ansam pseudoapostolis, obrudendi eis falsa dogmata, præbitam, quod solito tepidiores animaduenterint. Monet igitur ut quantotius ad pristinum redeant feruorem, priusq; toti languescant, & potestas detur grassandi pseudoapostolis.

Memor itaq; esto unde excideris & age pœni.] Habes hic exemplum longanimitatis & patientiæ diuinæ: de qua etiam Apostolus Rom. 2.

Sin minus ueniam tibi cito & mouebo candel.] Non enim damnat peccatorem, nisi ante sæpe admonitum & contemnentem monitores: quemadmodum Prouer. 1. Item Hiere 7. Et misi ad uos omnes seruos meos prophetas per diem, conflurgens diluculo, & mittens, & non audierunt me nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam, & peius operati sunt quàm patres eorum. Item Esa. 65. & adducit Apostolus Roma. 10. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Cito, id est, inopinato, dum nihil minus cogitas & te securum agere putas. Quemadmodum Matt. 24. Christus de seruo nequam, dicente in corde suo, Moram facit dominus meus uenire &c. Veniet, inquit, dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat &c. Mouebo candelabrum de loco, manifestum est quomodo post contemptam penitentiam, Heli posteritas reiecta sit, ne sacerdotio fungeretur, priori Samuelis lib. cap. 2. & 7. & 1. Reg. cap. 2. Sic & Saulis, in cuius locum Davidis familia successit. In Iudeorum locum susceptæ sunt gentes, Rom. 11. & Matth. 21. Itidem & Epheso tandem ac regionibus orientalibus propter contemptam salutarem Christi seruatoris & apostolorum admonitionem, contigisse pro dolor uidemus: pro quibus tamen orandus est deus, & precibus interpellandus assiduus, ut illos olim liberatos à pestiferis erroribus, ad suum reducat ouile.

Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum quæ & ego.] De his Ireneus Lugdunensis Antistes lib. 1. cap. 27. in hunc modum scribit, Nicolaitæ, inquit, magistrum habent Nicolaum, unum ex septem qui primum ad diaconium ab apostolis ordinati sunt: qui indistincte uiuunt. Plenissime autem per Iohannis Apocalypsim manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in morando, & idolothymum edere. Quapropter dixit & de his sermo, Sed hoc habes quod odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odio. Hactenus Ireneus. De quo quidem errore & apud Euseb. in eccl. hist. lib. 3. cap. 29. leges.

Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat eccl.] Hac particula cum Christus ipse, tum Iohan. solent tardiorum animos ad perpendenda eorum quæ proponuntur mysteria, excitare.

Vincenti dabo edere de ligno uitæ quod est in me.] Acquiescenti dei præcepto, et tentationi sathanæ fortiter repugnantem, esus ligni uitæ promittitur, quod est in medio paradysi: unde primus noster omnium parens, quod demonis tentationi cesserit inobediens dei præcepto factus, eicitur, & ad uarias huius uitæ perferendas ærumnas iusto dei iudicio condemnatur, quibus & in animum inducat, miseram quoque hominis à deo apostatantis, iuxta mentem conditionem. Est autem Christus ipse fructus eius arboris promus, quo æternum deliciantur electi fideles: per ipsum enim restituitur credentibus ex animo, quod in Adam amissum est, Roma. 5. & quemadmodum Petrus in Epistola ait, Efficiamur diuinæ consortes naturæ, & societatem habemus cum patre & filio, quemadmodum Iohan. in Epistola. Id quod hoc loco sub metaphora dicit, Edere de

de ligno uitæ. Alludit uero ad ea quæ de ligno uitæ in Gen. 2. cap. de quo plura infra cap. 22. Et Christus sub metaphora cõuiuij, Faciet illos, inquit, discumbere & transiens ministrabit illis. Porro præmiorũ pollicitatio, modo fidelis habeatur qui ea pollicetur, alacres reddit.

Et angelo Smyrneorũ ecclesiæ scribe, Hæc dicit primus.] Huius ecclesiæ Beatus Polycarpus Iohan. apostoli discipulus ab eo ordinatur, ut scribit Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorũ, ubi et martyrio sub Vero Cæsare coronatur: de quo plura Euseb. lib. eccl. hist. 4. cap. 14. & 15. item lib. 5. cap. 24. Ob quam fortasse causam Iohan. huic ecclesiæ specialiter tolerantiam persecutionis suadere uidetur. Nihil, inquit, horum timeas quæ passurus es. Extat & epistola quedam sub Beati Egnatij nomine ad Smyrnenfes de uera Christi diuinitate pariter & humanitate. Item & alia ad Polycarpum eiusdem ecclesiæ episcopum, Ex quibus facile est cernere, quibus tum hæresibus illa ecclesia turbabatur.

Primus & nouissimus qui fuit mortuus & uiuit.] Aptæ præfatio patientiæ suasuro. Primus namq; omnium Christus est; Ipse persecutorem fecit, adeoq; in manu sua illum habet. Nouissimus, qui pereunte breui persecutore, superstes manet. Qui fuit mortuus, hoc est, qui putabatur simul cum uita, regni uires, miraculorumq; gloriam amisisse; & tamen uiuit, deuicta morte, uires ac diuinitatis suæ gloriam manifestans, quemadmodum Paulus Rom. 1. Manifestatus est deus in uirtute per resurrectionem ex mortuis. Hoc & paulò supra dixit, Habeo clauis mortis & inferni. Quis igitur dubitabit huic uitam suam cõmittere? iuxta illud, Qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet, Iohan. 11. & Rom. 8. Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, uiuificabit & mortalia corpora uestra &c.

Scio opera tua & afflictionem & paupertatem.] Commendat illos de afflictionum tolerantia & rerũ despoliatione, quam pro fide Christi fortè adeò perferébant animo. Quod uero ait Scio, significat se, cum caput sit, membrorũ sentire incõmoda, iuxta illud, Saule Saule quid me persequeris? Patitur enim Christus usq; ad finem mundi in suo corpore: sic Paulus dicit se supplere quod deerat afflictionum Christi in carne sua, Coloss. 1.

Sed diues es.] Illi te rebus tuis despoliant, ideoq; pauperem putant & rerũ inopem, sed diues es, nimirum donis cœlestibus, quæ ueræ sunt diuitiæ, quas nec putredo aut erugo absumet unquam, nec fur quispiã auferre potest, neq; usu minuuntur, sed augentur magis. Cui igitur æterna bona pientissimus parès suppe- ditat, qui patiet̃ ut temporarijs illis bonis, quibus præsens uita sustentet̃, egeat? Qua uero re necessaria egebit, qui deum ipsum cuius est terra & plenitudo eius, possidet? Hinc saluator ait: Primum querite regnum dei & iustitiam eius, et hæc omnia adijcientur uobis, Matth. 6. Item, Centuplũ accipiet etiam in hoc sæculo, Marei 10. Et Paulus, Tanquam nihil habentes & omnia possidentes, 2. Cor. 6. Id quod pulchre Fortunatus uno uersu exprimit, Pauper in angusto, regnat habendo deum.

Et blasphemiam eorum qui se dicunt Iudæos esse.] Iudæi odiosissime pro legis obseruantijs aduersus Christianam libertatẽ zelabant, turbas undiq; contra illius prædicatores concitantes: quemadmodũ adparet legenti Acta apostolica.

Et nõ sunt, sed sunt synagoga sathanæ.] Iudæus enim cum religionis nomen sit, non is qui in manifesto, sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est: & circumcisio cordis, circumcisio est, quæ spiritu constat, non litera, Rom. 2. Item, Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel: neq; quia sunt semen Abraham, statim

omnes filij: sed qui sunt filij promissionis recensentur in semen, Rom. 9. adeoq; cum fidei Abraham benedicuntur, Gal. 3. Quibus uerbis & ipse Apostolus adimit illis gloriationem hanc, qua cum de genere tum de lege gloriabantur. Quem in modum & Iohan. Baptista & ipse quoq; Christus faciunt. Videtur etiam haud incongrue ad impium Victoris Rom. pontificis decretum posse referri, qui propter paschæ obseruationem, anathemate percussit Orientis ecclesias: de quo Euse. eccl. hist. lib. 5. cap. 24. Tempestiue adeo coeperunt Rom. pontifices aliorum fidei, præter morem apostolicum, imperare, & de legis scientia pariter & obseruantia, tanquam ueri in spiritu Iudæi gloriari.

Nihil horum timeas quæ passurus es.] Nimirum ita ut locum cedas diabolo & ministris illius. Nam alioqui et Christus dominus iuxta carnis imbecillitatem, passioni proximus pauet & contristatur, passionemq; deprecatur, sic tamen ut simul oret quo patris fiat uoluntas.

Ecce missurus est diabolus aliquos ex uobis in carcerem.] Hoc pater de Beato Polycarpo Smyrneorū episcopo, & quibusdam alijs, apud Euse. eccl. hist. lib. 4. cap. 14. & 15. Quod uero ait, Diabolus missurus est aliqs in carcerem, ideo dicit, ut sciant p̄i quemadmodum Paulus Ephes. 6. non cum carne & sanguine, sed cum principe tenebrarum sibi esse negotium: quo cum certaturi, non ad carnalia, sed ad spiritalia confugiāt arma, de quibus ibidem Apostolus: neq; omnia no carnem, sed unum deum ponant brachiū suum. Mirum facit hoc ad mansuetudinem, ubi persuasi fuerimus, nō ab hominibus, sed à sathana nos impugnari. Frustra igitur homines oderimus, qui per ignorantiam à sathana agitantur: magis igitur pro illis orandum, ut ueritatem agnoscant, & fratres effecti nobiscum exerceantur. Ut tentemini, inquit, extenuat, ne animum despondeāt. Non ad omnimodam, inquit, interniciem sed ad exercitium uobis cedit hæc tentatio, quo probata fides uestra fiat spectatior. Quanquam ideo nō mox occidit hostis, sed in carcerem mittit, & diu tentat, ut diuturnitate tandem afflictionū, animo defatigati, fidem deseratis.

Et habebitis afflictionem dierum decem.] Hoc est diebus plurimis. Est enim denarius plenitudinis numerus, ideoq; haud superstitiose obseruandus. Sic habes in Gen. cap. 31. ubi Iacob exprobat eum Laban socero suo, Immutasti, inquit, mercedem meam decem uicibus. Item Numerorū cap. 14. Tentauerunt me iam per decem uices. Et Hiob 29. En decies me confunditis, id est, sapius & uarijs modis. Id quod etiā adparet cum de Cæsarum tum de hereticorū persecutionibus.

Esto fidelis usq; ad mortem & dabo tibi coronam uitæ.] Vex hoc adparet, quid decem dies dixerit, quādo ait Vsq; ad mortem. Nam toto uitæ tempore fidem seruare iubet, quæ et toto uitæ tēpore ab aduersaria potestate impugnatur.

Qui habet aurem audiat.] Particula est qua sapius excitat, ut animum dicitis aduertamus.

Qui uicerit, non lædetur à morte secunda.] Ex hoc adparet quid sit corona uitæ de qua præmisit, nempe perenni uitæ iucunditate in anima & corpore, ueluti corona undiq; circumdari. Habes hic duplicem esse mortem, prior peccati est, altera damnationis æternæ. De priori intelligitur illud Gen. 2. Quacūq; die comederis ex eo, morte morieris: nam per incredulitatem & inobedientiam deseritur deus, qui est animæ uita. De altera uero, illud, Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent amplius quid faciant, Eum autem timete, qui postq; occiderit, potest et corpus et animā perdere in gehennam. Et illud, Sine mortuos suos sepelire mortuos. A priori morte resurgitur per fidei poenitentiam, iuxta illud Pauli

Pauli, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & qui ab illa surrexerit, secundam non uidebit, sed pertransijt de morte ad uitam: qui uero ab illa non surrexerit, secundam nequaquam euadet. Sed de hoc infra cap. 20.

Et angelo Pergamensis ecclesiae scribe.] De hac ecclesia & eius praefectis, non memini me legere in historijs, nisi quod crebras aduersus Christianos à Caesaribus ad Asiae proconsules lego commissiones.

Haec dicit qui habet rompheam ex utraque parte acutam.] His uerbis iudiciaria in Christo seruatore describitur potestas. Hanc uero congrue in eo praemittit, qui erat uictoribus praemia, & poenam redditurus perfidis.

Scio opera, et ubi habitas, ubi sedes est sathanæ.] Praemittit ea quae commendationis sunt, ut aequanimius ferant reprehensionem. Comendationis sunt, Scio opera tua, nempe beneficentiae & charitatis in proximos. Item quod habitantes ubi sathanas regnet, profiteantur tamen nomen Christi, nec fidem illius abnegent. Item quod in confessione fidei adeo constantes sint, ut nonnulli eorum in confessione Christi mortem oppetierint, eximia profecto laus. Porro sathanæ sedes est, ubi regnat impietas & grassatur iniquitas, flagitia non modo non castigantur, sed probantur & praemia merentur. Quales erant urbes illae & regiones in quibus grassabantur gigantes illi ante diluuium, item in Sodomis, item qualem describit David Psal. 55. qualem prophetae sui temporis Hierosolymam, & qualis Babylon in hoc libro describitur. Tales quoque sunt hodie urbes, in quibus Papisticae factionis colluues gubernacula tenet, ubi pietas proscripita, omnis morum honestas profligata: ibi nemo audeat de Christo publice loqui, aut de illius regno Psalmos occinere, nisi uelit bonis spoliari, aut in carcerem mitti, aut igni siue laqueo uitam finire. Talis erat & tum Pergamensis urbs, ut ex hoc loco adparet. Aliquid igitur erat in eo loco commorari, & Christo seruare fidem.

Et in diebus meis Antipas testis meus fidelis qui occisus est.] Euidens signum est sathanam illic regnare, ubi iusti & innocentes uiri passim crudeliter & publice necantur, et contra pessimi quique in honore et precio habentur. Sic Dauidi non erat locus in regno Saulis, in quo Doeg & sui similes admodum sublimes & primi post regem habebantur. Sic prophetae & sacerdotes Baal apud Achab regem in honore habentur, & de mensa regis cibum accipiunt, quando interim prophetae domini aut patria pelluntur & in montium cauernis latitant, aut inuenti occiduntur. Sic Hierosolymis quoque Christus cruci adfigitur innocens, & Barrabas latro uita & libertate donatur. Porro uerisimile est Antipam hunc fuisse quempiam ex ministris ecclesiae praestantiorum, quem ideo minus potuerint ferre ministri sathanæ, quod uehementius & neruosius Christum ibidem docuerit, & ea quae uera fides continet, animosius contra aduersarios defensarit. Idcirco ex eo uidetur, quod testem eum fidelem uocat, qualis fuerat & Stephanus apud Hierosolymos.

Sed habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes.] Increpat eos quod in suo consortio sustineant tenentes errorem Nicolaitarum, unde timor sit cum tempore latius scripturum errorem, & totam tandem ecclesiam occupaturum: quem admodum Paulus 1. Cor. 5. de incesto dicit, Paululum fermenti &c. item, Sermo eorum ut cancer serpit. Porro Nicolaitis apud historicos tribuitur, quod docuerint promiscue uxoribus utendum, & idolothytis sine respectu uti licere. Vnde recte illos Balaamitos uocat, quod ille prauo suo consilio, filijs Israel & uescendi idolothytis, & scortandi cum Midianitis, occasionem praebuerit, quomodo in libro Numerorum cap. 24. & 25. legimus: ita doctrina Nicolaitarum facile fieri, ut à Christo per infidelitatem desciscant. Balaam sacrificus, pecunia corruptus, cum

illi maledicere populo dei non daretur, docuit eum edere & scortari: quæ sunt hodie peculiaris Ecclesiasticorum flagitia. Neque rectius alicui nomen Balaamitarum & Nicolaitarum, quam illis ipsis tribueris, qui data pecunia benedicunt & exacerantur quemuis, in quo & Balaam superant malitiam. Deinde crapulantur de sacrificijs mortuorum & diuorum. Porro cum illis ex legibus Ecclesiasticis legitimum sit interdictum connubium, illegitimo in quamuis grassantur concubitu, interim tamē egregie cœlibes. Et quando perfidiæ arguuntur, quod iureiurando promissam in sacro ordine recipiendo castitatem uiolarint, ita solent eludere, se non aliter castitatem pollicitos, nisi quantum fragilitas humana permittat, adeoque non teneri se ad absolutam castitatis obseruantiam, quam quia fragilitas humana non permittit, licere sibi scortari. Cur uero non sic concludunt? Fragilitas humana non permittit, ideo ducenda est uxor legitima. Sed leges Ecclesiasticæ, in quibus uetant, Respondeo, Non uetant, si beneficio cesseris. Tu maus honestati quam beneficio resignare. Huc igitur tandem nostri Nicolaitæ legitimum connubium contra libertatem Christianam, imò Christianæ honestatis necessitatem, ob quam Paulus præcipit ut quisque, cui non est datum continere, habeat suam uxorem, ex doctrina dæmoniorum prohibentes, promouerunt, ut Christianum orbem, promiscuis uxoribus, imò scortis, impleuerint, et Sodomam quandam effecerint. Nam illos principes quoque & uulgus in hoc imitantur, ut ferè nemo, aut rarissimus sit, qui scortationem pro peccato reputet, quamlibet asserat illos Paulus non habere partem in regno Christi & dei, iubeatque illos excludi & ne panem quidem cum illis uesci debere.

Resipisce, alioquin ueniã tibi cito, & pugnabo.] Corhortatur illos ut resipiscant, & auferant malos de medio sui, poenã congruã, nisi id fecerint, comminans.

Gladio oris mei.] Alludit ad historiam, Gladium nudum gestabat angelus, comminando, nisi resipisceret, ultionē. Sed quia pertinax fuit in scelere Balaam, magna gladij ultio sequuta, cum in populum dei qui scortis Midianitarum se poluit, tum in ipsos quoque Midianitas, sed & Balaam quoque; de quibus omnibus lege in Numerorum libro cap. 25. & 31. Ita proculdubio olim contingeret et nostris quoque Baalamitis et Nicolaitis, nisi resipuerint; quibus autor epist. ad Hebr. comminatur dicēs: Scortatores & adulteros iudicabit deus, cap. 13. Gladio uero oris: quo significat, quam omnino facile sit illi exterminare malos, nimirum solo flatu oris. Quem propterea gladio cõparat, quod impios uoret; qua metaphora frequenter utitur scriptura, Percutere in ore gladij &c.

Qui habet aurem audiat.] Excitatio est, ut dictis animũ admoveamus, ut facto quod iubemur præstemus, quo præmium quod pollicetur assequamur, & poenas quas minatur effugiamus.

Vincenti dabo manna absconditũ.] Pulchre hoc loco ubi de doctrina fidei agit, ad mannatis naturam alludit, quod pijs, prout quisque affectus erat, sapiebat. Quæ gustũ tamen carnales illi minime sentientes, uituperabant dicentes: Anima nostra fastidit cibum istum leuissimum. Similis est natura mysteriorũ fidei in sanctis scripturis, quæ uelut manna multam dulcedinem præbent pijs ac spiritualiter sentientibus. Contra uero carnales fastidiunt, et ad Aegypti ollas redeunt: sic Balaamitæ & Nicolaitæ, Lege Exo. 16. & Sap. 16. de mannate.

Et dabo illi calculũ candidũ & in cal. no. no.] Maximam dignitatis supra alios præminentiam pollicetur, quemadmodum Ioseph in Aegypto, Daniel in Babylone, & Mardocheus apud Ahasuerũ, & qualem omnino saluator pollicetur seruo fideli, qui talenta quinq; acceperat, & in ijs alia quinq; lucratus fuerat, Matth.

Matt. 24. id quod significatur hoc loco per calculum candidū, nouo inscriptum nomine. Alludit autem ad consuetudinem humanā in electionibus ad magistratus siue ad alias maiores dignitates, ubi albi & atrii calculi scrinio impositi inter electionis consortes distribuuntur, albus uero, ceu nomine inscriptus, magistratus omen habetur: & solus qui illum accipit nouit, donec tandem omnibus distributis, in publicum proferuntur calculi. Mihi hac dicendi figura pulcherrime adumbrari uidetur mysterium electionis, & consignationis filiorū dei per spiritum sanctum, Iohan. 3. Rom. 8. Eph. 1. Qui quamlibet in speciem nihil ultra cōmunem hominum sortem habere uideantur, ipsi tamen intimis iam praeordijs propria experientia per arrabonem spiritus gustauerunt quā bonus & suauis est dominus. Hunc in modum & Christo seruatori nostro post ignominiam crucis, datum est nomen quod est super omne nomen &c.

Et angelo Thyatirensis ecclesiae scribe.] Thyatira urbs Lydiae, quae prouincia Asiae est, metropolis habetur. De qua erat Lydia illa porphyropolis, quae per apostolū Paulum in Philippis urbe Macedoniae, uerbū uitae suscepit, Act. 16. cap.

Hac dicit filius dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis.] Pœnitentiā ab operibus malis suafurus, haud inconuenienter uultum habitumque irati iudicis prae mittit, de quo habes supra cap. 1. Porro hic animaduertendum, quod eum quem supra similem filio hominis dixerat, nunc filium dei uocat, ut scias eundem omnino Christum, & filium dei, & filium hominis esse.

Noui opera tua, & charitatē tuam & ministeriū & fidem.] Primum commendat in eis opera charitatis, nempe beneficentiam, uigilantiā, sedulitatem, et fidem in functionis munere administrando, nimirū per doctrinam sanam, deinde & aduersarum rerum tolerantiam propter eandem doctrinam. Iam quod in hijs omnibus egregie promouerint, haud dubium, ut per hanc eximiam uirtutis laudem calcar illis admoueat, quo & ea quae desunt sartiant: atque tales erant utique prouectiores in ea ecclesia.

Sed habeo aduersus te pauca quia permittis mul.] Hic uides quemadmodum et in superioribus quoque, ea quae à quibusdā de ecclesia peccantur, ipsis praefectis adeoque & toti ecclesiae imputari. Deinde uides eundem errorē opprobriari Thyatirensē, quem & proxime Pergamensē, nempe Nicolaitarum, qui tum passim in ecclesijs gliscebant. Nam ait scortari & edere: id quod etiam Nicolaitis tribuit, quanquam hic alia utitur comparatione: proxime enim Balaam ariolo, hic impiae Iezabeli comparat, quae abominabilem cultum Baal in populo dei reuocauit, firmavit, & ampliauit, priore lib. Reg. 16. cap.

Ecce ego mitto eam in lectum & qui adulterio miscentur.] Salutare consilium de resipiscendo contemnti, praesentaneam siue repentinam minatur ultionem, cum ipsi mulieri, hoc est pseudoprophetis, tum hijs qui eis consentiunt: id quod per uerbum praesentis temporis Mitto significatur. Attende uero eandem poenam & facientes & consentientes manere, ut etiā ad Rom. 2. Alludit autem ad historiam in qua legitur interitus cum prophetarum ac sacerdotum Baal, tum regis Achab, item Iezabelis & totius posteritatis eorum. De quibus leges 1. Reg. cap. 18. primum prophetas Baal occisos numero 450. prophetas lucorum 400. Deinde occisum Achab, eodem lib. cap. 22. Tertio occisum Ioram regem Israel filium Achab. Item & ipsam Iezabelem primā prophetarū interfectricem, 2. lib. Reg. cap. 9. Quarto occisi 70. filij regis Achab cum omni reliqua eius cognatione, iunctis prophetis & sacerdotibus Baal uniuersis, dirutis phano & statua Baal, eodem lib. cap. 10. Quinto Ochozias rex Iuda filius Athaliae filiae Achab

regis occiditur, eodem lib. cap. 9. Item Athalia occidit omnem semen regis, quæ & ipsa à loiade sacerdote occiditur, & phanum, aræ, ac statuae Baal in Iuda eueruntur, occisis prophetis ac sacerdotibus eius, quemadmodum Iehu in Israel fecerat. Hanc ultionem impiæ Iezabelis, & totius posteritatis prophetarum ac sacerdotum, paucis uerbis ad memoriam reducit. Quanquam uero figuratam hic Iezabelem de Nicolaitarum errore, ceu exposui, accipiendam putem. Videtur tamen & de Cataphrygis, uidelicet de Montano & eius mulierculis Priscilla & Maximilla spiritum propheticum iactantibus posse intelligi, quorum error paulò post per Asiæ Ecclesias grassari cœpit de quo Euseb. eccl. hist. lib. 5. cap. 14. et sequentibus. Et de ultione diuina quæ in illos desauit, eodẽ lib. cap. 16. sic scribit Euseb. Dicuntur, inquit, ipso dæmone quo inspirabantur adigente, diuersis quicquid temporibus, uitam laqueo, Iudæ proditoris exemplo, finisse. Sed et Simon Samarites Selenen scortum suum persuasit esse summam mentem. Sic Apelles quo fidem suæ doctrinæ faceret, puellam quandam nomine Philumenen allegauit, cui fingebat spiritum propheticum adesse.

Et scient omnes ecclesiæ, quod ego sim ille scrutans renes.] Ex pœna unius aliæ formidabunt, dei probantes iudicium, & discent subinde cautius in uia domini ambulare. Certo experimento scientes, nihil latere Christum iudicem, sed illi per omnia patere, etiã occultas animi cum cogitationes tum delectationes. Atque hoc dicto, ceu tonitru quodã, terrere uult hæreticos hypocritas, qui æque ut homines deum se fallere posse putant: sic nouit qui publice uel occulte dicto teneantur errore: item nouit qui ueram aut fictam agant post increpationem pœnitentiam.

Et dabo unicuique uestrum secundum opera sua.] Quemadmodum Iezabeli atque hijs qui cum ea scortati fuerant reddidi. Iusti iudicis est non pro arbitrio, sed iuxta meriti qualitatem præmia uel supplicia rependere. Et quoniã opera externa animi sequuntur naturam, ut adparet ex dicto saluatoris Matt. 12. Aut facite arborem bonam &c. & eiusdem 15. Ex corde exeunt male cogitationes, homicidia, adulteria, &c. ideo dicit unicuique secundum opera sua reddere, cum tamen non opus externum, quemadmodum homines cum iudicant, sed animum maxime respiciat.

Vobis autem dico & cæteris qui Thyatiræ estis.] De hijs loquitur, quorum supra charitatem, ministerium, fidem, tolerantiam laudauit. Item de hijs qui & si non essent tantæ perfectionis, errori tamen Iezabelis, hoc est Nicolaitarum siue Cataphrygarum non consenserant: quemadmodum & septem illa, tempore Helia, uirorum milia, qui non curauerant genua sua ante Baal.

Qui non cognouerunt profunditatem sathanæ.] Vetus translatio habet, altitudinem, qua scilicet se extollit & similis deo uult haberi: quam altitudinem ipsi non agnouerunt, hoc est non probauerunt tantum uerum dei cultum, id quod impostores pseudoprophetae pro cultu dei docuerunt. Item profunditas sathanæ, sunt abdita & latentes illius cogitationes in specie bonæ & honestæ apparentes quando se in angelum lucis transformant: quas profundas cogitationes Paulus apostolus dicit se non ignorare.

Quemadmodum dicunt.] Subaudi, Ipsi hæretici impostores altitudinem siue profunditatem, hoc est profunda dei mysteria, suam doctrinam iactabant, cum reuera essent pestiferi errores, & ipsius Sathanæ profundæ cogitationes.

Non mittam super uos aliud pondus.] Proprium hæreticorum est gravare ecclesiam ceremonijs, cum contra Christus dicat, Iugum meum commodum, &c. Item Act. 15. Quid tentatis iugum graue imponere &c. Et Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Item quæ in epist. ad Galat. de libertate Christiana.

Christiana. Quanquam sunt qui hoc loco pondus intelligant, de animi dolore & cordis amaritudine piorum super huius errore, quem ferre cogerentur, donec ueniens Christus sua uisitatione illos liberaret. Mihi tamen prior expositio magis probatur propter id quod sequitur.

Tamen id quod habetis tenete donec ueniam.] Iubet ut recepta ab apostolis dogmata, simpliciter & inconcussa teneant; quemadmodum Paulus Gal. 1. Licet nos aut angelus de cœlo euangelizet uobis, præterquam quod euangelizatum uobis, anathema sit.

Donec ueniam.] Subaudi iudicaturus omnes impios, & liberaturus pios, ut sequentia indicant.

Et qui uicerit & custodierit usque in finem opera mea.] Vicerit, non consentiendo pestiferæ doctrinæ erroribus. Custodierit opera mea, hoc est, studiose adimplere curauerit quæ ego docui & præcepi: nempe fidem in unum deum patrem, charitatem in proximum, & omnimodam sui abnegationem per crucis tolerantiam, sobrie & iuste & pie uiuendo in hoc sæculo nequam: quæ unica iustitia est, & solus ac uerus dei cultus.

Dabo illi potestatem super gentes.] Gentes uocat quoslibet falsa religione detentos, adeoque præter ac sine dei metu uiuētes, super quos tandem pijs accipient imperij potestatem. Necessè enim est, ut ueritati tandem cedat mendacium, sathanas Christo, pijs impijs. Id quod cum in presenti, tum in fine tandem sæculi fit. In presenti quidem, dum agnitis per Euangelij prædicationem erroribus ueritas suscipitur, quemadmodum Psal. 2. & 110. Sic Sauli Dauid tandem post multas afflictiones in regno succedit, Psal. 149. Item Luc. 1. Deposuit potentes. Et 1. Cor. 6. Nescitis quia sancti de hoc mundo iudicabunt. Id quod in fine mundi plenissime fiet, Matth. 19.

Tanquam uasa figuli confringentur.] Vasa figulina sumus omnes natura, adeoque nisi è cœlo robur & fortitudinem spiritus induiti, absque ullo negotio confringimur, imò uel nobisipsis permitti, nostra sponte collabimur. Qui igitur huius testacea uasa aduersus cœlestem fortitudinem consistent?

Sicut & ego accepi à patre meo.] Christus dominus, qui se imitandi exemplum proponit, collatis sibi à patre præmijs, alacres reddit.

Et dabo illi stellam matutinam.] Hi qui spe resurrectionis ardua tentant, solam immortalitatis in immortaliam corpore, quasi stella matutina imminentem diem, quodammodo alijs ostentant. Vel dabo illi stellam matutinam, hoc est, illustrem illum præ cæteris faciam: quemadmodum stella illa cæteris præclarior est, iuxta Daniel. 12. cap. Qui ad iustitiam erudierint multos &c. Et 1. Cor. 15. Stella differt à stella in claritate.

Qui habet aurem &c.] Rursus admonemur mysterij.

C A P V T III.

T angelo ecclesiæ Sardis, scribe, Hæc dicit qui habet septem spiritus dei, & septem stellas, Scio opera tua quia nomen habes quod uiuas, & mortuus es. Esto uigilans, & confirma cætera quæ mortura erant. Nō enim inueni opera tua plena coram deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris: & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non uigilaueris, ueniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora ueniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt

uestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui uicerit, sic uestietur uestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro uitae, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Et angelo Philadelphiae ecclesiae scribe, Haec dicit sanctus & uerus, qui habet clauem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere: quia modicum habes uirtutem, & seruasti uerbum meum, & non negasti nomen meum. Ecce dabo de synagoga sathanæ, qui dicunt se ludæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut ueniant, & adorent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te, quoniam seruasti uerbū patientiae meae, & ego seruabo te ab hora tentationis, quae uentura est in orbem uniuersum tentare habitantes in terra. Ecce uenio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui uicerit: faciam illum columnam in templo dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen dei mei, & nomē ciuitatis dei mei nouae Ierusalem, quae descendit de caelo à deo meo, & nomē meum nouum. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Et angelo Laodiceae ecclesiae scribe, Haec dicit, Amen testis fidelis & uerus, qui est principium creaturae dei. Scio opera tua, quod nec frigidus es, nec calidus, utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiā te euomere ex ore meo: quia dicis, Diues sum, et locupletatus, & nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, & pauper, et caecus, & nudus. Suadco tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias: & uestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae, & collyrio inunge oculos tuos ut uideas. Ego quos amo, arguo & castigo. Aemulare ergo, & patientiam age. Ecce sto ad ostiū & pulso: Si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam: intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum. Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego uici, & confedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesijs.



In angelo ecclesiae quae est Sardis, scribe. Inter huius ecclesiae episcopos, preclarus habetur Melito, uir admodum eruditus iuxta quosdam. Inter plura quae adidit uolumina, unum appologeticum pro Christiano dogmate ad Antoninum Verum Rom. Caesarem conscripsit. Aliud quoque de Apocalypsi Iohannis, teste Hiero. in Catal. script. eccle. Atque de eo plura Euseb. eccl. hist. lib. 4. cap. 26. Huius Melitonis Polycrates Ephesorum episcopus, cum caeteris Asiae episcopis in epistola ad Victorem Romanae ecclesiae episcopum, huius uerbis mentionem faciunt: Quid necesse est, inquiunt, Sagaris episcopi & martyris recordari, qui in Laodicea soporatur, & Papyrii beati, & Melitonis in sancto spiritu eunuchi, qui semper domino seruiens, positus est in Sardis, & expectat in aduentu

aduentus eius resurrectionē: Hæc apud Hiero. in Catal. Sed qui eū præcesserint in eiusdē ecclesiæ ministerio, uel q̄s habuerit successores, non memini me legere.

Hæc dicit qui habet septē spiritus dei, & septem stellas.] Quando Christus is est qui mortuos uiuificat, Iohan. 5. recte hoc loco, mortuos uiuificaturus, Spiritum uiuificantem in manu sua, hoc est in potestate se habere gloriatur. Nam filius quos uult uiuificat, Iohan. 5. & Spiritus est qui uiuificat Iohan. 6. Hoc est uirtus diuinitatis in carne latens uiuificat, quæ per se absq̄ diuinitatis latente in ea uirtute, nihil huius præstare posset. Recte igitur Septem spiritus, septiformem illum spiritum, hoc est, donorum dei per quæ ornatur & perficitur ecclesia, uersitatem, quem Christus suppeditat, acceperimus. Quanc̄ sunt qui per septem spiritus uersitatem spirituum cœlestium, per quos Christus inuisibili operares ecclesiæ suæ dispensat & moderatur, accipiūt: siue etiam ecclesiarū præfectos, ut idem sint septē spiritus, & septem stellæ, iuxta illud supra 1. cap. Septem stellæ angeli sunt septem ecclesiarum.

Scio opera tua, quia nomen habes quod uiuas.] Sardienfes in eo potissimū increpare uidetur, quod externis quibusdā ritibus & ceremonijs, in speciē Christianismum præferebant, uirtutem uero eius ignorabāt, adeoq̄ egregios agebant hypocritas, et erant, quemadmodum Christus pharisæos adpellat, sepulchra dealbata. Hunc in modū & Paulus uiduam quæ in delicijs agit, uiuentem mortuam uocat, quod professione & specie sanctimoniam pollicens, delicias hoc nomine secetur. Adeo res quæ corā deo non est, quamlibet mundo esse adpareat, in scriptura, nō esse dicitur. Sic Dauid coram deo erat rex, etiam quando extorris erat, Saule interim in speciem coram mundo regnante, nec tamē præstante quæ regis erant, quæ Dauid interim præstabat: nam hostes populi dei fundebat, populum defendebat, oppressos ære alieno, qui ad eum confugerant, fouebat: quæ omnino regis erant &c. Sic Christus magnum sacerdotem & legis interpretem re ipsa coram deo agebat. Contra uero sacerdotes, quamlibet coram mundo sacerdotium præferebant, spiritum tamen prorsus uacui, nihil horum præstabant, quæ spiritus per externa illa exposcebat, Igitur Christum uere agnoscere per fidem, est uitam habere, Iohan. 17. Solo autem nomine illum præferre, est mortuum esse, Iohan. 3. Qui non credit, manet in morte. Res uiuacissima et operosa est fides, quæ nō nisi spiritu dei, menti inditur. Cōtra uero fides hystorica, quæ nihil differt ab opinione, torporem atq̄ inertiam subinde habet comitem: propterea excitat dicens.

Esto uigilans & cōfirma cætera quæ moritura erāt.] Vbi præfecti & seniores ecclesiæ torpent, & segniter muneris suo inseruiūt, rursus emoriunt quæ aliorū sedulitate nata sunt. Simile est in hortorū satis. Vnde Paul. in Cor. Ego plantaui, Appollo rigauit, Et Christus Petro, Tu aliquādo conuersus cōfirma fratres tuos.

Non inuenio opera tua plena coram deo.] Queritur fidem illis deesse quæ per dilectionē operetur, iuxta illud, Populus hic me labijs honorat &c. Item, Dicunt se nosse deum. Item, In tempore tentationis recedūt. Et 1. Iohan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, Plena coram deo. Nam homines fallere possunt, & quemadmodum pharisæi coram mundo iusti uideri: quanc̄ olim quoq̄ ex fructibus adparebit fucū fuisse. Opera igitur plena corā deo sunt, quæ studio prouehendæ gloriæ dei, & lucrādī animas fratrū, adeoq̄ ex animo fiunt, syncera & suco prorsus carentia, quemadmodū Paulus 1. Tim. 1. docet, Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Item 1. Iohan. 3. Filii, ne diligamus uerbo neq̄ lingua, sed opere et ueritate. Per hoc cognoscimus quod ex ueritate sumus, & in conspectu eius suadebimus cordibus nostris &c.

In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris & serua. &c.] Acceptæ ab apostolis doctrinæ monet ut sedulo incumbât, quam à pseudoapostolis impugnata uindicent, ac apostolorū parta labore fortiter tueantur; item & neglecta sarcire modis omnibus studeant. Hoc namq; sibi uult huiusmodi uerborū inculcatio. Huc uero pertinet parabola de talentis. Item 2. Cor. 6. Hortamur ne inuacuum gratiam dei recipiatis. Apostoli in prophetarū laborem introierūt, & illum miris modis reddiderunt illustriorem: nam quæ illi ad Iudæos ac uicinos tantum gentes, hī per orbem fere uniuersum prouexerunt, nempe cultum unius ac ueri dei. Quam oro satisfactionem nos exhibebimus Christo, qui in laborem apostolorum & sanctorum martyrum introiimus, & multorum milium talentorum curam suscepimus, nempe totum ferè orbem, neq; illa non modo non auctiora, sed etiam multis numeris contractiora, serui nequam & inutiles, reddidimus.

Si ergo non uigilaueris, ueniã ad te tanq; fur.] Huc faciunt parabola serui nequam, furis, Heri, & sponsi, Matth. 24. & 25. item Marci 13.

Habes pauca nomina & Sardis, qui non inquinata.] Significat hanc incruptionem non ad totam ecclesiam, sed ad aliquos de ecclesia pertinere, ne bonorum animos deiciat. Pauca nomina, ex hominū more, quo delecti ad senatum, ad militiam, ad hæreditatē consequendam, nominatim recensentur ex libro, de sumptum est simile. Ad quem morem subinde alludit scriptura, ubi mentionē de noībus scriptis in cœlo & in libro uitæ crebro facit. Pauca itaq; nomina perinde est atq; dicat, nominatos, id est, ex nomine mihi cognitos, quorum fidem moresq; approbo, quosq; diligo. Nam quos diligimus adeoq; dignamur honore, suis proprijs nominibus, & ijs quidem honestis, compellamus.

Qui non inquinauerunt.] Hoc est nō consenserunt impietatis erroribus, ut à simplici apostolorum cum doctrina, tum cultu dei, desciscerent. Nam ita de Salomone dictum est, Dedisti maculam in gloria tua, quod uxorū alienigenarū causa, idola coluerit, & templa ædificarit. Nusquam enim foedior quàm in bysso munda, adparet macula: sic in hīs qui dei populum se iactitant, maxime uero in hīs qui præsumunt populo dei. Huc faciunt quæ legis in libro Leuit. cap. 21. de hīs qui à ministerio altaris arcendi. Item in priori ad Timo. cap. 3.

Sed ambulabūt mecum in albis quia digni sunt.] Albus color innocentia pariter & uictoria, adeoq; & felicitati seruit. Huic expositioni de nominibus & de uestimentis albis, quadrant ea quæ sequuntur.

Qui uicerit, sic uestietur uestimentis albis, & non delebo.] Cum ait, Qui uicerit, sic uestietur & simul significat eum qui non uicerit, & tanq; imbellis & ignauus cesserit in hoc certamine, impio cōsentiendo errori, in gloriam abijciendum, ac nomen illius è libro uitæ expungendum.

Et confitebor nomen eius corā patre meo.] Id quod Christus alicubi, Quē non puduerit mei corā hac peccatrice generatione &c. nō pudebit me illius &c. Est autem consolatio aduersus pudorem, quando nō consentientes errori, à coetu tanquam male sentientes de fide prohibemur.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat eccl.] Solita cum asseuerationis tum excitationis particula est, ne stertentes audiamus.

Et angelo Philadelphiensis ecclesie scribe.] Et ad hanc quoq; ecclesiam extat Epist. Beati Egnatii martyris, in qua de uera Christi diuinitate pariter & humanitate aduersus pestiferos Simonis Magi et Hebionis errores, præterea & contra Nicolaitarū iniquas mixtiones. Optandū uero esset ut ex Græco fonte haberentur huiusmodi epistolæ. Nam ut adparet, uidentur hæ quæ uulgo circūferuntur,

tur, ab ecclesiasticis ad suum statuendum super omnes primatum, aliq̄t locis falsata.
 Hac dicit sanctus & uerax.] Descriptio est filij dei iuxta aliam eius proprietatem, nimirum, quod solus ille salutari & ueridica fidei doctrina mentes credentium sanctificet, cui & Seraphim in Esa. cap. 6. ter Sanctus acclamant, & de quo Petrus Act. 15. Fide purificans corda eorū. Hac purificandi & sanctificandi sunt, qui domino appropriāt, id quod frequenter in lege & prophetis præcipitur. Verax, quod solus uera, hoc est certa, solida, & infallibilia, doceat. Item quod fidem seruet in promissis, non obstantibus nostris iniquitatibus, Rom. 3.

Qui habet clauem Dauid.] Clauium metaphora, non solum in scriptura, sed etiam ex consuetudine humana, plenariam regni, siue urbis, siue domus potestatem & administrationē significat: qualem habebat Ioseph in regno Pharaonis regis Aegypti, & Eliakim in domo Ezechiae regis Iuda, Esa. 22. Sic Christus dominus de semine Dauid secundū carnem, in regno patris cœlestis omnem habet potestatem, quemadmodū supra i. cap. dixit, Habeo clauēs mortis & inferni. Est præterea clauis quædam scientiæ, hoc est potestas & uis quædam spiritus penetrandi ad scripturarū mysteria, & ea aperiendi, Cuius abusum opprobrat Christus pharisæis & legis peritis Luc. 11. quod mysteria futuri Messia & regni eius non modo ipsi non inquirerent ut alios docerent, sed & ea inquirentes prohiberent. Atq; hanc clauem Christus discipulis tradidit, quando à resurrectione sensum eis aperuit ut intelligerēt scripturas, & subinde spiritū missit omnis doctorem ueritatis. Porro Dauidem hoc loco per antonomasiam pro omnibus prophetis posuisse uidetur, quod illi clarius quàm cæteris mysteria regni Christi reuelata sint.

Aperit & nemo claudit.] Quæcunq; egerit rata habentur. Sic Christus Petro, Quæcunq; solueris &c. Mira uero hinc iactant pontificij de clauū potestate, qui tamen, quādo ipsissimus mundus sunt, adeoq; spiritū sanctū accipere nō possunt, neq; ullam clauium habent potestatem coram deo, quamlibet eam externe et de facto sibi usurpent, nimirū potestatem scripturas interpretandi, quam scientiæ apellant, & iudicandi, quam potestatis uocant.

Scio opa tua.] Cōmendationis est hoc loco, quemadmodū sequētia indicāt.
 Ecce dedi coram te ostium apertū, & nemo potest claudere illud.] Paulus 2. Cor. cap. 2. & aliās gloriatur sibi apertum ostium, hoc est facultatem diuinitus datam, qua per uerbum Euangelij ad corda gentium penetraret. Hunc in modū & præsentem locum accipiendū puto, nempe uiam factam à Christo, qua Philadelphien. ecclesia, alias ad fidem Christi esset pellectura, quamlibet obstreperent aduersarij, siue Iudei, siue Gentes, siue etiam pseudoapostoli. Hoc igitur est quod ait, Nemo potest claudere, id est, nemo prohibere poterit, quā Euangelij meum ad multos sitis prouecturi.

Quia modicam habes uirtutem.] Ethologia est, id est, causæ redditio. Quasi dicat, Quia uelles ad Euangelicam doctrinam multos pellicere, ad quod tamen propter fortes & plures aduersarios haud satis neruorum tibi sentis adesse, ecce ego dedi ante te ostium apertum, quo ad illorū, quos ego mihi delegi, uel inuitis aduersarijs, queas penetrare corda. Huc facit quod Christus de modico fermento, & grano sinapis, Luc. 13. Item parabola de talentis, quod hij qui probe utuntur concessis, quamlibet exiguis, maiora recipiunt dona. Aut forte modice erant illorum uires in comparatione aliarum urbium, & tamē Christi pollicitationibus freti, minis persecutorū contemptis, in fide Christi fortiter perstiterunt. Quemadmodū & hac nostra refflorescentis Euangelij tempestate uidemus oppida quædam, quibus exiguæ sunt uires, animose in confessione Christi agere, ubi fortiores trepidant.

COMMENTARIUS IN

Ecce do de synagoga sathanæ, qui dicunt se Iudæos esse.] Do, excito aduer-
sum te &c. quo fides tua tanquam igni probata spectatior alijs euadat ecclesijs.
In eum modum excitauit & Pharaonem aduersus populū suum. Est autē magnæ
consolationis, quod certo sciamus, nihil posse aduersus nos, ne cogitare quidem
aduersarios, nisi deus illos excitet. Porro ad nostri profectum illos excitare solet.

Ecce faciam illos ut ueniant & adorent ante pedes. Hoc pater promittit
Christo, Psal. 72. & 110. Item Philip. 2. Et apud Esa. Mihi curuabit omne genu.
Sic & Paulus legis antea strenuus zelator, supplex uenit ad pedes Ananiæ, ba-
ptisimum Christi suscepturus. Sic Galatæ Paulum tanquam angelum dei rece-
perunt. Ita & hos qui modo ex Iudæis tibi aduersantur, eò adigam ut uera te do-
cere agnoscant, & ad pedes tuos salutarem audituri doctrinam resideant.

Et sciant quod ego dilexi te quoniã seruasti sermonem patientiæ meæ.] Ex
multa dei in nos dilectione, & dei in nobis dona proueniūt, inter quæ admodum
excellit donum patientiæ in aduersis, quæ pro fide Christi inferuntur. Est autem
sermo patientiæ sermo crucis, quemadmodum Paulus uocat 1. Cor. 1. Et hæc est
Christiani pectoris sapientia, Scire Iesum esse Christum, & hunc pro peccatis no-
stris crucifixum. Qui hunc sermonem simplici fide & posthabitis argutijs credit,
ab omni hæresum tentatione, quæ in orbem uniuersum uentura est quo proben-
tur electi, securus consistet.

Et ego seruabo te ab hora tentationis quæ uentura est.] Si nobis illarum
ecclesiarū cognitiæ forent hystoriæ, facilior esset expositio. Fieri enim potest quod
Philadelphien. ecclesia, cæteris ecclesijs feruentius atq; cōstantius in Euangelico
negotio egerint, perferendo grauem aliquā persequutionē. Aut forte propheta
est de futuro, nondum adimpleta, sed adimplenda olim ubi ad fidem redierint, id
quod speramus & toto pectore optamus. Sunt tamē qui hoc ad uniuersam omnino
ecclesiam, sub extrema Antichristi persequutione, pertinere putēt, quod in sexto
narretur ordine, quo tempore bona Iudæorū pars, purgata ecclesia à papisticis
errorum abominationibus, & redacta ad puriorem sensum scriptura, Christi fi-
dem agnoscent, ut Rom. 11. Paulus dicere uidetur.

Ecce uenio cito.] Consolatio est, ut fortiter interim ferant aduersa, breui
adfore qui opem ferat, quemadmodum ubiq; ferē scriptura pollicetur adflicis.

Tene quod habes.] Fidem receptam ne desere iubente persequutore, uel
commissa functione probe utere, ne te abijciam uelut inutilem seruum, Matt. 25.

Vt nemo accipiat coronā tuam.] Ne unus quidem ex electorū numero de-
peribit, iuxta illud, Vobis oportebat primū loqui uerbū dei, sed quia repellitis &
redditis uos indignos, ecce conuertimur ad gentes, Act. 13. Huc facit parabola de
uocatis ad nuptias & contemnentibus uenire. Item de Iuda, pditore dñi, in cuius
locū surrogatus fuit Mathias. Porro ex huius scripturæ locis, nemo putet diuinā
prædestinationē irritā iri, uel abs quis hominū posse præuerti: quam oportet oīno
infallibilem & immutabile esse, iuxta illud Io. 10. Et nō rapiet eas quisq; de manu
mea. Item Rom. 8. 2. Tim. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ &c. Sed quicūq;
excidūt, nuncq; fuerūt ex prædestinatis illis & electis, quamlibet iuxta faciē eccle-
siæ electorū ad tempus fuerint accensiti, iuxta illud 1. Io. 2. Exierūt ex nobis &c.

Qui uicerit faciā eum columnā.] Columnas nō modo oportet per se firmas
esse, sed & totā ædificij molem sustinere: ita & hī columnarū uice in ecclesia ha-
bendi, qui nō solū per se cōstanter in aduersis agunt, neq; ullo pacto cedūt aduer-
sarijs, sed & alios labascentes corroborant, dū illis ad memoriā reuocant dei pro-
missiones, magnitudinem præmiorū, adflicionum breuitatem, & id genus alia,
quemad

quemadmodū seruator Matth. 10. Epist. ad Heb. sub fi. cap. 10. & 11. per totum.
Et foras non egredietur.] Securus iam de corona, quemadmodum Apo-
stolus Rom. 8. cap. sub finem.

Et scribā super eum nomē dei mei & no. ciui.] Solent præcipuarū capitella
columnarū titulis et inscriptionibus insigniri; qua similitudine significatur, eorū
qui fortiter egerint in ecclesia dei, fidem, charitatē, constantiā, & res præclare ge-
stas, in recordatione esse corā deo, corā angelis & electis dei, cum nihil minus ap-
pareat mundo, q̄ esse filios dei electos, quos tam cōtemptim habere uisus sit pater.
Porrò alluisse uidetur ad humanā consuetudinē, apud quos usus obtinuerat, ut
fortissimis heroibus, qui rem publicam graui aliquo periculo liberarant, statuar, colossi,
atq; arcus triumphales, cum inscriptionibus rerum bene gestarū, in foro
publico decernerentur, quo alijs ad similia patrāda facinora calcar admouerent.

Qui habet aurē audiat, quid spiritus dicat eccl.] Vel hac tam crebro repe-
ta particula, & huius admoneri nos puto, quod sæpius prophetæ repetunt, Hęc
dicit dñs, ne segniter & neglectim v̄ba dei tanq; humana accipiamus commenta.
Quo nihil magis curat sathan, q̄ ut dei uerbis autoritatē derogat, quemadmodū
ex historia serpentis Gen. 3. liquet. Id quod ferē nobis cum huius libri autoritate
contigit, idcirco toties ingeminat spiritus, haud humanæ cogitationis esse uerba.

Et angelo Laodicensiu ecclesiæ scribe, Hęc dicit Amen.] Laodiceæ memi-
nit Paulus in epist. ad Coloss. sub finem. Similiter & Melito, ecclesiæ quæ Sardis
erat Antistes, in libello de paschate hjs uerbis, Sub Sergio, inquit, Paulo præcon-
sule Asiæ, quo in tempore Sagaris martyrio coronatus est, quæstio ingens oborta
est apud Laodiceam de pascha &c. Lege Euseb. lib. eccl. hist. 4. cap. 26. Porrò de
huius ecclesiæ episcopis Socrate, Eusebio, Anatholio, Stephano, Theodoro apud
eundem Euseb. lib. Eccl. hist. 7. cap. 28. & 29.

Hęc dicit, Amen testis fidelis et uerus, principiu cre.] Descriptio Christi est,
qua interpretat dictio Hebraica Amen, quod ueritatē ac fidem sonat, et per anto-
nomasiam Christo congruit, imò proprium Christi epitethon est, uerax, fidelis.
Nam re ipsa cōprobat ac testificatur, patrem promissi esse seruantem, quādo iam
aderat qui promissus erat, sua impleturus munia. Præterea ipse cordium nostro-
rum, adeoq; totius uitæ nostræ inspector, testis, & iudex est: igitur non ille qui
seipsum commendat probatus est, sed quem deus commendat, 2. Cor. 10. cap.

Principiu creaturæ dei.] Cum quia uerbum ac omnipotens dei uirtus, per
quam facta sunt omnia, Iohan. 1. tum secundum hominem quoq; assumptū, pri-
mogenitus omnis creaturæ, Prouer. 8. Eph. 1. & Coloss. 1. in quo omnia inno-
uantur & pristina dignitati restituantur, Rom. 8.

Scio opera tua, quia neq; frigidus es neq; calidus.] Sic ubiq; spiritus dei oc-
cultas hominū cogitationes & studia traducit, & in faciem obtrudit, quo sibi ipsis
uilescant. Exemplum huius habes in Dauide, cui peccatum suum quod occul-
tum erat, per Nathan obtrudit, 2. Samuelis cap. 12. Increpat uero Laodicenses
quod tepide omnia & remisse agerent, nec sedulo pergerent in uia domini: uel
enim sibi nimium sapere uidebantur, aliorumq; doctrinam et consilia, ut sit, sper-
nabant, aut uana quadam securitate carnis torpebant: uel certe meticulosi ac pu-
sillanimes, cuticulæ suæ timentes, manifestis erroribus sese opponere detrecta-
bant, quemadmodū & Paulus quibusdam apud Galatas obprobrat. Alludit ue-
ro ad naturam aquæ tepidæ, quæ nauseam ac uomitū bibenti subinde solet pro-
uocare. Id quod saluator sub alia similitudine, Nemo, inquit, mittens manum ad
aratrum & aspiciens retro &c. Item 2. Pet. cap. 2. Melius erat illis uiam ueritatis

tis non agnoscere &c. Contra uero Paulus de seipso loquens, Philip. 3. Quæ res
tro sunt, inquit, obliuiscens, ad ea uero quæ à fronte sunt enitens &c.

Quia dicis diues sum & ditatus sum & nullius egeo.] Qui ob torporem &
carnis uanā securitatē ex cōmissis facultatibus negotiari negligunt, uelut inutiles
serui abijciunt, & pauperes fiunt, quemadmodū in parabola de talentis Christus.

Et nescis quod tu es miser & miserabilis.] Vel hoc ipso magis miserabilis,
quod ipse tuam ignores miseriam, quemadmodū & ægritudo latens perniciosior atq;
lætalior est, adeoq; digna commiseratione. Idem opprobriās Paulus Corinthiis fi-
gurato utitur sermone. Iam, inqt, saturati estis? Iam diuites facti estis? Sine nobis
regnatis? Hactenus ironicōs dictū, deinde subiungit, Atq; utinam regnetis. Quo
significat illos tantū opinione ppria, haud re ipsa regnare, perinde & Laodiceñ.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.] Aurum cōtra paupertatem, Ve-
stimenta alba cōtra nuditatem, Collyriū contra cæcitatem. Ego per hæc, quando
Laodiceñ, uana scientia erant inflati, purum fidei sensum, ac ueram scripturarū
intelligentiā, nempe de deo, adeoq; de Christo suo, de illius cum regno tum uero
in spiritu cultu, quæ fides uelut igni probata in tentatione possit cōsistere, accipio,
iuxta illud, Eloquia dñi casta, igni probata, &c. Item illud 1. Cor. 3. Vniuscuiusq;
opus quale sit, ignis probabit. Idem & de Veste patet, per eum qui è nuptiis fuit
eiectus, quod non esset uestitus ueste nuptiali, hoc est, quod cū non ex corde crea-
deret, auderet tamen sese consortio miscere credentium. Tales erant Iudas, Ana-
nias & Simon magus. Iam manifestū quoq; est, Cæcitatem, fidei in scripturis op-
poni, ut Iohan. 9. cap. In iudiciū uenit filius hominis in mundum, ut qui non ui-
dent, uideāt, & qui uident cæci fiant. Item illud Esa. 6. Excæca cor populi huius,
ut uidentes non uideant. Ita superbi pharisæi, scientia legis & iustitia operum in-
flati, reijciuntur. Contra uero stulti de suis cum scientia tum meritis desperantes,
ac soli misericordiæ dei per Christū fidentes, illuminant, iuxta illud, Qui uoluerit
inter uos esse sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens. Ita hodie nostri religiosi, præ-
terea & Anabaptistarū factio, qui spiritū iactitant in omnibus quæ uel somniant,
& suis fidunt operibus, Laodiceñ, similes sunt. Verum sunt qui Collyrium hu-
militatem exponant, quibus non aduersamur, modo nobis permittant suū ppius
cognitionē, qua quis sibi uilescat, de suis uiribus desperet, seipsum cunctis inferio-
rem existimet, nō nisi ex ipsa fidei puritate nobis innasci, qua remissionē peccati,
ueram iustitiam, adeoq; salutem, unum Christū nobis peperisse, persuasi sumus.

Ego quoscunq; amo, arguo & castigo.] Promitigatio est, nam propter eos
qui uel nō erant in culpa, uel qui sanabiles erant, rursus lenit ea quæ seuerius di-
xisse uidebatur, ne si prorsus abijci se putent, animum despondeant, iuxta illud
Matth. 12. Arundinem quassaram nō confringet, & linum fumigans non extrin-
guet: quod ex Esa. 42. desumptū & in Christo adimpletū. Porro hæc sententia
Ego quos amo &c. ex Prouer. Salo. cap. 3. adducta, quā & autor epist. ad Heb.
ad tolerantiam malorū cohortans, adducit. Hac & Iohan. ad agendam pœnitenti-
am utitur. Aemulare, inquit, & age pœnitentiā. Quo significat fuisse in ea eccle-
sia aliquos pios, quorū studio ac sedulitate alios ad emulationem prouocari opor-
tebat, quo minus ij, qui id nollent, essent excusabiles.

Ecce sto ad ostium & pulso, Si quis audierit.] Fiduciam eorū quæ deerant
petendī, ijs uerbis ingerit, quando ipse nos præuertat, & ut petamus nos prouo-
cet, adeoq; omnino proniorem se ad miserendum & ad opem ferendū esse, quam
nos ad expetendū significat. Porro uoluptas, quam habet Christus in exhibendo
hij quæ humiliter & fidenter postulamus, cœnæ comparatur.

Qui

Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.] Qui hortatur ut uiuant, in certamine illos positos significat. Sedere uero cum eo, est regni illius esse consortem. Sicut & ego uici, nimirum moriendo testimoniū ueritati perhibens: ita et nos ubi ueritatē dei testificantes occidimur, uincimus, iuxta illud, Si compatimur & conregnabimus. Item, Sedere fecit nos cum Christo in cœlestibus.

Qui habet aurem.] Commoratio est, qua uult nobis, alta mente repositum, ut audiamus omni cum timore, quid spiritus dicat ecclesijs; nam quod uni dicit, omnibus dicit.

C A P V T III.

Rost hęc uidi, & ecce ostium apertū in cœlo, & uox prima quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens, Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri cito. Post hęc, statim fui in spiritu. Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis: & iris erat in circumitu sedis, similis uisioni smaragdinae. Et in circumitu sedis, sedilia uiginti quatuor: & supra thronos, uiginti quatuor seniores sedētes, circumamicti uestimentis albis, & in capitibus suis coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et uoces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronū, quæ sunt septem spiritus dei. Et in conspectu sedis tanquam mare uitreū simile crystallo: & in medio sedis & in circumitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum simile leoni: & secundum animal, simile uitulo: & tertium animal, habēs faciem uelut hominis: & quartum animal, simile aquilæ uolanti. Et quatuor animalia singula eorū habebant alas senas in circumitu: & intus plena sunt oculis, & requiem nō habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui uenturus est. Et cū darent illa animalia gloriam & honorem et benedictionem sedenti super thronum, uiuenti in sæcula sæculorum, procidebant uiginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant uiuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes, Dignus es domine deus noster accipere gloriam & honorem & uirtutem: quia tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam erant & creata sunt.

Rost hęc uidi, & ecce ostium apertum in cœlo.] Cœlum hoc loco pronoua ac cœlesti uita, ad quam per Christi spiritum renati sunt credentes, accipitur: quemadmodū Paulus Rom. 6. & Eph. 2. Item Philip. 3. Nostra cōuersatio in cœlis est. Porrò, ostium, ad uitam illam significat accessum, quem nobis Christus seruator fecit, iuxta illud Psal. Notas mihi fecisti uias uitæ, & illud Heb. 10. Cum igitur fratres habeamus libertatē adeundi in sancta per sanguinem Iesu, ea uia quam dedicauit nobis recentem, ac uiuentem &c. Est autem allusio ad sancta sanctorum ueteris tabernaculi, ad quæ nulli mortalium patebat ingressus, præterquam uni summo sacerdoti: atq; hoc semel dumtaxat in anno, nempe in festo quo propiciatio peccatorum fiebat secundum legem: neq; id sine

sanguine. Quæ omnia umbræ fuerunt & per Christum adimpleta: id quod scissum in morte eius templi uelum significat, quo iam etiam reliquis tabernaculi ministris, adeoque omni credentium populo pateret ingressus in sancta sanctorum, ad contemplanda quæ intus erant obuelata.

Et uox prima quam audiui tanquam tubæ.] Iudiciariam Christi potestatem à patre cœlesti ei collatam, qua suam ecclesiam ab aduersaria potestate uindictat, magnificentissime describit, uerbis tamen quibus potest humana imbecillitas de tantis rebus loqui, Et primo quantum ad iudicis maiestatem, quam cum ex ipso throno, tum ex personæ ipsius habitu, maxime uero ex ministrorum cum præstantia tum numerositate. Similem ferè in modum eandem describunt prophætæ, Esa. cap. 6. Ezech. cap. 1. & 20. Micheas 1. Reg. cap. ult. & Dan. 7. cap. quibus significatur, Christum, electo huius mundi principe, regno magnifice inauguratum, quemadmodum Apostolus 1. Cor. 15. Oportet autem illum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Item Ephes. 4. Ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et Phil. 2. Exaltauit illum &c.

Et ecce sedes posita & supra sedem sedens.] De throno siue sede dei, multa subinde in Psalmis, ut Psal. 45. Sedes tua in sæculum sæculi. Item 92. Parata sedes tua ex tunc. Significatur uero per hæc, regni eius stabilitas, quemadmodum & in Daniele, Regnum tuum regnum omnium sæculorum.

Et qui sedebat similis erat aspectu iaspidi & sardio.] Per huiusmodi nihil aliud quam cœlestem ac diuinum quendam fulgorem coruscantem, Iudicis Christi cum maiestatem tum potentiam omnibus formidabilem, & prorsus inuisitabilem, præ se ferentem, intelligo. Solent enim regum solia, cultu quodam mirabili adornari, ut ipsi inde cunctis & admirationi sint & terrori. Qua ratione puto deum sub huiusmodi spectri effigie, seruo suo Mosi & 70. senioribus Exo. 24. deinde Esa. & Ezech. prophetis apparuisse. Porro iaspidem quidem aquæ, sardium uero ignis speciem præ se ferre aiunt; quibus datur intelligi in aqua & in igne dominum suum facere iudicia solitum; quemadmodum Gen. 7. & 19. Exod. 14. & 2. Pet. ultimo, ac multis alijs scripturæ locis.

Et iris erat in circuitu sedis.] Iris reconciliati, per Christum, dei, signum est, id quod credentes intelligunt, Gen. 9. Porro Smaragdum tanto ferunt præditum uirore, ut omnia iuxta posita uirescere faciat. Sic per Christum mundus innouatur & reflorescit, quemadmodum eleganter atque pie Lactantius in carmine paschali.

Et in circuitu sedis sedilia uiginti quatuor.] Alludit ad morem optime instituti regni, ubi reges ac principes in re, præsertim admodum graui, sententiam laturi, id non sine magna seniorum, rerum agendarum usu ac optimarum legum scientia pollentium, faciunt corona, ne suo quenquam uideantur damnare arbitrio. Vnde & hac allusione, deum iustissimum iudicem declarat, cuius sententiam omnes omnino iusti probaturi & collaudaturi sint, tanquam omnium multo iustissimam. Simile & in Daniele legis, cap. 7. Porro per uiginti quatuor seniores, intelligo cum ueteris synagogæ patriarchas & prophetas, tum ecclesiæ noui testamenti Apostolos, Euangelistas & doctores, ac utriusque populi pios reges ac iudices. Hijs enim tam in ueteri quam in noua lege, seniorum censentur nomine, Exo. 24. Num. 11. Item in Euangelica historia, Act. apostol. cap. 20. & alijs crebro in apostolicis literis. Sedere autem dicuntur, quo significatur iudiciariæ simul cum Christo potestatis consortium, iuxta illud Matth. 19. Sedebitis & super sedes duodecim &c. Et 1. Cor. 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt.

Circumamicti stolis albis.] Quibus animi candor ac innocentia, ut omnia acquiescunt

aequissime, non iuxta affectus iudicent, significatur, Exod. 18. capit.

Et in capitibus eorum coronas aureas.] Quibus intelligo sensum fidei purissimum, quo de omnibus secundum dei iudicent arbitrium; ut quodcumque ipsi in terra iudicauerint, itidem & in caelo ratum quoque habeatur, iuxta illud Matt. 18. Quodcumque ligaueritis &c. Praeterea & uictoriarum & regni Christi significant consortium, iuxta illud in epist. ad Heb. 11. Sancti per fidem uicerunt regna.

Et de throno procedebant fulgura.] Apostolica praedicationis fulguri & tonitruo comparatur, quod per hanc annuncietur terror iudiciorum dei, quae manent incredulos, quae omnino sunt ineluctabilia. Id quod in Ezechiele, & infra in hoc libro significatur per animalia, quae non reuertebantur cum ambularent, & per quadrigas inter montes ferreos exeuntes, quae reuerti omnino nequeunt, Zach. 6. Hoc quod antiqui poetae quidam saniores, fati nomine intelligunt. Huc facit quod Christus ait de spiritu suo loquens, Ille arguet mundum de peccato, de iudicio & de iustitia. Id quod haud dubium factum fuit praedicationibus apostolis, tum enim facta sunt fulgura & tonitrua comminationum aduersus incredulos, Act. 2. 3. 10. & 13. cap. Habet & ecclesia Christi iudicium non minus formidandum; quando enim illud iuxta dei arbitrium fertur, etiam in caelo ratum habetur. Id quod frustra sibi Romanus pontifex arrogat, deum nimirum ignorans, Atque omnino impia est uox illa, Timendam esse illius sententiam, etiam iniuste latam; Quando Christus ait, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis pec. &c. quo duce errare non potest ecclesia, in ferendo sententiam. Alludit uero hic Iohannes ad iudicia dei, quae etiam olim exercuit in diluuiio, in Sodomis, in mari rubro, apud Aegyptum, in deserto, aduersus Senacherib, atque omnino aduersus rebelles & incredulos. De quibus item terroribus Exo. 19. Psal. 18. & 97. ac alias legis.

Et septem lampades ignis, ardentis ante thronum.] Quibus significatur septiformis dei spiritus, hoc est plenitudo & perfectio charismatum coelestium, quibus regnum Christi adornatur, Esa. 11. & 1. Cor. 12.

Et in conspectu sedis tanquam mare uitreum.] Calamitates huius saeculi, quibus carnis fetulentia repuretur, ac prauis illius affectus penitus mortificetur, nobis transeundas, quemadmodum & populum dei mare rubrum superare, priusquam terram repromissam ingrederentur, opportuit. Significantur uero coelestes illae ac spirituales aquae, quibus animarum purgatio & spiritualis regeneratio perficitur, quemadmodum Christus Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. &c. & 1. Pet. cap. 4. Porro, mare, Hebraico more dixit, qui quaslibet aquarum congregationes, maria uocare solent, quemadmodum priore libro Regum cap. 7. mare aeneum dictum est, in quo sacerdotes sacris operantur lauabant, & alijs quibusdam locis. Vitrum pellucidum est, quod aqua baptismi non tam corpus quam corda purificet ac pellucida reddat, etiam in externarum conuersatione, iuxta illud, Luceat lux uestra &c. Iam Crystallus aqua est, temporis diuturnitate in lapidis duriciem uersa; quales tandem euadere baptizatos oportet.

Et in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia.] Solia regum effigibus animalium quorundam cum fulcra tum ornari solitum est, 1. Reg. 10. Ita & diuersa animalia curribus triumphalibus iungi, & uictores huiusmodi pompa in urbem recipi, historijs proditum est. Eum in morem uidetur scriptura ipsi deo cum thronum tum currus triumphales affingere, Psal. 68. quem Paulus Eph. 4. adducit de Christi seruatoris loquens triumpho. Praeterea et in Canticis canticorum. Vnde quatuor illa animalia quidam intelligunt, coelestes illos & ministrant.

torios spiritus, qui ad quatuor cœli plagas, per quas Christi regnum, hoc est ecclesia, diffusum, ad exequendum ea quæ inscrutabili & aeterno dei consilio in rebus humanis decreta sunt fieri, destinantur, iuxta Epist. Heb. 2. cap.

[Plena oculis ante & retro.] Significat cœlestes illos spiritus, scientia cum præteritorum tum futurorum, qua utiq; opus est siue in bene instituendo siue in administrando regno, esse præditos.

[Et animal primū simile leoni & secundum simile uitulo.] In leone animositas & robur, in uitulo assiduitas & diligentia, in facie hominis prudentia ac rectum iudicium, in aquila pernicitas siue etiam facilitas, in suo ministerio perficiendo: quibus omnino opus habent ij qui regnum quodpiam probe ac feliciter administraturi sunt. Hinc in Psal. dominus dicitur insidere & inequitare Cherubim, quod per illos sua iudicia animose, diligenter & indefesse, prudenter ac magna celeritate perficiat. Tales et Ezechiel propheta Cherubim, qui solium dei iudicis suffulciant & exornēt, quibus et currus triumphalis illius uehatur, affingit. Et ne mireris, qd quatuor animalia Cherubim facimus, ipsum Ezechiel cap. 10. sequuti, ait enim, Et intellexi quod Cherubim essent. Et quatuor quoq; animalia unum facit, habens tamen quatuor huiusmodi facies siue formas, propter iam dictas uirtutes, quibus administratorij illi spiritus, quorum opera Christus in administratione regni sui utitur, præditi sunt.

[Singula eorum habebant alas senas.] In ea forma & Esa. cap. 6. Seraphim depingit. Duabus inquit uelabat faciem suam, & duabus obtegebat pedes suos, & duabus uolabat. Quod faciem suam obuelant, ad timorem sanctū, & reuerentiam erga summam dei maiestatem pertinet. In hoc enim indicant summam dei gloriam se minus sustinere posse. Aut certē ideo faciem & pedes suos obuelant, quo speciem suam (quæ pulcherrima est) cauent, ne quamuis creaturarum in sui admirationem præ conditoris gloria abducant: quemadmodum & 24. seniores, infra coronas abijciunt, adorantes uiuentem in sæcula. Quod uero duabus uolant, alacritas obedientiæ, ad ea quæ mittuntur perficienda, designatur.

[Et intus plena erant oculis.] Per hos plenitudinem scientiæ in rebus gerendis accipio.

[Et requiem non habebant die ac nocte di.] Studium & assiduitas illorum, in magnificanda & prædicanda creatoris & seruatoris dei bonitate insinuatur.

[Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus omnipotens.] Sanctus pater, Sanctus filius, Sanctus quoq; spiritus paracletus, unus dominus ac deus omnipotens, in cuius nomen & baptizamur credentes, iubente Christo Matt. ult. Pater sanctificat filium, quem & in mundum mittit, ut per mortem suam impetrato nobis spiritu, quo & nos quoq; sanctificemur, Ioan. 10. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes, Heb. 2. Oportebat igitur & nos miseros homines, in quorum gratiam omnia operatur diuina clementia quæcumq; sunt, Sanctos illos spiritus sedulo imitari, imo & mutas ac insensatas creaturas, quæ uniuersæ, iuxta suum quæq; captum, deum creatorem incessanter prædicāt, quem admodum est in Psalmis, & apud Esa. Plena est, inquit, omnis terra gloria eius. Quanc; uero per animalia illa, iuxta quorundam sententiam, Cherubim exposuerim, nō me tamen latet per Augustinū, & quosdam alios ex patribus, hic et in Ezechiele de quatuor animalibus dicta, ad quatuor Euangelistas referri, ut & quædam alia quæ angelis tribuuntur, ad ecclesiarum præfectos: tam & si in hoc quoq; uariant, quod Augustinus per leonem Matthæum, per hominem uero Marcum, Gregorius papa & alij contra, per leonem Marcū, per hominem uero Matthæum intelligant.

intelligent. Quibus tamen haud illibenter assentior, ut ut in hoc uariant, uel ob hanc causam, quod ab his Christus uictor aduersariarum potestatum, ceu curru triumphali per orbem uniuersum uehitur; modo ipsi nobis quoque permittant, ut ita Euangelistis hæc tribuamus, ne angelos excludamus. Sunt item qui per quatuor animalia intelligant quatuor principalia fidei Christianæ mysteria, nempe Incarnationis uerbi, quæ per faciem hominis, Passionis ac mortis, quæ uituli effigies, Resurrectionis ad uitam immortalem, quæ per leonem, Concensus in cœlum, qui per aquilam. Quæ quidē mysteria quatuor Euangelistæ, miro & exquisito spiritus artificio describunt, ac orbi inuehunt; atque tum cœptum est, deum patrem, deum filium, & deum spiritum sanctum, horum autorem mysteriorum, per orbem uniuersum deprædicari & decantari publice: de quibus antea in solo & exiguo Iudæorum populo, prophætæ diuinitus inspirati, ueluti per umbram & ferè anigmaticos, quædam delineauerunt. Neque requiem habebant die ac nocte, hoc est, neque in prospexeris neque in aduersis, neque regū terræ pollicitatione allecti, neque minis fracti, à prædicanda laude seruatoris uel per momentum cessarunt. Hæc omnia libenter accipimus, & fratribus cōmendamus. Verum non sunt audiendi pestilentes illi Romani pontificis adulatōres, qui hoc loco Cœlum faciunt uniuersalem ecclesiā, Sedem in eo positā, ecclesiæ Romanæ autoritatē, Agnum, Romanum pontificem Christi uicariū & successorem, Quatuor animalia, quatuor patriarchatus, maximam post Romanam ecclesiam habentes autoritatem, nempe Hierosolymitanū, Antiochenum, Alexandrinum, & Ephesinum. Porro uiginti quatuor seniores, sex in quolibet patriarchatu archiepiscopatus, ut uerbi gratia in Antiocheno, Mesopotamius, Niniuitanus, Babylonicus, Assyrius, Parthus, & Medus. Item in Ephesino, Smyrneñ, Pergameñ, Tyatireñ, Sardieñ, Philadelphieñ, & Laodiceñ. Perinde & in Hierosolymitano & Alexandrino. Sed hæc illi interim de Sacerdotio, Ecclesia, & Dominatione externa somniant, suo more deum suum Romanū pontificem magnificantes: nos scimus Christi & regnum & sacerdotiū in spiritu esse. Præterea, ubi tum erat sedes illa, quando ante Phocæ imperium Romanus pontifex nondum super omnes orbis ecclesias esset consequutus primatum? quemadmodum sole meridiano clarius sit, legenti epistolas Gregorij Romani episcopi, ad Mauriciū Imperatorem in Regestis eiusdem Gregorij. Præterea sub quo istorum quatuor patriarchatum sunt Archiepiscopi Italia, Lusitaniæ, Hispaniarum, Galliarum, Anglorū, Danorum, Sarmatarum, Hungarorum, Bohemorum, ac Germanorum? De qua re plura possent adduci, uerū sufficit paucis admonuisse lectorem diligentem, Sinamus ergo cacos illos, cæcorum duces.

Et cum darent illa animalia gloriam & honorem.] Hoc est, dum summis illius unius cum uirtutem tum beneficentiā attollerent laudibus, atque unum omnium clarissimū tam panegyricis sermonibus quàm canticis deprædicarent. Hoc enim est dare gloriam, dum summo cultu summaque obseruatiā seipsos suaque omnia illi impenderēt. Hoc enim est dare honorē, dum quicquid sunt, quicquid habent, eius unius benedictioni ferunt accepta, gratias agentes. Hoc enim est benedictionem dare deo, agnoscere cum gratiarum actione nos bona illius uoluntate esse id quod sumus, habere id quod habemus. Huius laudum deprædicatione, cultus obseruantiæque, proinde & beneficentiæ dei confessio, cum gratiarum actione, admodum frequens cum in Psalmis tum in literis apostolicis est.

Viuenti in sæcula sæculorum.] Hoc in consolationem piorum, siue de deo patre, ut quidam, accipias, siue de domino Iesu Christo, additur: quo minus dubia

tent, uel inuito mundo, gloriam & honorem & benedictionem dare deo, uident in saecula saeculorum, etiam si mortē ob id intentet mundus. Superstes enim manet uita illorum, Deus, quem illi eripere nequeunt, qui & ultor effusi sanguinis existit.

Procidunt uiginti quatuor seniores ante sedentem.] Dignum enim & iustum est, ut homines, quos deus prae angelica natura ineffabili sua bonitate adeo dignatus est (quemadmodum autor epistolae ad Hebraeos, cap. 2. clare demonstrat) illum ex intimis praecordiis atque unanimitatis uotis deprædicent, illi quantas possunt maximas gratias agant, quae sancta illa ac caelestia numina laudibus attollere nunquam cessant, neque ullis unquam temporibus laudando defatigantur, imò quando illi non tam propter beneficia sibi, quam nobis collata, eius bonitatem tam magnifice deprædicent. Praecipiunt igitur nobis sancti angeli, succinamus & nos pijs adeoque continuis animi uotis. Deinde & seniorum quoque exemplo, qui prociidunt coram facie sedentis, adorant, demittunt coronas suas, bonitatem illius maximam & inestimabilem confitentur, nimirum se gratia & misericordia dei, non suis meritis esse quod sunt, nos prociidamus ante faciem eius, adoremus, coronas, si quas dono accipimus, demittamus, illius unius bonitatem confitentes, et gratias agentes, congruamque morte aeterna liberatis, deinde uitam uisitantes, Rom. 6. Eant igitur nunc adulescentes illi, & Thronum faciant Romam, Sedentem in throno, deum suum Rom. pontificem, quem uniuersa caelorum cohors, omnesque pii adorent & colant. Oblaephemiam, o impietatem, quam tandem destruat deus. Amen.

Dignus es domine accipere gloriam & honorem & uirtutem.] Proxime haec tria posuit, gloriam, honorem, benedictionem. Hic loco benedictionis, uirtutem ponit, qua uidelicet aduersarias debellarit potestates, & in libertatem filiorum dei nos uindicarit.

Quia tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam erant & creata sunt.] Iuxta illud, Quis enim cognouit sensum dominici? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quonia ex ipso &c. Sicut igitur nullius omnino uel consilio uel ope uel merito, sed sola illius bona & gratuita uoluntate omnia primum creata: ita & recreata ac pristinae dignitati per Christi spiritum restituta sunt omnia, Coloss. 1.

CAPVT V.

ET uidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et uidi angelum fortem, & praedicantem uoce magna, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat neque in caelo, neque in terra, neque sub terra aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec uidere eum. Et unus de senioribus dicit mihi, Ne fleueris: ecce uicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & soluere septem signacula eius. Et uidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem: qui sunt septem spiritus dei, missi in omnem terram. Et uenit, & accepit de dextera sedentis in throno, librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & uiginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli

guli citharas & philas aureas plenas odorem, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum, dicentes, Dignus es domine accipere librum & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua et populo et natione, & fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et uidi, & audiui uocem angelorum multorum in circumitu throni & animalium & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium uoce magna, Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem, & diuinitatem, & sapientiã, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes, Sedit in throno, & agno, benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et uiginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas: & adorauerunt uiuentem in sæcula sæculorum.

T uidi in dextera sedentis super thronum librum.] In ueteri testamento mysteria regni Christi describuntur quidem, inuoluta tamen uarijs typis atq; umbris, adeoq; obscure & anigmatica, ut ante Christi mortem ne angelis quidem satis fuerit perspecta illa Euangelij gloria & claritas regni Christi, quemadmodum Paulus in Ephes. cap. 3. & 1. Pet. 1. cap. De quibus regni mysterijs canunt Psalmi, 2. 22. 45. 72. 110. 118. Item Esa. cap. 9. 11. 53. Item Dan. 7. cap. atq; multis alijs scripturæ locis est uidere. Hæc tamẽ mysteria, Christi aduentu subinde cœperunt fieri apertiora. Vnde & discipulis ait, Beati oculi uestri &c. Multi reges & prophetae uoluerunt uidere quæ uos uideris &c. Item Abraham exultauit ut uideret diem meum, hoc est gloriam regni mei &c. Item, Qui minor est in regno cœlorum, maior est Iohanne Baptista. Deinde Christi morte discisso templi uelo, patefacta sunt sancta sanctorum, ut apparerent hominibus conspectui quæ intus gererentur. Tum demum à resurrectione aperuit discipulis sensum, ut intelligerent scripturarum mysteria, missoq; post Cœlorum conscensum spiritu sancto, qui illos omnem edoceret ueritatem, multa ex Christi cum dictis tum factis intellexerunt, quæ antea ignorabant, quemadmodum ipsi aliquoties fatentur. Horum quædam eleganter aperit Paulus 2. Cor. 3. cap. & Gal. 4. & alijs locis. Item autor epist. ad Hebræos.

Librum scriptum.] Qui apud Esa. 29. cap. ne referari quidem poterat, tantum aberat ut à quoquam mortalium legeretur, futurum tamen uaticinatur, ut olim etiam surdi uerba huius libri essent audituri. Id quod per Christum fuisse adimpletum, Ioan. in hoc lib. testatur. Nam surdæ olim ad diuina oracula gentes conuersæ ad Christum, audierunt uerba libri, quem superciliosi legis doctores ne referare quidem potuerunt.

Intus & foris.] Ego non tam ad magnitudinem, quàm etiam ad multitudinem mysteriorum regni Christi puto referendum, & per similitudinem dictum, ubi scribentibus nobis ex uno latere, propter multitudinem eorum quæ scribenda sunt, carta deficit, etiam ex alio latere scribimus. Id quod alibi de dictis & factis Christi memorabilibus, per hyperbolen extulit Iohan. Mundum non posse capere eos, qui de huiusmodi cum dictis tum factis scribendi essent libri, si omnia cōscribere

oporteret. Quamquam haud displicet quod quidam dicunt, hoc schemate significari Euangelium intra uetus testamentum latere inclusum: siue, ut alij dicunt, in sacra historia ultra literam mysticum sensum de Christi cum sacerdotio tum regno latere inclusum, quem peruestigare oporteat diligentem lectorē, ueluti latentem sub testa nucleum.

Signatum sigillis septem.] In Esa. cap. 29. legimus signatum quoque librum. In Ezech. cap. 2. librum inuolutum. Item in Dan. cap. 12. ob signatam prophetiam. Quibus significari mihi uidetur, nullo humano ingenio posse peruestigari uniuersitatem mysteriorum quae continet scriptura, nisi uno Christo, habente clauem Dauid, subinde referante. Quamquam sunt, qui totam mysteriorum uniuersitatem ad septem principalia Christi mysteria referunt, quae sunt Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, Spiritus sancti missio, Gentium uocatio, Aduentus Christi ad iudicium, iuxta quod summarie in articulis fidei haec continentur.

Quis est dignus aperire librum.] Interrogatio haec per admirationem, rei difficultatem testatur. Proinde et desiderium patrum significare uidetur, ea cognoscendi, quae in regno Christi reuelanda erant, iuxta illud, Multi reges & prophetae &c. Admiranda enim & supra humanam aestimationem uidebantur, quae cum lex tum prophetae de hoc regno pollicebantur.

Et nemo poterat neque in caelo neque in terra.] Ex eo adparet id quod paulo ante diximus, ne angelis quidem cognitam fuisse eminentem illam Euangelij claritatem, donec illam ab ecclesia didicerunt, ut Paulus in Eph. 3. & 1. Pet. 1. cap. Sic neque sancti patres & prophetae, qui uita iam functi erant ante Christi aduentum, neque etiam hi qui tum super terram uiuebant, quamlibet siue philosophia siue legis diuinae scientia praediti, nedum non capere, sed ne aspicere quidem sine graui mentis stupore Euangelij ac regni Christi splendorem potuerunt. Id quod significatum est, ubi claritas Christi in monte manifestatur discipulis, miro inde stupore percussis, de qua Petrus in 2. sua epist. cap. 1. hijs uerbis, Accipiens, inquit, a deo patre gloriam & honorem, uoce delapsa ad eum huiuscemodi a magna gloria &c.

Et ego flebam multum.] Vtique desiderio cognoscendi ea quae in libro scripta erant. Ita enim solent patres communem humani generis deslere calamitatem. Sic Moses, Dauid, Esa. Hierem. Daniel, & ipse quoque seruator noster Christus, soliti erant.

Et unus de senioribus.] Recte hunc intellexerimus patriarcham Iacob. Is enim de regni Christi, qui est uerus Dauid et Leo de tribu Iuda, potentia, uictoria, adeoque magnificentia, uaticinatus est, Gen. 49. Catulus Leonis Iuda (inquiens) ad praedam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leena. Quis suscitabit eum? & quae sequuntur ibidem. Flere igitur eum prohibet, quod iam haec in Christi morte, resurrectione, caelorum consensu, & post missum a patre spiritum, apostolorum praedicatione essent adimpleta. Antea namque sathan huius mundi princeps, dominabatur in orbe uniuerso, nec adparebat quiddam regni Christi, nisi umbella quaedam in populo illo ueteri, donec manu fortis ille Dauides, blasphemus istius Goliath caput abstulit, & populum dei e manu Philistaeorum in libertatem filiorum dei adseruit. Tum demum habita uictoria illa, coepit paulatim adparere specimen quoddam regni Christi, aperiri quoque libri signacula. Porro liber ille significat aeternam et immutabilem dei uoluntatem, qua decreuit olim per mortem filij sui dilecti restaurare uniuersa, & quae in caelis et quae in terra, Col. 1. cap.

Ecce uicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, ut aper.] Rerum gestarum memoria, docilem reddit. Leonem igitur uocat, quem mox agnum conspicit Iohan. ut

ut prophetiam Iacob de tribu Iuda, partim in Dauide tanquam in typo impletæ, tandem uero in Christo prorsus adimplendæ, refricet. Porrò Christus leo est propter uirtutem, agnus uero propter animi mansuetudinem ac passionis tolerantiam. Virtutem leonis uictoria mortis monstrauit, Roma. 1. Declaratus est deus in uirtute per resurrectionem ex mortuis &c. Agnum uero patientiæ humilitate, iuxta illud, Ecce agnus dei. Radicem Dauid appellans, aliquid maius homine, adeoq; ipso Dauide ostendit: sicut & Christus ipse ad pharisæos ex Psal. 110. arguit Matt. 22. cap. Et iuxta sententiam Pauli Rom. 11. Non radicem ramus, sed contra radix ramum portat. Sic igitur radix diuinitas illius, Stipes humanitas: cuius Dauid quoq; cum cæteris electis palmes est, Iohan. 15.

Et uidi, & ecce in medio throni &c. Agnus stans tanq; occisus.] Christus ut agnus quidē occisus, sed iuxta prophetiã Iacob ut leo resuscitatus. Ideo enim dixit, Tanq; occisus. Visus enim est oculis insipientium mori, cum hac uia ad plenam transierit immortalitatem. Porrò agnus dicitur Christus in scripturis sanctis cum propter uitæ omnimodam innocentiam, tum quod pro peccatis hostia & uictima pacifica factus sit, iuxta Esa. 53. Hiere. 11. Iohan. 1. 1. Pet. 1. cap.

Habens cornua septem & oculos septem.] Per cornua septem, eminentiam potestatis qua uniuersis dominatur, accipimus. Nam princeps mundi sathanas, ostenderat illi in monte omnia regna mundi & gloriam eorum dicens: Hæc tibi omnia dabo &c. A resurrectione uero, omnis potestas in cælo & in terra Christo à patre cœlesti tradita est. De qua Dauid cecinit, Omnia inquit, cornua peccatorum cõfringam &c. Item Zach. Lucæ 1. cap. Erexit cornu salutis nobis &c. Per oculos septē, scientiæ plenitudo, qua æque præterita & futura ut præsentia nouit, adeoq; cordiū quoq; abditas cogitationes, 1. Cor 4. & Heb. 4. Item, Ego dominus scrutans corda et renes &c. Porrò duo hæc Sapiencia, ut falli omnino nequeat, & Fortitudo, ut uinci non possit, præcipue in rege ac iudice commendantur.

Qui sunt septem spiritus dei missi in omnem terram.] Hoc est septiformis spiritus Christum inhabitans, quemadmodum apud Esa. 11. & 1. Corinth. 12.

Ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phia.] Per acceptum librum intelligo potestatem siue commissionem, ut uocant, manifestandi ecclesiæ dei archana diuini consilij sacramēta, ac regni illius administrandi, iuxta Psal. 2. 45. et 72. Item Esa. 53. cap. Quam quidem potestatem patri resignaturus est, iuxta Paulum 1. Cor. 15. Cum tradiderit deo et patri regnum. Quatuor animalia licet super primos illos spiritus quatuor cœli plagis præfectos, siue etiam quatuor Euangelistas ut capite 4. fustius dictum est, intelligas, ita & uiginti quatuor seniores, quemadmodum ibi diximus. Porrò per cytharas recte intelligimus corda per suam abnegationem prorsus mortificata, & omnem suam iustitiam uni Christo seruatori transcribentia. Illæ enim demum sunt laudes sanctorum canoræ & delectabiles deo. Hoc sacrificium laudis ac iustitiæ, ut est in Psalmis, & apud Danielem capit. 7. Tibi domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Huiusmodi corda afflictæ & contribulata deus haud despicit. Vnde & supra seniores suas demittere coronas scribuntur. Iam phialæ aureæ, sanctorum preces sunt, in nomine Christi mediatoris ex fide sincera ubi aduersitas ingruit promanantes, deo patri suauiter olentes, & gratissimi odoris. Si quid petieritis, inquit, patrem in nomine meo &c. Et lac, in epist. sua, Multum, inquit, ualet deprecatio iusti assidua.

Et canunt canticum nouum.] Veritatem à sæculis inauditam, imo mundo incredibilem, toti orbī testificati sunt, & cantatissimam fecerunt; nempe in uno

crucifixo Christo esse remissionem peccatorū, omnem iustitiam, adeoq̄ salutem æternam omnibus credentibus conferendam. Eam ueritatem omnes prophetae, tamen si subobscure, testificati sunt, iuxta Euangelistam Lucā ultimo cap. & Apostolum Rom. 1. Sed mundus non credidit, Esa 53. Domine quis credidit auditui nostro? Item cū eam Christus de se testificaretur, & in hoc missum adfereret, nec Iudæorum legisperiti, quorū manibus prophetarum oracula quotidie uersabantur, fidem habebāt, dicentes: Tu de teipso testimoniū perhibes, testimoniū tuum non est uerum. De quo antea Iohan, Baptista, Et testimoniū, inquit, eius nemo accipit. Et ipse Christus, Si ueritatem dico uobis, quare nō creditis mihi? Et quid dico de legisperitis? quando ne discipuli eius ante mortem & resurrectionē illius hanc ueritatem satis habuerūt cognitam, remissionem peccatorū, iustitiam, salutem, per nomen eius petenda & accipienda. Vnde mox iturus ad passionem ait, Vsq̄ modo nō petistis quicq̄ in nomine meo, Petite & accipietis &c. De hoc igit̄ cantico nouo monent Psalmi, 96. 98. 149. de regno Christi compositi. Et attende ordinem canentium ac laudantiū. Primum quatuor animalia & uiginti quatuor seniores. Deinde sanctorum spiritū hoc est angelorū innumera multitudo Christo uictori et redemptæ captiuitati congratulantium. Postremo rerum creaturarum uniuersitas, quæ ut propter hominē factæ, ita & in homine per Christum partim restauratæ, & olim plene restaurandæ, Rom. 8. De hoc triplici canentiū ordine Paulus Philip. 2. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiū, terrestrium, & infernorum. Nisi quod Iohan, hic primo loco homines collocat, propter humanam naturam in Christo super angelos euectam, quemadmodum autor epistolæ Heb. 2. cap. Nusquam angelos apprehendit &c.

Dignus es accipere librū.] Epinicion, id est, uictoriale et gratulatoriū carmen est, adeoq̄ gratiarū actio, quod filium suum pater propter obedientiā præstitam, & mortis humiliationem in regnum exaltarit, & iure omnem illi potestatem in cœlo & in terra tradiderit: quando solus ille est, qui patris uoluntatem per omnia adimpleuerit, illiusq̄ gloriæ per omnia prouehendæ studuerit. Porro tum librum accepit & aperuit, quando iuxta prophetarum oracula homo factus, mortem propter ueritatis testimoniū oppetiens, qua triumphata, uictor ab inferis rediens, cœlos cōscendit, ac spiritum largitorem cœlestium charismatum in suos refundens, scripturas impleuit, adeoq̄ manifestas effecit, ut iam quamlibet abstrusa credentibus in Christū facile pateant. Finis enim legis, inquit Paulus, Christus est. Item, Nos reuicta facie &c. 2. Cor. 3. cap.

Quoniā occisus es et redemisti nos.] Sic animalia et seniores, beneficiū mortis ac redemptionis agnoscunt & extollunt, non itidem angeli & alia creaturae, sed alia beneficia sibi collata confitentur: quanquam & redempto, ceu diximus, homini quoq̄ congratulantur. Redemisti nos per sanguinem, non hircorum & uitulorū sanguinem &c. Psal. 40. Heb. 9. Neq̄ corruptilibus auro et argento, Rom. 3. & 1. Pet. 1. Vetus interpres habet, Redemisti nos deo, nos qui eramus serui peccati, iuxta illud Coloss. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarū, et transtulit in regnū filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionē & remissionem peccatorū. Itaq̄ pater per filium, per quem omnia operatur, nos, iuxta Paulum, redemit. Et filius redemit nos patri (ut hoc loco Iohan,) propter quē omnia operatur, quemadmodū etiam Paulus 1. Cor. 15. Cum tradiderit deo & patri regnū.

Ex omni tribu & lingua & populo & natione.] Non tantū ex uno Iudæorum populo, iuxta promissionem Abrahamæ factam Gen. 22. & prophetiam Iacob de Iuda Gen. 49. Et facti sumus, iuxta Hose. populus, qui non eramus populus: & prope

& prope qui eramus longe, Eph. 2. Ciues & domestici dei. Neq; enim Iudæorū tantum, sed & Gentium deus est, & conclusit omnia sub incredulitatem, ut omnium miseretur. Commendat igitur hijs uerbis Iohan. ut & aliquoties Paulus, inestimabiles bonitatis dei diuitias, qua diues in omnes, Iudæos simul & Græcos. Atq; miraculum prorsus fuit, adeo diuersos gentium ritus, et uiuendi mores, in unam posse conuenire religionem.

Fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes.] Multo uerius quàm olim populum illum figuralem Exo. 19. quemadmodum declarat Paulus Rom. 12. cap. & Petrus in 1. epist. cap. 2. De quo infra cap. 21. plura.

Et regnabunt super terram.] Sic habent uetustiores, & meo iudicio correctiores libri. Nam cum alioqui dicendum erat, Regnabimus, p̄ modestiæ causa per Tapinosin, de se tanquam de alijs loquentes, personam mutant, dicendo, Et regnabunt. Est aut̄ consolationis, nō semper dominaturos impios, sed aliquando detractis de sede potentibus, humiles fore exaltandos, iuxta Psal. 149. & canticū uirginis Lucæ 1. Id quod impletum fuit, quando à Constantino magno Cæsares Romani Christo nomen dederunt.

Et uidi & audiui uocem angelorum multorum.] In hoc totus est Iohan. ut contra Iudæorum pariter & Cherinthi aliorumq; errorem, Christū angelis præferat & illorum dominum ostendat, cui illi sedulo inseruiant. Id quod & ipse Christus Iohan. 1. Matth. 25. & 26. item Paulus Eph. 1. & Coloss. 1. item autor epist. ad Heb. 1. multis faciunt. Igitur inducit angelos, septem insignes ac diuinos titulos Christo in sua laude tribuentes; qui sunt, uirtus, diuinitas, sapientia, fortitudo, honor, gloria, & benedictio, quibus uniuersitas eorum, quæ in laudem Christo tribui possunt, comprehenditur. Virtus, est uis illa omnium conditrix & uiuificatrix, de qua Iohan. 1. Diuinitas, (quanquā Græce πλῆτορ scribitur, id est, diuitias) nam cum alijs adoptione siue participatione, ipsi natura hoc conuenit, namq; deus erat uerbū. Sapientia, quæ in rerum conditarū distinctione, ordine, specie, operatione, ac uicissitudine adparet, adeoq; uniuersi congruentissima gubernatione. Fortitudo in expugnandis aduersarijs potestatibus, & iustitia ad ministranda. Honor, Gloria, & Benedictio ad beneficentiæ illius commendationem, qua ueluti pius ac beneficus parens uniuersis à se conditis prouidet, pertinent. Iuxta illud Psal. Omnia à te expectāt ut des illis cibū in tempore. Item, Oculi omnium in te sperant domine, & tu das illis escam eorū in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam &c. Hæc igitur tam magnifica, cœlestes illi spiritus de Christo domino, uniuersorū conditore & seruatore, cum testificantur tum prædicant, perinde atq; dicant, Tu unus inter omnes dei filios, dignus es qui insignibus hijs titulis compelleris, dei uirtus, diues in omnes, sapiens, fortis, honorificus, gloriosus, benedictus siue laudatus. Hoc est quod Paulus Phil. 2. cap. Dedit illi nomen qd est super omne nomen &c. & ante eum Esa. cap. 9. Vocabit nomen eius admirabilis, consiliarius, deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis &c.

Et omnem creaturam quæ in cœlo est &c. Sedenti in throno.] Non solum sancti homines ac cœlestia illa numina, quorum & iuxta Danielem cap. 7. innumerabilis multitudo est, Christum regem suum cōfitentur, ac regno illius omnia fausta feliciq; precantur: uerumetiam cunctæ irrationabiles ac mutæ quoq; creaturæ ipsum factorem & seruatorē suum pro modulo deprædicant: nimirum quādo iuxta præscriptas sibi leges mouentur & operantur, dum ad nutum illius præsto sunt, dum ad inuocationem nominis illius p̄js suppeditant, dum aduersus impios pro gloria eius decertant, Sap. 5. cap.

COMMENTARIUS IN

Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria.] Benedictio est, dum tanta sedulitate similium propagatione perpetuæ consulunt posteritati: quemadmodum & astra suo reditu quodammodo renascuntur. Honor, dum se ipsas hominum commodis impendunt. Gloria, dum iussa illius perficiunt. Potestas, dum ad nutum illius uel subsistunt uel deficiunt, iuxta illud Psal. Auferes spiritum eorū & deficient & in puluerem suum reuertentur. Et rursus, Emittes spiritum tuū & creabunt &c. Sic etiam multa huius habēt Psalmi, 28. & 149. Porro animaduertendum eosdem titulos, easdem laudes, & sedenti in throno & agno tribui, id quod perpetuo Iohan. in hoc libro obseruat.

Et quatuor animalia dicebant Amen.] Quæ dictio apud Hebræos & præcantis est, & confirmantis.

Et uiginti quatuor seniores ceciderunt &c. & adora.] Huc tandē omnino rerum cratarum ordo, species, & obedientia nos prouehit, ut unū deum patrem, & filium eius Iesum Christum, timeamus, adoremus, & super omnia amemus.

CAPVT VI

Uidi quòd aperuisset agnus unum de septem sigillis, & audiui unum de quatuor animalibus, dicens, tanquā uocem tonitruī, Veni, & uide. Et uidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit uincēs ut uinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundū animal, dicens, Veni, & uide. Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem se interficiāt, & datus est ei gladius magnus. Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal, dicens, Veni, & uide. Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat statēram in manu sua. Et audiui tanquā uocē in medio quatuor animalium dicentem, Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno, & uinum & oleum ne læseris. Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui uocem quarti animalis dicentis, Veni, & uide. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & infernus sequebatur eū. Et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ. Et cum aperuisset sigillum quintum: uidi subtus altare animas interfectorum propter uerbum dei, & propter testimonium quod habebant: & clamabant uoce magna, dicentes, Usquequo domine, sanctus, & uerus, nō iudicas & non uindicas sanguinem nostrū de his qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorū, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi. Et uidi, cum aperuisset sigillum sextum: & ecce terræ motus magnus factus est, & sol factus est niger tanquā saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ de cælo ceciderūt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum à uento magno mouetur, & cæelum recessit

recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt: & reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis & in petris montium, & dicunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam uenit dies magnus iræ ipsorum, Et quis poterit stare?



T uidi cum aperuisset agnus unum de sigillis.] Ordine prosequitur id quod supra compendio dixerat, nempe agnum accepisse librum, & ab uniuersis dignum iudicatum qui illius aperiat signacula.

Tanquam uocem tonitruum.] Quidam per primum sigillum intelligunt incarnationis mysterium, in scripturis sanctis adumbratum, Gen. 3. Semen mulieris conteret caput tuum. Eiusdem 22. In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ. Item Gen. 49. quæ in benedictione Iudæ. Item promissio Dauidi facta 2. Samuelis cap. 7. de qua multi Psalmi. Hanc & propitiatorum adumbrabat Exo. 25. exponente Paulo Rom. 3. Item Esa. cap. 7. 9. 11. 53. & similes loci tum fuerunt aperti, cognito incarnationis mysterio per spiritum Christi. Porro tonitruum uox significat apertam incarnationis prædicationem, quam etiam Philosophi sapientes mirum obstupescunt. Quod ait, Veni & uide, monet primo ueniendum per simplicem scripturarum fidem: deinde huiusmodi esse scrutanda mysteria, quæ intra literam occlusa latent. Equum album, hominem illum quem tota diuinitas inhabitat, iuxta Paulum Coloss. 1. Porro insignia hæc, equus albus, arcus, corona, uictoriæ adeoque felicitati regni Christi attestantur. Quidam uero alij hoc loco statum ecclesiæ sub initium, nimirum apostolorum tempore, describi putant, in eum qui sequitur modum.

Et ecce equus albus.] Equus in scripturis propter cursus uelocitatem, pro tempore plerumque accipi solet, quemadmodum præcipue apud Zach. uidere est. Hoc igitur loco equus albus, felicem illius temporis ecclesiæ, nimirum apostolicæ, statum significat. Vnde apud Zach. cap. 6. tertiæ aurigæ equi albi, felicem Iudæi regni statum, sub Alexandro Macedonum rege, à quo mitius habiti sunt, significant. De quo ecclesiæ statu potissimum canunt Psal. 45. 72. 110. 118. Item Esa. cap. 2. Venite ascendamus &c. Daniel. 7. cap. Zach. 8. cap. Apprehendent decem uiri de omnibus gentibus &c. Ea quæ Paulus suo tempore adimpleta fuisse testatur Rom. 15. Coloss. 1. Id quod & ex Actis apostolicis adparet. Porro quod apud Zach. cap. 1. per equum ruffum regni Christi status significatur, alia quidem sit ratione, nempe ob cruentam illam aduersus hostes suos Iudæos uictoriam, sicut et Gen. 49. in benedictione Iudæ, et Esa. cap. 63. ruber color cruentæ uictoriæ insigne est.

Habebat arcum.] Arcu bellico uictorem Christum instruit, ut & Psal. 45. gladio. Porro arcu à longe iactis telis hostes sternuntur: ita prædicatione Euangelij gentes, quæ longe erant, Christo subiiciuntur. De quo Psal. 64. Sagittæ par uulorum factæ sunt plagæ eorum: nimirum philosophorum & sapientum huius sæculi. Et ne carnales intelligeres sagittas, subiungit, Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Id quod Christus suis pollicetur, Ego dabo, inquit, uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri. Item 1. Cor. 1. Paulus post Esa. Perdam sapientiam sapientum &c. Et 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia deo &c. Sic & Zach. cap. 10. Iuda facit arcum bellicum, quod Christus sit de tribu Iuda.

Et data est ei corona.] Obteni & pacati regni insigne est.
 Et exiuit uincēs ut uinceret.] Hebraico dixit schematismo. Ea em̄ dicendi
 figura cum uehementiā et assiduitatem, tum etiā certitudinē significare solent.
 Et cum aperuisset sigillum secundum.] Hī qui per primum sigillum my-
 steriorum incarnationis, per secundū hoc passionis & mortis Christi my-
 steria, quando ē soporati Adami latere producitur Eua, Abeli sacrificium & san-
 guis clamās de terra, quando Isaac immolatur, agnus qui in paschatē immolabat,
 cuius sanguine postes Hebræorū illinebant, et quæ Esa. ac Hiere. de agno memo-
 rant, & in uniuersum lex de uarij sacrificijs, quibus mors Christi præfigurabatur,
 quemadmodum apostolicæ literæ, nimirum Petrinæ ac Paulinæ epistolæ, præci-
 pue autor epistolæ ad Heb. eleganter aperiunt. Illis equus rufus, populum san-
 guinolentum, cum gentium tum Iudæorum, qui olim domini prophetas, postea
 ipsum dominum, à sathana agitati, occiderunt, significat. Verum alij secundum
 sigillum intelligunt statum ecclesiæ, quæ est regnum Christi, tempore martyrum
 sub Cæsaribus Romanis, à Stephano protomartyre usq; ad Constantinū magnū.
 Et exiuit equus rufus.] Equus rufus cruentas cædes significat. Id quod
 etiā ex Dan. 7. cap. de quarta bestia, per quam Romanū significatur imperiū,
 adparet, & sequentiā manifestant.

Datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem] Romani, quemad-
 modum ex historijs liquet, ut soli imperent orbi, multū sanguinis ubiq; terrarum
 effundunt, deinde & bello ciuili sese mutuo conficiunt. Interim uero innumeras
 quoq; martyrum strages dederūt, sub Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino,
 Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano, & Maxentio; de
 quibus per ordinem apud Euse. in eccl. historia. Quanquam haud incongrue &
 de Iudæorū gente potest accipi, qui per seditiones misere, antequā per Romanos
 essent bello petiti, se confoderunt. Id quod etiā intra mœnia iam obsessi à Ro-
 mano exercitu fecisse, Iosephus autor est.

Et datus est ei gladius magnus.] Per hunc intelligitur persecutionis &
 sauitiæ magnitudo. Porrò per sessorem hunc, recte sathan cum suo corpore ac-
 cipitur, qui teste Christo domino Iohan. 8. homicida est ab initio. Quod uero ait
 datum illi esse ut sumat pacem de terra, cōsolationis est, nihil omnino posse satha-
 nam aduersus pios, nisi quantū illi à deo permittitur, nempe quo dei gloria ac uir-
 tus piorū spectatior euadant; quemadmodū in Hiob hist. uidere est. Et Christus
 Matth. 10. Non ueni mittere pacem sed gladium, ueni enim separare hominem
 aduersus patrem suum &c. quæ ibi.

Et cum aperuisset sigillum tertium.] Qui primū & secundum sigilla, Incar-
 nationis & passionis mysteria interpretantur, hī cōsequenter hoc loco Resurre-
 ctionem à mortuis per tertium sigillum intelligunt. In qua aperiuntur loci scriptu-
 rarum obscuri & antea nō intellecti, quales sunt illi Gen. 49. Requiescens accu-
 buisti ut leo, et quasi leena, Quis suscitabit eū? Item Gen. 22. de imolatione Isaac,
 quem Abraham iuxta epist. Heb. 11. resurrectionis typo reduxit. Item Psal. 16.
 Non derelinques animā meam in inferno &c. Quem locū Petrus in Act. cap. 2.
 de Christi resurrectione exponit. Præterea Hose. 13. Paulus 1. Cor. 15. de resur-
 rectione adducit. Sic et Christus ipse Ionam, quē piscis euomit, suæ resurrectio-
 nis typū adseruit. Ita et multi alij loci, propter quod Paulus 1. Cor. 15. Resurrexit,
 inquit, tertia die secundū scripturas. Equum nigrum consequenter exponunt,
 pontifices & phariseos, qui data pecunia sepulchri custodibus ueram Christi re-
 surrectionem

resurrectionē mendacio obscurarūt: Dicite, Nobis dormientibus discipuli ipsum furati sunt. Quod uerbum apud Iudæos inuulgatū fuit, ita ut pauci ex ea gente resurrectionem illius crederent. Atq; fidei resurrectionis defectus recte comparatur magnæ tritici caristia. Porrò per uinum & oleum eos qui spiritu sancto repleti, à mendaci illo spiritu lædi minime potuerūt. Scitū namq; est, cum uinū tum oleum, letitiæ adeoq; spiritus sancti mentē latificantis, in scripturis symbolū præferat. Verū mihi uerisimile est, loqui Iohannē de ijs malis quæ inflicta sunt cum Iudæis tum gentibus, salutarem Euangelij sermonem de pœnitentia usq; contententibus, & discipulos domini persequentibus, quemadmodum ostendemus.

Et ecce equus niger.] Mihi igitur uidetur hīs uerbis futuram prædicere annonæ, præsertim frumentariæ, difficultatem, ut olim in diebus Helia propter uerbi domini contemptum, & aduersus illam præmonere pios. Et uidetur fuisse illa de qua & Agabus propheta prædixerat Act. 11. quæ sub Claudio grassabatur imperio, præsertim in Syria. Cuius & Iosephus meminit lib. anti. 19. scribēs Reginam Adiabenorū, multis pecunijs comparatū ex Aegypto frumentū, Hierosolimam adferri curasse, et egentibus ministrasse. Vel si cui tempora minus quadrare uideantur, de fame sub Claudio & quādo Iohan. hæc scripsit, potest referri ad Traiani tempora, quando Nilī defectu tanta fame laborauit Aegyptus regio alioqui omnium fertilissima, è qua Roma commeatū petere solita, ut tum Traiani Cæsaris beneficio è Roma transmissio commeatu alita fuerit. Ita scribit Plinius in Panegyri ad Traianū Cæsarem. Siue igitur illa siue alia significetur, certum tamen est ingentem aliquā famem significari, quemadmodū & sequentiā declarāt. Porrò per equum nigrum recte fames intelligitur, quod inedia absumptis carne & sanguine, cuti squalorem & nigrorem inducat.

Chœnix tritici denario uno, & tres chœnices hordei.] Abundantiā rei frumentariæ significaturus propheta Helizeus 2. Reg. cap. 7. ait, In tempore hoc cras modius similia uno statere erit, & duo modij hordei statere uno in porta Samaria. Ex quo satis clarum fit, Iohannem hic uoluisse penuriam annonæ significare. Chœnix namq; mensura est diurni uictus unius hominis. Solet uero Christus suos, quorum ipse curam agit, futurorum malorum præmonere, atq; illis de uictu in tempore prouidere, quemadmodū olim familiæ Iacob per Ioseph in Aegypto. Item tempore Helizei populo in Samaria. Item discipulis domini Act. 11. cap. Sunt tamen qui per equum nigrum ecclesiæ statum sub pseudoapostolis & falsis doctoribus, famem recte intelligentiæ scripturarum, postquam à persecutione cessatum est, inducentibus, intelligent. Quibus haud reluctabor, modo & nobis simplicem sensum permittant.

Et cum aperuisset sigillum quartū.] Per hoc, quartū fidei mysteriū, nempe Christi ascensionem in cœlum consequenter accipiūt, per quam aperiuntur loci scripturarum, ut in Psal. 47. Ascendit deus in iubilatione &c. 68. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatē. Et 110. Sede à dextris meis. De hoc in Euangelio cap. 3. & 20. Act. 1. & in epist. Heb. cap. 1. & sequentibus. Paulus Eph. 4. Hī equum pallidum faciūt hereticos, Cherintum, Arrium & similes gloriæ Christi inuidentes. Nec permittūt illi ut ad dexteram patris sedeat, hoc est æqualem esse patri negant. Inuidia enim tabem adeoq; liuorem ac pallorem inducit ijs qui ea laborāt. Nomen infessoris mors, quam infernus sequebatur, quod inuidia mors intrauerit in orbem terrarū. Idcirco diabolus & ministri eius μετωνυμῶς mors & infernus dicti sunt, eo quod multis causa mortis & infernalis supplicij sint. Datam esse potestatem super quatuor partes terræ, propter uesaniā hæreticorum illorum,

quatuor plagis orbem flagellandum, nimirū per gladium, hoc est cruentum bellum, & famem, & bestias malas, & pestilentiam; ut patet in Ezech. 14. cap. Ita illi, Verum nos simplicius exponemus.

Et ecce equus pallidus.] Morbos lætales ac pestilentes significari puto. Sessor equi pallidi mors, Vnde & apud Gentiles poetas, pallor propriū mortis epitheton est, Pallida mors inquit, Hanc infernus, hoc est sepulchrum, sequitur, quod in demortuorū rempublicam posthac censeantur, quibus cum uiuentibus nihil sit commune. Sic scriptura cum incredulis loquens, ea præcipue cominatur, quæ illis maxime terrori sunt, nempe mors & sepulchrum perpetuum.

Et data est illi potestas super quatuor partes terræ.] Si ita legamus iuxta uulgatum interpretem, intelligendæ sunt quatuor plagæ orbis, Oriens, Auster, Occidēs, Aquilo, Si uero, ut Eras. post Græca exemplaria, legamus, Super quartam partem terræ, intelligenda est hominum bona pars, propter impoenitentiam excindendam esse; numerus determinatus pro indeterminato, id quod crebro est reperire in scripturis.

Interficiendi gladio, fame, & morte & à bestijs terræ.] Videtur mihi in hoc quarto equo tres præcedentes recapitulare, quibus ulturus sit dominus orbis incredulitatem, quemadmodū est in Ezech. cap. 14. & quemadmodū ipse quoque saluator prædixit Matth. 21. cap. Surget, inquit, gens contra gentem, & regnum aduersus regnū, et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames &c. Sed ante hæc omnia iniicient uobis manus suas, & persequentur &c. Quali causam subiiciens, cur huiusmodi calamitates orbi superuenturæ essent, quæ etiam omnia Iudæorum genti, prophetarum & apostolorum, imò ipsius domini interfectrici, ac salutaribus consilijs usque reluctanti, euenisse Iosephus de bello Iudaico testis est. Neque dubiū est, ipsos quoque Romanos Cæsares, simul cum suis Christum persequētes, similia passos esse; id quod manifestū fiet Cæsarem historias legenti. Nero enim seipsum interimit, ubi rescisset se hostem à senatu iudicatū, & ad furcas condemnatum. Domitianus à suis cubicularijs, tanquam effœminatus & inutilis necatur. Maximinus cum filio in obsidione Aquileiensi, à proprijs militibus obtruncatur. Decius in Misia pugnans, palustri uoragine obrutus, perijt, ita ut ne corpus eius extiterit uspiam. Valerianus Persis bellum inferens, ab eis capitur, scabellum regi Persarum equum ascensuro factus. Aurelianus, paucorum conspiratione interfectus est. Diocletianus, cum resignasset imperio, apud Nicomediam multis varijsque morbis uexatus, demum mente alienatus, sibi ipsi uim intulit. Quæ haud dubium facta sunt ulciscente domino, quando interim nonnulli apostolorum usque ad decrepitam senectutem, uel in medijs persecutionibus, diuina protegente clementia, peruenerunt. Sunt tamen qui per quartum sigillum, intelligunt quartum ecclesiæ statum, postquam à Constantino pax ecclesiæ facta est, anachoriticam uitam plures amplexi sunt, qui tandem in uarias monachorum sectas degenerarunt, à quibus hæreses aduersus sanam fidei doctrinam introductæ: cui malo medicando, Gothos & Vuandalos orbis uastatores excitauit dominus, deinde etiam Sarracenicam sectam superinduxerit, per Sergium monachum Mahumeti in religione præceptorem, atque recte has tristes & hypocriticas monachorum sectas per equum pallidum, quem mors sequatur, describi. Id quod uel ex eo conijcere licet, ubi perpenderit quantum posteris temporibus orbis Romanus Eugenijs, Sixtis, alijsque monachis ac hæreticæ prauitatis magistris, qui haud secus atque crudeles bestia in eadem piorum ac innocentum sauerunt.

Et cum

Et cum aperuisset sigillum quintum, uidi subter altare.] Hoc de quinto regni Christi mysterio exponūt, nimirum de Spiritus sancti effusione super credentes discipulos, in quo aperiunt scripturæ de hoc mysterio depromptæ. Inter quas sunt quæ nunc occurrunt, Hier. 31. In corde eorum inscribam eam &c. Omnes enim cognoscent me &c. Item Ezech. 36. Dabo uobis cor nouum & spiritum nouum &c. Item Zach. 12. Effundam super domum Dauid & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum. Item Iohel. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Cum multis alijs locis, ad quos aspexit Christus Iohan. 7. de illa ingenti ui spiritus effusa, ubi in dextera patris confidens, regnum auspicabatur. Hinc Petrus Act. 2. Paulus Roma. 8. Galat. 3. Eph. 4. item 1. Iohan. 3. & nati non rebus præsentibus ex spiritus operatione demonstrationem faciunt.

Vidi subter altare animas interfectorum propter uerbum dei & propter test.] Animæ subter altare, sunt uniuersi pij ab Abel iusto usq; ad Zach. quemadmodum Christus Matth. 23. Per altare uero admonemur sacrificij Abelis, quod ex fide deo obtulit, propter quam & ei complacuit: fratris uero Cain sacrificium non item, propter quod & Abelum occidit, Gen. 4. & Heb. 11. Huius fidem imitati sunt, quotquot propter uerbum dei sacrificium deo facti sunt in odorem suauitatis, spem certam in uno Christi sacrificio, cuius Abel ille typus fuit, collocantes. Ea igitur ratione hoc loco sub altari quiescere dicuntur, quemadmodum & in sinu Abrahæ apud Euangelistam Lucam. Fide enim obtulit Abraham filium suum holocaustum, arbitrans quia & à mortuis suscitare potes est deus. Et in hac fide spem habent resurrectionis per uerum Isaac, cuius ille typus fuit, quicumq; filij Abrahæ sunt iuxta promissionem.

Et clamabant uoce magna dicentes, Vsq; quo &c.] Clamor ille & uox magna, animi desiderium indicat adserendæ gloriæ dei, & impietatis abolendæ. Id quod sciunt dominum facturum, interim tamen ardentibus uotis iuxta domini uoluntatem iudicium precantur: quemadmodum Dauid in Psalmis frequenter, & nos quoq; in quotidianis precibus, ubi precamur, Adueniat regnum tuum. Quibus simul oramus sathanæ regnum quantotius aboleri, deletis impijs cum suis abominationibus. Porro uidetur alludere ad illud Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me &c. Item Psal. 79. Quo significatur haud perire pios, ubi uidentur impijs perire, sed spiritu uiuere cum Christo, quorum corpora in spe resurrectionis interim quiescunt. Sic Christus, Animam, inquit, non possunt occidere.

Data sunt illis singulæ stolæ albæ.] Hoc est, paradysi gloria in anima cum Christo, iuxta illud, Hodie mecum eris in paradiso. Item illud Pauli, Cupio dissolui, & esse cū Christo. Item, Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Cōtra illos, qui putāt animas interim cum corpore sopiri, & demū cum corpore rursus excitari. Contra quos etiam est id quod Christus aduersus Zadikim, Non est, inquit, deus mortuorum, sed uiuorum, Matth. 22. Porro singulæ stolæ sunt animi beatitudo, qua interim uelut simplici stola induti, desiderio tenent resurrectionis corporum, qua completa, duplici nimirum animi & corporis stola uestiantur.

Vt quiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur.] Tempus calamitatis & afflictionis breuiari electis, multis locis scriptura polliceat. Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te &c. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te &c. Sic in Daniele. Item à Christo Matth. 24. & alioquoties infra dicitur tempus persecutionis breuiari. Et 2. Corint. 4. Id quod in præsentem est momentaneū & leue afflictionis nostræ &c. Præterea & in Psalmis dicuntur impij non dimidiare dies suos. Item dilatio uindictæ propter electos fit, 2. Pet. cap. 3. Non tardat dominus promissionem suam sicut quidam existimant,

sed patienter agit propter electos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reuerti &c. Et Heb. 11. cap. Hii omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones, deo pro nobis melius aliquid prouidente, ut non sine nobis consummarentur. Item Gen. 15. dicitur, Nondum sunt completa peccata Amorrhorum, propter quod oportuit differri terram promissam. Sic et Christus phariseis, Implete mensuram patrum uestrorum &c.

Et uidi cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmotus.] Hii qui septem sigilla septem regni Christi mysteria faciunt, hoc loco sextum sigillum, Gentium uocationem, repulsis ob incredulitatem Iudæis, intelligunt consequenter, ubi aperiantur scripturæ prophetarum de hoc mysterio loquentes. Vnde Abraham patet multarum Gentium propter fidei obedientiam dictus est, in cuius semine essent benedictionem consequutura omnes cognationes terræ. Item in benedictione Iudæ, dicitur, Donec ueniat Schiloh, & ipse erit expectatio gentium. Sic in multis Psalmis, Item in Esa. cap. 9. 11. 53. 65. Et Christus Matth. 8. & 21. Item Petrus ex Hose. 1. cap. & Iohel. 2. interpretatur Gentium uocationem per Christum, Act. 2. Et Paulus Rom. 9. 10. & 11. cap. Item Ephes. 2. ex Esa. 57. & Act. 13. ex Esa. 49. & alijs multis locis. Id quod Iudæis durum uisum fuit, etiam credentibus, uocari Gentes: quemadmodum adparet in expositulatione illa cum Petro Act. 11. Consequenter exponunt per terræmotum, nigrorem Solis & Lunam sanguini adsimilem; atque cadentes e caelo stellas, ingentem illam & miseram calamitatem, quam infelices Iudæi propter impoenitentiam à Romano exercitu maxima sui parte extincti, reliquæ uero captiui per uniuersum orbem dispersi, etiã hodie sine cultu, sine rege, ac planè serui exulant. Quemadmodum Hiere. in Trenis suis deplorat mala quæ illos manebant, & Saluator Matth. 23. & 24. Item Luc. 19. 21. 23. Eodem pertinere dicunt, cælum recessisse sicut librum, montes & insulas commotatas à suis locis, primarios & fortiores se abscondisse in speluncis & cauernis montium. Quæ omnia contigisse scribit Iosephus de bello Iudaico, qui & ipse in spelunca cum quibusdam alijs latitans, capitur à Romanis. Verum alijs uidetur, hoc sexto numero, ultima per Antichristum futura persecutio significari, quam Christi ad iudicium sequuturus sit aduentus; nam & hanc expectare iubentur intersectorum animæ, in qua complendus sit numerus fratrum suorum, ut sigillo præcedenti dicitur.

Et ecce terræmotus magnus factus est.] Si simpliciter accipiamus terræmotum, & ipse Christus quoque frequentes terræmotus per diuersa terrarum loca futuros apud Euangelistam Lucam 21. cap. prædixit. Quibus ut historia tradit, nobilissimæ urbes funditus corruere. Inter quas Nicomedia. Deinde post annos duodecim Nicea Bithiniæ urbs. Haud multo post multæ partes Germaniæ ciuitatis in Helleponto constitutæ destructæ sunt, ut in hist. triper. libro 7. cap. 15. & 22. Porro in Asia, Laodicea, Hierapolis, & Colaphe sub finem imperij Neronis grauiore terræmotu sunt concussæ, ac propemodum funditus euersæ. Traiano imperante, adeo horrende terra mota est, ut montes conuulsi subsederint. Multæ præterea urbes penè ad excidium concussæ, sed omnium maxime Antiochia, ubi uis ingens mortalium, ædificiorum ruinis periit. Sub Lucij pontificis Romani exitum, terra in Syria, ut si quãdo aliàs horrende, mota est, tum Antiochia, Tripolis & Damascus magna ex parte conciderunt. Sed & in Sicilia Catina urbs multo fœdius cõuulsa, quinque & uiginti hominum milia ruinis oppressa. Bonifacij octaui pontificatu, tam horrende mota est terra, quam unquam aliàs hominum memoria; tenuit tremor plures dies, quo passim sunt edificia multa et magna euersa. Bonifacius

Bonifacius tum Reatae agens, sub diuo habitauit, tectorū timens ruīnam. Hactenus ex Enneadibus Sabellici. Similis terremotus circiter annum domini 1356 in Germania contigit, ubi penē tota Basilea corruit, Argentini uero urbem exeuntes, sub dio habitabant, dum per plures dies terra quateretur, ne ruīnis opprimerentur. Porrò terramotus nonnunquam rerum nouandarum, siue regnorum, siue religionis mutationes, quæ fieri absq; magnis motibus nequeunt, in scripturis accipi solent, fortasse quod illas portendant. Id quod est uideri apud Esa. 40. cap. & Luc. 3. Omnis uallis implebit, & omnis mons & collis humiliabitur &c. Loquitur enim de nouandis rebus, cum regno tum sacerdotio, adeoq; regno per Christum. Sic & Dan. cap. 2. 7. 11. & 12. Item apud Hagg. cap. 2. exponente aurore Epist. ad Heb. cap. 12. Adhuc semel, inquit, & ego mouebo non solū terram, sed & cœlum &c. Admonet igitur hic locus, ingentes, horrendas, ac incredibiles per Antichristi antambulones hereticos cū imperij tum religionis futuras mutationes, quibus horrendæ cædes in toto ferē orbe forent patrandæ, præsertim ab Arriana hæresi, quæ & Liberium Romanum pontificem aliquandiu habuit fautorem, Præterea & Constantiam Cæsaris Constantini sororē, cuius persuasione tandem Arrius ab exilio reuocatur, & auditur. Præterea Constantium & Valentem imperatores, quorum uterq; orthodoxos persequens, multas martyrum strages dedit. Durauit ea hæresis plus centū annis, nō solum orientis, sed & occidentis pariter turbans ecclesias. Hæc Eunomianam & Macedonianam peperit hæreses, insuper usq; ad Theodosij iunioris imperium, nō solum in oriente, sed & in occidente suos habuit antistites. Constat enim Auxentio Arrianae factionis apud Mediolanum episcopo, successisse Ambrosium catholice fidei defensorem acerrimum. Tantum malorum una Arrij hæresis attulit orbi; ut interim omittamus Sabellij, Manichei, Marcionis, Fotini, Pauli Samosatani, Nestorij, Nouati, Valentini, Diodori, Appollinaris, Pelagij, aliorumq; complurimorū uesanos ac detestandos errores, quibus misere per uniuersum orbem scissæ fuerunt ecclesiæ. Propter quos tollēdos & castigandos, haud dubiū immissus est impius ille Iulianus apostata, qui Christianos in uniuersum oppugnare cœpit. Deinde Schitas, Hunnos, Gothos, Vuandalos, Alanos, Barbaras gentes, qui primū bonam orientis partem, postea totum penē occidentem, annis supra centū & sexaginta misere trastarunt tot crudelibus patratæ cædibus. Vnde & historiæ tradunt Halaricum Gothorum regem solitum dicere, inuitum se impelli ad expugnandam Romam: ita & Athilam flagellum dei se uocitare solitum. Præterea an non sunt illi magni terramotus, ubi primum capite factionis Mahumeto Heraclij Cæsaris milite, Ismaelitæ, qui in eisdem castris militabant, deficiunt? Cui cū uno et altero facto congressu, res feliciter cecidisset, auctus uiribus, Persas sibi aduersus Heraclium iunxit. Deinde per Sergium monachum Nestoriana hæresis doctorem instructus, leges conscribit, per quas omnium sectarū homines sibi conciliat, & defectionem à fide haud modicam efficit, donec in tantam à mille iam ferē annis euasit potentiam, ut ui bellica, quasq; uelit suo imperio adijciat regiones. An non & ille quoq; ingens censendus est terramotus, ubi pontifex Romanus, nactus à Phoca Cæsate super omnes orbis ecclesias primatum, primum ab obedientia Cæsaris totum occidentem abducit, Latinum constituens imperatorem Galorum regem Karolum, cui Magno cognomentum: quem & Homagio sibi deuinxit. Deinde à Christi Euangelio adeoq; ab apostolica doctrina deflectens, ad sua dogmata & decreta, ui atq; gladio cogit occidentem. Quis igitur dubitet huiusmodi rerū publicarum ac religionum mutationes, per terramotum et portendī & in scripturis

subinde significari? Id quod & nostra hæc tempora declarant omnino esse uerissimum. Quantas enim iam pridem hominum strages per uniuersam uidimus Germaniam, ex quo ceptum est de abolendo Papatu & restituendo Christianismo tractari? Neque dubitamus futuras plurimas, ubi et alia quoque nationes tentabunt iugum Antichristi rejicere, ac solidæ studere pietati.

Et sol factus est niger &c.] Per huiusmodi hyperbolicas comparationes, cum apud prophetas Eisa. 13, Ezech. 32, Iohel. 3, tum apud Euangelistas Matt. 24, & Luc. 21, maximæ calamitates humano generi futuræ prædicunt. Quædo uero clarum est, extremam Antichristi persequutionem scripturarum testimonio non solum externam corporum, sed etiam internam, qua fides & innocentia impetuntur, omnium fore grauissimam, consequitur & uictoriam Christi aduersus illum multo fore gloriosissimam. Non igitur incongrue solem obscurari accipimus defectum simplicis ac puræ doctrinæ Christi, gliscente imò iam obtinente apud omnes ecclesias Antichristi abominatione, iuxta illud, Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Ita & feruor charitatis iam refriguit. Verum illis tum sol obscurabit, quando Christus suam aduersus eos exeret potentiam, misere perdendo.

Stellæ ceciderunt super terram.] In Arriana persequutione clarissima ecclesiæ lumina aut necantur, ut Paulus episcopus Constantinopolitanus, quanquam à Constantio exauctoratus et priuatus agens, tamen ab Arrianis occiditur, lib. 4. hist. tripar. cap. 21. & 80. sacerdotes, quos simul Valens occidi iussit, in eadem hist. lib. 7. cap. 30. aut suis efficiuntur ecclesijs & in exilium acti delitescunt: inter quos fuerunt Athanasius Alexandrinus, Eustachius Antiochenus, Eusebius Vercellensis, Hilarius Pictauiensis, & alij complures, præter eos qui uel metu adacti, quemadmodum Osius Hispanus qui apud Syrmium cogitur huic impietati subscribere, lib. 5. hist. tripar. cap. 9. aut alioqui seducti in eandem hæresim consenserunt, inter quos Liberius papa, Eusebius Nicomediensis, Gregorius post pulsum Athanasium Alexandrinus, Macedonius Constantinopolitanus, Georgius Cæpadox (deposito Gregorio) Alexandrinus. Et ne in recensendis illorum nominibus longior sim, habes numerum eorum fuisse 76. qui ad Concilium Sardicæ conuenerunt, hist. tripar. lib. 4. cap. 23. Sed quantus oro est hic numerus, si ad eos qui sub Mahumetica & Romani Antisistis defectione ceciderunt comparatur? Nam ferè ad unum omnes declinauerunt & inutiles facti sunt. Hec itaque spiritus sanctus præuidit, & per prophetas suos ecclesiæ superuentura ostendit. Sic & Paulus ait, Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt &c. Item illud Pauli 1. Tim. cap. 6. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemias, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui à ueritate priuati sunt, existimantiu quæstum esse pietatem. Quam uero necessaria fuerit hæc admonitio Pauli, modo huic aurem præbuissemus, adparet, si perpendamus quam friuole & tamè cum ingenti ecclesiarum iactura ac animarum periculo certatum sit, nunc de diuinitate, nunc de humanitate Christi nostri seruatoris, de perpetua Mariæ uirginitate, de processione spiritus sancti, de paschate celebrando, de fermento & azyma in Eucharistia. Quæ de re Anselm. Cantuariensis libellum ædidi, de prædestinationis necessitate cum libertate arbitrij. Circa Baptismi sacramentum, de rebaptizandis ijs qui ab hæreticis essent baptizati. Quæ de re apud Euseb. lib. 7. cap. 8. eccl. hist. Item apud Cyprianum & Augustinum contra Donatistas. Item num totus mergendus, aut modice

modice aspergēdus is qui baptizatur? num semel aut ter mergendus? Qua de re Ambrosius cū hīs qui Romæ erāt contendit lib. de Sacra. si tamē Ambrosij sunt libri illi. De Eucharistia, primum in ecclesia Corinthiorū Paulus apostolus quosdam abusus reprehendit. Postea Græci & Latini certant de fermento & azyma. De quo certamine, ut diximus, habes libellū ab Anshelmo Cantuariensi æditum. De uino calicis scribit Cypria. De transubstantiatione diu certatū est cum Berengario & qui partes illius tuebantur. Postea de puerorum communione, & laicis sub utraq; specie cōmunicandis cum Bohœmis. De imaginibus Saluatoris ac diuorū habendis aut tollendis in ecclesia. Nō ante multos annos de conceptu uirginali ingēs digladiatio fuit inter Dominicastrōs & Minoritas. Vt interim taceā fuites illas & inanes sophistarum theologorū Thomæ, Scoti, Ockam, & aliorum similibus quæstiones, in quibus nihil Christi, nihil salutis, sed sola ingenij ostentatio quæritur. Sed & hodie quoq; haud minus stulte & tamē periculose admodum certatur, Num paruuli baptizandi, num liceat Christiano magistratui gladio uti ad tuendos bonos contra impios, & num liceat Christiano magistratui exigere à subditis Christianis iuramentū fidelitatis, & Christianum præstare illud: de reali corporis & sanguinis dñi in pane et uino Eucharistiæ presentia. Pauca hæc de innumeris huiusmodi friuolis quæstionibus exempli uice cōmemorare libuit, quibus turbata sunt olim, & hodie turbant ecclesiæ: & interim nemo, uel pauci adeo de uera cogitant pietate, qua colitur deus, in qua una, uera iustitia, adeoq; salus æterna sita est. Quid insuper commemorem fictas illas reuelationes & exempla sub monachis, quæ pro uera & solida doctrina oportuit audire ecclesias. Ex hīs adparet omnino uerissimum esse, quod Iohan. dicit stellas cecidisse de cœlo.

Sicut ficus abijcit grossos suos cum à uento magno mouet.] Elegans comparatio, nam hoc pacto cadunt tempore tentationis quicunq; uerbum fidei non habent in corde fixum & radicum, sed de externis rebus ac ceremonijs interim aniliter contendunt.

Et cœlum recessit sicut liber qui circonvoluitur.] In extremis calamitatibus constitutis, adparet ruere, conuolui & perire cœlum: sic & praualentibus undiq; hæreticis & Antichristi erroribus, ecclesia Christi omnino perire uidetur, quemadmodum sub impijs Achab & Iezabele uidebatur unus reliquus Helias uerus domini cultor.

Et omnis mons & insulæ de suis locis motæ sunt.] Hoc ad terræmotum supra pertinet. Significatur uero hæreticam doctrinam ita per omnia obtenturam in ecclesia, ut etiam montes, id est eruditi et tanq; montes firmi et immobiles in doctrina Christi, hæreticis loco cessuri sint. Ita & insulæ, hoc est, adeo firmi in fide reputati, ut quemadmodū insulæ non cedunt fluctibus marinis, ita nec illi cessuri sint erroribus: adeo tamen grauem omnino fore tentationem ut loco consistere nequeant. Vel quemadmodum Zach. cap. 5. de uolumine uolante, per quod intelliguntur traditiones humanæ in rebus salutis, quibus cū montes tum insulæ, id est incultiora loca & remotiorem orbem inhabitantes, deprauati & suo loco moti sunt. Adeo nullum regnum, nulla urbs, nullus pagus, nulla deniq; domus à pestiferis tuta erroribus.

Et reges terræ, & principes & diuites & tribuni & for.] Videtur mihi more prophetico sæuissime huic persecutioni mox piorū consolationem subiungere, cum auxilium dei adfore illis pollicetur, tot malis afflictis. Nam uidetur mihi in hoc sexto sigillo, totum Antichristi regnum ab exortu usq; ad finem illius paucis absoluere. Sunt tamen qui totam hanc calamitatem ad ipsos Iudæos, alij totam

ad ipsos pios referant, quibus suum sensum permitto. Diligens lector, utrum horum magis ueritati consonum sit, expendat.

CAPVT VII.

Ost hęc uidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terrę, tenentes quatuor uentos terrę ne flarent super terram, neq; super mare, neq; in ullam arborem. Et uidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum dei uiui: & clamauit uoce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terrę & mari, dicens, Nolite nocere terrę & mari, neq; arboribus, quoadusq; signemus seruos dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthalim, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Leui, duodecim millia signati. Ex tribu Issachar, duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin, duodecim millia signati. Post hęc uidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis, stātes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmę in manibus eorū, & clamabant uoce magna, dicētes, Salus deo nostro qui sedet super thronum, & agno. Et omnes angeli stabant in circumitu throni & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt deum, dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & uirtus, & fortitudo deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Et respondit unus de senioribus: & dixit mihi, Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt: & unde uenerunt: Et dixi illi, Domine mi, tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt qui uenerunt de tribulatione magna, et lauerunt stolas suas, & dealbauerūt eas in sanguine agni, idē sunt ante thronum dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient neq; sitient amplius, nec cadet super illos sol, neq; ullus æstus: quoniam agnus in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad uitę fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.



Post hęc uidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos. Hęc uisio adhuc pertinet ad sextum sigillum, ubi more prophetico, tribus læta miscentur ad piorum consolationem. Nam primum ostendit, haud posse aduersariam potestatem tantum nocere quantum uellet, Christo seruatore id prohibente. Deinde quod non obstante astu sathanę, qui omnem mouet lapidem,

dem, quo Christi regnum prorsus pessundet, maxima tamen & innumerabilis ex uniuerso orbe multitudo Christi regno sit accensenda.

Tenentes quatuor uentos terræ.] Dei permissu mala in orbe, malorū angelorum ministerio fieri, multis locis testatur scriptura. Sic legimus Heuam à malo ligno dæmone seductā, Hiobem multis malis afflictū, Magos Pharaonis dæmonum opera Mosi atq; Aharoni restitisse. Item in Psalmo legimus immisiones per angelos malos. Præterea apud Zach. cap. 3. sathanam aduersatum Iesu magno sacerdoti in reedificatione cum templi tum ciuitatis Hierosolymę. Iam & ipse dominus noster à dæmonæ trino tentatur congressu, aduersus quem & Iudam proditorem instigat. Admonet quoq; Diuus Paulus sathanam sese (quo incautos fallat) in angelum lucis transformare solitum, neq; nobis esse colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum &c. Quin & diuus Petrus sobrios ac uigiles nos esse iubet, ne diabolus, qui saui leonis instar nobis imminet, totos absorbeat. Hæc atq; cōplura id genus alia de malignorum dæmonum, aduersus eos qui se Christo seruatori consecrarūt, sauitia, scriptura commemorat; quibus tandem et ipsum mendaciū, adeoq; homicidium ac omne genus malorum Christus seruator, tanq; autori acceptum fert, Iohan. 8. Quam ob rem ego libenter hoc loco malos angelos intelligo, quorum opera fiat, ut mundi principes & sapientes salutarem Euangelicæ prædicationis cursum impediunt; idq; miris modis à dæmonibus agitari, nimirum cum uel aeris impedita temperie, indeq; terræ facta sterilitas, aut fluminum inundantia, aut pecorum hominumq; mortalitas sequuta, aut infeliciter cū hostibus bellatū, ad exaggerandā Christianorum causam: quorū religioni, ob neglectum deorum cultum, uniuersas temporum calamitates, idolorū tribuebant sacerdotes, qui subinde cum principes, tum plebem ad persequendum Christianos incitabāt, quemadmodū apud Euseb. in eccle. hist. & apud Tertul. in apologetico uidere est. Si quis uero quatuor angelos per metaphoram siue allegoriā, ut nonnulli faciunt, dici putet, nihil illi refragor, ut quatuor angelos faciat, cum Iudæorū tum Gentiliū pontifices ac sacerdotes primum, secundum legisperitos & scribas, tertium pharisæos ac philosophos, quartum consiliarios principū. Hī enim tum erant per quos salubres atq; fertiles cœlestis doctrinæ Fauoni ac Zephyri tenebantur, ne in ecclesijs per quatuor orbis partes extruendis spirarēt. Quibus hodie respondent Episcopi & clerus, Vniuersa monastice, Achademia & scholæ, Principū consiliarij. Omnes enim isti in hoc toti incumbūt, ne simpliciter & pure Christi Euangelium doceatur: paucis inde demptis, quos Christus dominus suo spiritu donauit & in suas partes attraxit. Per terram commune uulgus ac simplices homines intelligo: per mare autē, mercatores diuites qui negotiantur in mari; per arbores, præstantiores qui dignitate aliqua inter homines præeminēt. Vt intelligas ab omni hominū genere, ordine, & conditione hanc prohiberi doctrinam, ne ad quoslibet perueniat cognitio ueritatis. Id quod testantur adiecta publica, adiectis multa & poenis, cum illorum tum nostrorum temporum.

Et uidi alterū angelum ascendentem ab ortu solis.] Hunc angelum ipsum Christum dominū nostrum intelligo. Ipse enim iuxta Esa. cap. 9. magni consilij angelus est, & iuxta Malach. cap. 3. angelus testamēti. Hic ascendit ab ortu solis, dum mortis uictor ab inferis rediit, Act. 2. cap. habens signū dei uiui, dum iuxta apostolum Rom. primo, declaratus fuit filius dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quod resurrexit è mortuis &c. expoliens principatus & potestates ostentauit palam triumphans de illis Coloss. 2. Prohibere quidē uo-

lebant mali illi angeli ne ueritas illa Euangelica ad quosuis homines perueniret, adeoq; seruis dei incommodare, sed non potuerunt, Christo iubente prædicari Euangelium omni creaturæ, iuxta qd dixerat in Iohanne, Nunc princeps mundi eijcietur foras, & confidite ego uici mundum. Sunt qui per illum angelum Constantinum Cæsarem intelligant, per quem pax reddita sit ecclesijs, & prohibiti tyranni, qui per quatuor orbis partes persequabantur Christianos, ne illis amplius nocerent. Id quod libenter illis permittimus, modo nobis quoq; permittant, Christi beneficio id fieri, quibuscunq; tandem ad hoc utatur ministris.

Et clamauit uoce magna quatuor angelis. Summa Christi potestas, qua & in angelos et in uniuersos terræ principes pollet, datur intelligi, cuius uoci omnia & quæ in cælo & quæ in terra uersantur, pareant necesse est. Porro uox magna dicitur, quod illam etiam longe positi audiant, quam & contremiscant, neq; illi quoquo pacto resistere audeant. Huc pertinent quæ Christus de suis ouibus Iohan. 10. & de prædestinatione sanctorum Rom. 8.

Nolite nocere terræ & mari. Non audebat sathan ledere Hiobem, neq; in rebus externis, neq; in corpore, nisi accepta à deo potestate. Et Gerasenorum, quanq; mali erant, non audet dæmon inuadere porcos, nisi iussus à Christo. Adeoq; omnino uerissimum est quod Christus ait, ne unum quidem ex passerulis in terram cadere, ubi id pater cælestis noluerit. Quanto igitur minus siue ipse sathan, siue mundus, filijs dei poterit aliquatenus nocere?

Quoad usq; signemus seruos dei nostri in front. Videtur mihi respexisse ad mysterium laminæ aureæ in summi sacerdotis fronte, cui inscriptum erat nomen domini. Præterea ad sanguinem agni, quo postes populi dei signabantur, ut à uastante angelo securi essent. Item ad signum Tau Ezech. 9. Porro signati sunt quicunq; spiritu Christi intra corda obsignati, per fidei constantiam ac suis ipsius abnegationem, Christi nomē intrepide coram perdita hac & peccatrice generatione, cum oris confessione, tum uitæ quoq; habitu & conuersatione, quemadmodum Christus iubet, haud erubescunt.

Et audiui numerum signatorum centum quadragintaquatuor. Per centum quadragintaquatuor millia innumerabilis electorū multitudo significatur. Est enim numerus plenissima uniuersitatis, numerus duodenarius iuxta abacta starū rationē repetitus & in se multiplicatus. 12. per decem, 120. Hæc per decem, 12. millia. Hæc duodecies repetita 144. millia efficiunt. Deinde ostendit etiam ex gentibus non solum ex Iudæis secundum carnem, uerum Israeliticum constare populum, sicut Paulus docet Rom. 2. 9. 11. Iuda primo loco recensetur propter dominum Christum, qui est primogenitus in multis fratribus. Ruben quia ascendit cubile patris, primogenita amisit, Gen. 49. cap. Dan non recensetur, sed eius loco Manasse ponitur, iuxta testamentum Iacob Gen. 48. Patres hac ratione obmitti Dan tradunt, quod de ea tribu nascendus esset Antichristus iuxta prophetiam Iacob Gen. 49. Fiat Dan coluber in uia. Quod quidē mystica ratione recte iuxta nominis interpretationem Antichristo conuenit, Dan quippe iudex interpretatur. Iam hoc ita sibi usurpat Antichristus, ut gloriatur se unum omnes iudicare, & à nemine iudicari, distin. 40. Si papa. Cum iuxta Paulum 1. Cor. 14. iudicium sit penes sedentes, hoc est penes ecclesiam. Modo qui ecclesiam non audierit, quemadmodum seruator Christus ait, habendus est tanq; ethnicus & publicanus. Sed et Paulus Petrum reprehendit, cui et Petrus cedit. Neq; tribus Ephraim recenset, quod Hierobeam primus rex Israel post scissum regnū de illa tribu peccare fecerit Israel in uitulis. Magna uero dignitas hoc loco Iudaici populi adparet,

ret, ubi per suas stirpes nominatim recensentur, qđ in semine Abrahamę iuxta dei promissum, benedictionē consequutura sint omnes cognationes terrę. Atq; ita salus ex Iudęis, quemadmodū Christus ipse testatur. De quorū dignitate Paulus Rom. 2. 9. & 11. Est em̄ radix illa sancta, cui nos oleastri ex gētib; inserti sumus.

Post hęc uidi turbam magnam.] Nam & hęc accensentur semini Abrahamę, qui est pater multarum gentium, hoc est, omnium credentiū; quarum numerus ut stellarū cęli & arenę quę est in littore maris, Gen. 15. & Rom. 4. Id quod in Christo fuit adimpletum. Generationem eius, inquit Esa, quis numerabit? Item Matth. 8. Multi uenient ab oriente & occidente. Porro gentium nomine omnes illas intelligit, quę recensentur Gen. 10. Item quę quidem ex Abraham, non tamen per Isaac, quales Ismaelitę. Pręterea quę ex Loth, ut Moabitę & Ammonitę. Item quę ex Isaac, sed nō per Iacob, Sicut Idumęi qui ex Esau. Has in uniuersum Paulus apostolus quandoq; communi gentium, quandoq; Gręcorum uocabulo comprehendit. Linguarum diuisionem habes Gen. 11. Ex tribus uero communibus linguis totius orbis, sola Hebręa sancta olim habebatur: in qua lex tradita et prophetę scripserunt. Vbi uero Gentes ad communem essent uocandi gratiam, inaudito ac plane stupendo miraculo Hebręi illi uiri, discipuli domini, omnium gentium linguis loquuntur, Act. 2. Atq; tum cęptū est nomen domini per omnes orbis linguas celebre haberi & prędicari, Pilip. 2. & Gręca pariter ac Latina sanctę haberi; id quod in titulo crucis pręsagiebatur. Adde quod apostoli Gręce perhibentur scripsisse.

Amicti stolis albis, & palmę in ma.] Vtrumq; uictorię ac felicitatis insigne, iuxta scripturas.

Clamabant uoce magna.] Desiderij magnitudinem significat, quo deo patri per Christum felix faustumq; precantur imperiū, iuxta Psal. 118. & 1. Cor. 15. Idemq; & patris et Christi regnū confitentur, dicentes, Salus &c. Vnum saluatore rem agnoscunt, a quo omnem salutem precantur, & ei acceptam ferunt.

Et omnes angeli &c. & procubuerunt.] Hominum saluti congratulantes, gratias deo agunt, iuxta illud seruatoris, Gaudium est angelis in cęlo, Luc. 15.

Benedictio & claritas & sapientia.] Septem tituli sunt, quibus diuinarum laudum uniuersitas continetur: de quibus supra cap. 5.

Et unus de senioribus &c. qui sunt.] More diligentis pędagogi querit ut instruat: quo significatur studiū & propensio ad docendum alios, eorum qui spiritu dei aguntur.

Hęc sunt qui uenerunt ex afflictione magna.] Videtur mihi potissimum de Antichristiana loqui, quę uel ipso Christo attestante, omnium grauissima uolentibus pie uiuere in Christo, imō etiam omnium probrosissima, quod ab hęc; pręcipue intentetur, qui uolunt omnino pijsimi ac sanctissimi haberi: quanquam etiam de pijs in uniuersum recte intelliguntur hęc uerba. Non enim nisi per magnas afflictiones ad regnum cęlorum perueniunt sancti dei electi, quos oportet cōformes fieri imaginī filij eius, et in suis quoq; corporibus sentire passiones Christi, Rom. 5. Coloss. 1.

Et dilatauerunt stolas suas & dealbauerunt eas per sang.] Gręce est dilatauerunt stolas suas. Magnorum principū familię et amplis & coloratis uestiuntur, quibus magnificentiam & dignationē suam erga illos ostentant: ita & Christus suam quoq; familiam & preciose & decore uestit. Vnde Paulus Rom. 13. Induimini dominum Iesum Christum. Et Gal. Quicumq; baptizati estis, Christum induistis &c. Est autem induere Christum, toto illi pectore adglutinatum esse,

hunc omnia nostra colloquia resipere, hunc in omni uitæ habitu exprimere, ut possimus dicere cum Apostolo, *Viuo ego iam nõ ego, uiuit uero in me Christus.* Et dealbauerunt eas in sanguine. Quomodo uero sanguis dealbat inquires? Respondeo iuxta modum quem autor epist. ad Heb. cap. 9. Quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam uestram &c. Sanguine igitur agni, cum ab originali tum actuali per ignorantiam & imbecillitatem humanam commissio, repurgati, & ne pestiferis fidei erroribus assensum præberent seruari, uestes mundas adeoq; decoras habere dicuntur.

Ideo sunt ante thronum dei & seruiunt ei die ac nocte in temp.] Videtur mihi non solum de cultu ac seruitute illa felici et quieta, qua sancti corpore exuti absq; externo & laborioso ministerio famulantur, sed etiam dum hic in corpore adhuc mortali degunt, intelligendum: spiritu interim assidua sedulitate, uelut ante thronum dei & in magno illius templo coram electis dei constituti, diuinis intenti sunt obsequijs, dum nihil aliud magis in uotis habent, quam ut omnem uitam suam ad dei uoluntatem attemperent, quo proximus ædificetur, et deus in omnibus & per omnia glorificetur, quemadmodum Paulus Ephes. testatur, credentes simul cum Christo sedere inter cœlestes. Item conuersionem illorū in cœlis esse, Philip. 3. Sursum enim corda habemus ad dominum. Et ministerium nostrum non in externis ceremonijs, sed in spiritu: neq; enim literæ sed spiritus sumus ministris: & cum templum nostrū, tum sacrificia simul & sacerdotiū, omnia spiritalia sunt, & in spiritu fiunt in regno Christi, hoc est apud uere credentes. Die ac nocte, hoc est, continue & sine intermissione in hoc sunt ut deus glorificetur, etiā ubi quidam aliud interim agere uidentur, quemadmodū Christus dicit semper esse orandū, & Paulus sine intermissione iubet orare, hoc est animi uotis deo semper esse intentos. Sic Hanna uidua dicitur Luc. 2. non discessisse de templo die ac nocte.

Et qui sedet in throno habitabit super illos.] Hoc est, iuxta scripturarum pollicitationem, Erūt illorum deus, & ipsi populus eius: in medio illorū obambulat, & illorū res ei curæ erūt, ipse illas prouehet & defendet. Contra ipsi omnia uersantes. Porro ꝑ bo Habitandi, amicitia, familiaritas & cōsuetudo inter deum & electos significatur, quemadmodū 1. Iohan. 1. dicitur, Societas nostra est cum patre & cum filio eius Iesu Christo.

Non esurient neq; sitient amplius, neq; cadet super ill.] Eisdem penē uerbis usus est propheta Esa. cap. 49. ubi uaticinatur de felicitate reduci populū dei à captiuitate Babylonica. Quancq; per illā quasi in typo altius prospexerit propheta, nimirū quæ in Christi regno futura erat, præcipue in spiritalibus bonis adimplenda, partim etiam in hac uita, & plene in futura. Huc faciunt quæ in Psalmis leguntur, 21. Desideriū eius tribuisti ei. Item, Dominus pastor meus et nihil mihi deerit. Item, Torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Item in prophetis apud Esa. capit. 63. Ecce serui mei comedent, Ecce serui mei bibent. Apud Ezech. cap. 34. de ouibus Christi sub typo Dauidis, Pascam eas (inquit) in montibus Israel, in riuis & cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas &c. Item Iohan. 6. Qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me nõ sitiet in æternum. Et Luc. 22. Ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnū, ut edatis & bibatis super mensam meā in regno meo. Edere uero & bibere metaphoricōs dicitur pro felicem & plena uoluptate degere uitam. Sic non esurire, nõ sitire, pro desideriorum omnium satietate, quod inter desideria & huius uitæ curas bona pars sint cibi & potus. Idcirco etiam de uictus ratione, & omnino præsentis uitæ sollicitudine

dine ponenda, & uni deo permittenda, scriptura admonet, iuxta illud Psal. Iacta curam tuam in dominū &c. Item, Ne solliciti sitis quid manducetis &c. Querite primum regnū dei. Præterea Marci 10. Amen dico uobis, Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres & sorores & matres & filios & agros cum persecutionibus &c. Item, Nolite timere eos qui occidunt corpus &c. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt &c. Talibus clypeis uoluit Christus nostram munire imbecillitatē, ne mundi huius formidarem tyranos. Quid em̄ aliud possunt tyranni, quam patria proscribere, ignominia afficere, bonis temporalibus spoliare, carceribus occludere, fame & siti cruciare, membra obtruncare, ac postremo etiā mortī destinare? Nisi quod Antichristus supra hæc omnia, qd forte tum ignorabat Christus, potestatem quandam in mortuos se habere iactat.

Neq; cadet super illos sol neq; ullus æstus.] Allusum est ad meridianas regiones, in quibus solis æstus mire excruciat eos qui huiusmodi incolunt plagas. Vnde legimus columnam nubis per diem populo dei obumbrasse. Significatur ergo hac metaphora, omnium afflictionum siue temperies in præsentī, siue finis in futuro.

Quoniā agnus qui in medio throni est reget illos & de.] Græce est ποιμαίνω, quod est pascere, siue regere sicut pastor oues, quemadmodū est in Ezech. ca. 34. & Iohan. 10. & in Psal. Dominus pastor meus &c.

Et deducet eos ad uitæ fontes aquarum.] Sic habes in Psal. Quoniam apud te est fons uitæ. Item Ezech. 34. Iohan. 4. & 7.

Et absterfus est deus omnem lachrymam.] Hoc est, omnem mœrorem plenitudine gaudiorum absorbebit, ipse illos abunde consolabitur. Nec erunt tristitia amplius in recordatione, iuxta illud, Beati qui lugent, Item, Tristitia uestra uertetur in gaudiū. Et quæ apud Esaiam 65. capit. leguntur. Spe ergo interim salui facti, in medijs afflictionibus, imò in medijs morte constituti, animo uelut in summa rerum affluentia, adeoq; in summis diuitijs deliciantur, omnium securissimi, quod nihil sibi per hæc incommoda RERVM SVARVM possit deperire, iuxta illud, Cum uos oderint homines &c. Gaudete & exultate, &c. Item, Nomina uestra scripta sunt in cœlis. Item, Dominus custodit omnia ossa eorum &c. Et, In patientia uestra possidebitis animas uestras, Atq; plura id genus in scripturis, quibus afflictæ piorum mentes solentur.

C A P V T V I I I .

T cum aperuisset sigillum septimū, factum est silentium in cœlo, quasi media hora. Et uidi septem angelos stantes in conspectu dei: & datae sunt illis septem tubæ. Et alius angelus uenit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureū, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorū de manu angeli coram deo. Et accepit angelus thuribulum aureū, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua & uoces & fulgura & terræ motus magnus. Et septem angeli qui habebant se-

ptem tubas, præparauerunt se ut tuba canerent. Et primus angelus tuba cecinit, & facta est grādo & ignis, mista in sanguine: & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum uiride combustum est. Et secundus angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens, missus est in mare, & facta est tertia pars maris, sanguis: & mortua est tertia pars creaturæ eorū quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit. Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminū, & in fontes aquarum: & nomē stellæ, dicitur Absynthium, & facta est tertia pars aquarum in absynthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amare factæ sunt. Et quartus angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luaceret pars tertia, & noctis similiter. Et uidi, & audiui uocem unius aquilæ uolantis per medium cœli dicentis uoce magna, Væ uæ uæ habitantibus in terra: de cæteris uocibus trium angelorum qui erant tuba canituri.



T cum aperuisset sigillum septimum. Per hoc septimū sigillum quidam intelligunt mysteriū ultimi iudicij per Christum iudicem exercēdi, ubi item aperiuntur scripturæ de hoc loquentes, adeoq; de consummatione sæculi. Psalmi quidam de particularibus dei iudicijs aduersus impios compositi sunt, quæ tamen ultimi illius iudicij typi sunt, quemadmodum 76. 97. & quidam alij. Item Esa. 66. Dan. 12. Iohel. 3. Zeph. 1. Zach. 14. Malach. ultimo. Qui loci etiam si de particularibus quibusdā dei iudicijs iuxta historicum sensum loquantur, maxime tamen in eum diem, in ea tempora quadrāt, quando ulturus est dominus populum suum de manibus Antichristi, adeoq; in ultimū generale iudicium breui eam ultionem sequuturum: quando omnium magnissime aduersus sathanæ regnū in uniuersum potentiam suam exerturus est. De quo Christus seruator noster Matth. 13. & 25. Præterea Iohan. 5. & apostolus Paulus 1. Cor. 15. 1. Theff. 4. & 5. Item 2. Theff. 2. Item 2. Pet. 3. Consequenter silentium intelligunt iam cessare à clamore, quo petebāt uindictam, supra cap. 6. animæ interfectorum, uidentes iudicium domini iustum in eos & meritas luere pœnas. Porrò mediam horam satis esse ad significandā pacem hanc & quietem, adeoq; ad disunctionem eorū quæ de septem sigillis dicta sunt, & quæ iam quasi nouo sequuntur exordio. Verum Diuus Augustinus per dimidiā horam, in initium quietis æternæ significari putat, quod septenarius numerus quietis sit, ut Gen. 2. cap. At Beda, post quem alij quidam, per dimidiā horam, tempus illud medium inter Antichristi interitum, & aduentum Christi ad iudicium. Ad quod facere uidef illud Danielis 12. cap. Beatus qui expectat, & peruenit ad dies 1335. Quod iuxta Beatū Hiero. intelligitur de 45. diebus qui superant mediam hebdomadam, qua duratura sit ultima persecutio, post quorum finem dominus & saluator in sua maiestate uenturus sit. Igitur secundum illorū sententiam apud Danielelem per 45. dies, qui superant mediam hebdomadam, & hoc loco per mediam horam, incertum tempus aduentus domini etiam post occisum Antichristum significatur, iuxta illud Matth. 25. Media autem nocte clamor factus est. Item, De die

die et hora nemo scit. Item, Non est uestrum nosse tempora uel momenta &c. Sic i. Thessa. 5. Dies domini sicut fur in nocte. Qua in re insigniter falsi sunt proximiis annis, & alios sefellerunt Anabaptistæ, certum annum, diem, & horam finis mundi ex reuelatione spiritus, ut iactabant, præscribentes, quod tamen tempus iam præterijt. Sunt item qui per hanc mediæ horæ quietem, intelligunt pacem à Constantino datam ecclesijs, & libertatem factam publica construendi oratoria, ac publice docendi Euangelium. Nicolaus de Lyra refert ad persequutionem Iuliani Apostatæ, qui ecclesias Christianorū oclusit, & publice psallendi ritum prohibuit, quæ tamē persequutio quasi mediā hora durarit. Quando breui adeo tempore regnauit, nimirum anno uno & mensibus sex, secundum Hieronymū. Nam bellum Persis inferens occiditur. Tanta est in hoc loco exponendo diuersitas, ut quem potissimū sequaris, non facile uideas. Mihi autē uidetur iam rursus nouo ordine ab exortu regni Christi, uarios ecclesiæ narrare euentus. Proinde silentium referrī ad ea quæ interim tacitus adornabant, & futuris euentibus adparabantur, nimirū angelos paratos, & futuro operi accinctos adstare. Deinde tubas illis dari. Iam alium angelum sacris operaturū aduenire, altari adstare, suffragium facere, & siuaue coram deo patre olere sanctorū preces per Christum oblata. Quæ omnia summo interim silentio Iohan. fieri cernit, quasi mediā illa hora, qua significari uidetur tempus illud à Christi ascensu, quo discipuli domini unā cum sanctis mulieribus et Maria matre domini in cœnaculo oclusi, propter metū Iudeorū, orantes cum ieiunio & lachrymis expectantes promissum patris, spiritum & uirtutem ex alto, quemadmodū Christus iusserat, Act. 1. Item Act. 4. ubi prohibent apostoli loqui uerbum, reuersi ad suos orant, Domine tu qui fecisti cœlū & terram. Item post lapidatū Stephanū, facta magna persequutione in ecclesia Hierosolymis, omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ præter apostolos, Act. 8. & perambulauerunt usq; Phœnicen & Cyprum & Antiochiā, nemini loquentes uerbū, nisi solis Iudæis. Igitur dum ecclesia in silentio agit, & res suas cum precibus ac lachrymis domino commendat, & Iudæi interim actum putant de Euangelio, Christus summus sacerdos orationes ecclesiæ coram patre offert.

Et uidi septē angelos stantes in conspectu dei.] Nascenti ecclesiæ prospera nunciat Iohannes. Stantes, promptos atq; paratos significat, ad iussa dei capeffenda, ociusq; perficienda.

Et datæ sunt illis septem tubæ.] Tubarū multiplex usus est, inter quos ille quoq; unus est, quod potestas publica leges & sententias latas, ad tubarum clangorē publicare soleat, & in uulgus proclamare. Illud officij & hic angelis Iohan. tribuit, per quos tamen apostolos & uerbi ministros intelligunt.

Et alius angelus uenit.] Hunc Christū intelligunt, qui est sacerdos in æternum, qui semetipsum per spiritum sanctum obtulit deo patri pro nobis hostiam in odoris suauitatem, Heb. 9. Porro per altare aureum, thuribulum aureū, atq; incensum. Alludit ad tabernaculum, quod ad exemplar cœlestiū, Mosi in monte commonstratum & fabrefactum, Heb. 8. cap.

Et data sunt ei incensa multa, ut daret de preca.] Hic habes summum sacerdotem & mediatorem, per quem ecclesiæ preces & oblationes deo patri gratæ sunt. Atq; hoc loco uides arma ecclesiæ, quibus tuta ab aduersaria potestate consistere queat, nimirum preces igne afflictionis accensas, et per Christum oblatas. Thuribulū aureū, fides sincera, uelut aurum igni probata, & aduersario cedere nescia. Fumus ardentem fidei adfectū significat, iuxta illud Psal. 141. Dirigatur oratio mea sicut incensum &c. Quales erāt patrum pro adimplendis promissio-

nibus Abrahamæ ac Dauidi de regno Messiaæ accelerando & prouehendo. Quales & hodie piorum sunt, dum orant, Adueniat regnum tuum. Huiusmodi uero at-
dens & assidua piorum precatio, iuxta Iaco, in epist. cœlos penetrat.

Impleuit illud de igne altaris & misit in terram.] Id quod factum die pen-
tecostes memorat Luc. Acto. 2. cap. Et in hunc quoq; sensum Petrus ibidem lo-
helis prophetiam interpretatur. Videtur autē Iohannes alludere ad illud Esa. 6.
cap. In manu eius carbo uiuus, quem forcipe tulerat de altari. Porro per hoc si-
gnificatur, non nisi igni cœlesti ministros Euangelij idoneos reddi posse.

Et facta sunt tonitrua & uoces & fulgura & terræmotus.] Habet quiddam
simile exordium Euangelicæ prædicationis cum initio promulgationis legis,
Exo. 19. cap. Hinc & Lucas sonum & uentum uehementem & commotū locum
memorat Act. 2. Id quod etiam autor epist. Heb. cap. 12. Cuius, inquit, uox mo-
uit terram tunc, nunc autem repromittit dicēs, Adhuc semel & ego mouebo non
solum terram sed & cœlum &c. Significatur uero huiusmodi metaphoris hyper-
bolicis potentia uerbi, qua cuncta quæ se aduersus dei scientiam extollunt com-
moluntur, quemadmodum Paulus in 2. Cor. 10. cap. Est enim omni tonitru, ful-
gure, ac terræmotu horribilior sermo dei uiuentis. Id quod ex eo adparet, ubi lo-
quente domino sua uerba, perterriti ac pauore concussi, steterūt procul dicentes,
Mosi, Loquere tu nobis &c. Non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur,
Exod. 20. cap. Huc pertinet quod autor epist. ad Hebr. cap. 4. Viuus est sermo
dei &c. An nō uisæ sunt ingens & horribile tonitru uoces illæ Petri, ubi post ac-
ceptum cœlitus spiritū ait ad plebem, Iesum à Nazareth uirū adprobatum à deo
in uobis uirtutibus & prodigijs &c. Hunc per manus iniquorū affigentes inter-
emistis. Quibus auditis compuncti sunt corde & dixerunt, Quid faciemus uiri
fratres? &c. Similiter & quæ Stephanus Act. 7.

Et primus angelus tuba cecinit & facta est grandis.] Quidam per septem
tubas, intelligunt septem grauissima dei iudicia, usq; ad ultimum & finale iudi-
cium, nimirum à diluuiō repetendo atq; deinceps usq; ad septimum & ultimum.
De quibus uidebimus per ordinem. Primus igitur angelus tuba cecinit iudicium
originalis mundi, nempe diluuij, confusionis linguarum & Sodomorum, de qui-
bus Gen. 6. 11. & 19. Vnde Petrus in posteriore cap. 2. cohortans ut per fidei pœ-
nitentiam terribile dei iudiciū declinemus, ita loquitur, Si originali mundo non
pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuiū in mundum
impiorum inducens, in quo tota Caini posteritas ad unum perijt, & ciuitates So-
domorum & Gomorreorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplū
eorum qui impie acturi sunt ponens &c.

Facta est grandis & ignis mixta sanguine.] Hoc satis patet ex historia di-
luuij & Sodomorum.

Et tertia pars arborum concremata est & omne fœnum.] Arborū & fœni
nominibus, homines in scriptura significari uel ex Psal. 1. & Esa. cap. 40. clarū
fit. Porro pars hominum tertia perijt, siue ad diluuiū, siue ad Sodomorum in-
cendium respicias. Si ad diluuiū, certum est totam Caini posteritatem, qui ē tri-
bus Adami filijs, quos scriptura memorat, primus fuit, ad unum perijt. Si uero
ad Sodomorum incendium, constat Sodomos posteritatem esse Cham, tertij filij
Noah, Gen. 10. Præterea & alia quoq; ratione tam hij qui in diluuiō, quam qui
incendio perierunt, tertia pars hominum dicuntur. Nam sunt quidam iusti qui
pœnitentiam alijs prædicant. Alij iniusti quidem sunt, sed audientes uerbū com-
minationis & cohortationis, ad deum per pœnitentiā cōuertuntur, & iusti fiunt.
Tertia

Tertia uero pars sunt iniusti, peccatores, qui uerbum cohortationis contemnunt & impoenitentes permanent, imò peccatū suum prædicant, latantur quoq; cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Verum ut ad ecclesiam noui testamenti hæc referamus, primo angelo tuba canente facta est grandis & ignis, id quod Petrus ex Iohel Act. 2. interpretatur, ut paulò ante diximus, referendum esse ad Iudæos prædicationi apostolorum pertinaciter resistentes, quo tandem diuinam in semetipsos ultionem ob contemptam dei admonitionē prouocantes, inauditas inciderunt calamitates. Id quod per sanguinem & ignem & fenum in Iohel significatur cap. 2. Quo etiam pertinere uidentur quæ in Zephonia cap. 1. Simul etiam alludit Iohan. ad portenta illa siue in diluuiò, siue in Sodomis, siue etiam in Aegypto facta, quemadmodum & alijs locis scriptura solet ad huiusmodi alludere. Et tertia pars terræ, & tertia pars arborum &c. Grandem calamitatem futuram mortalibus, præcipue Iudæorum genti, cõsiliū dei in se spernentibus, minatur, nimirum fame, gladio, & peste perituros ostendens: quæ per grandinam, sanguinem & uaporem fumi accipimus apud Iohel. De grandine & sanguine per se satis quidem manifestū. Porro uapor fumi aerem pestilentem significat. Ad huiusmodi uero portenta, p̃ij firmantur in fide, ubi experimēto discunt deum suo uerbo, quemadmodum pollicitus est, adesse. Deinde & peccatores, qui sanabiles sunt in populo, à uesanis erroribus resipiscentes, timorē dei concipiūt. Tolluntur deniq; impij ut pietati locus detur. Quod uero tertia pars perit, duabus saluis, significari mihi uidetur, id quod per Psal. dicitur, Misericordia eius super omnia opera eius. Et ut Iacobus in epist. ait, Misericordia superexaltat iudicium.

Et secundus angelus tuba cecinit & tanquam mons magnus.] Secundus angelus, ut quidam exponunt, iudicium submersi Pharaonis, cum electis proceribus & uniuersa uirtute bellica, cecinit. Mons magnus & ardēs, Pharaon est aduersus populum dei furore incensus. Porro tertia pars hominum, hoc loco Aegyptij sunt, posteritas Cham ex Mizraim. Gen. 10. & Psal. 78. Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. Item tertia pars hominū pro impoenitentibus ad uisa portenta. Tertia uero pars nauium, quod Aegyptus tota ferè aquis innatet, ut Geographi tradunt. Tertia pars maris facta est sanguis, iuxta illud Psal. 78. Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. Verum ut ad Euangelicæ prædicationis tempora referamus, conabimur. Per montes regna in scriptura significari, uel ex Esa. cap. 2. manifestū sit, Erit præparatus mons domini &c. atq; aliquot locis in Psalmis. Sic & per mare robur ac potentia nonnunq; ut apud Esa. cap. 23. Fortitudo maris dicēs &c. Videtur igitur mihi regnum aliquod potentissimū, quod sibi monarchiam super alia mundi regna uendicet, hoc loco per montem significari: quod tamen ab alio regno quodam fortiori, prorsus uelut mons à mari absorbendum sit. Hoc quod pulchre de regno Romanorū omnium fortissimo inter mundi regna, & regno cœli, quod Christi est, apud Danielem cap. 2. & 7. delineatur. Et Christus Matth. 12. Cum fortis armatus &c. Item Iohan. 12. Nunc princeps huius mundi eicietur foras. Præterea 17. eiusdem, Confidite, ego uici mundum. Igitur secundus iste angelus læta nunciat ecclesiæ, nempe regnum huius mundi, regno Christi cessurū, & uelut à mari fastissimo absorbendū. Mons igni ardens, hoc est ira & furore aduersus Christi regnū incensus, quemadmodum de Paulo dicitur, quod erat spirans minarum & cædis in discipulos domini, Act. 9. Tales fuerunt in uniuersum cum Iudæorum tum Gentium pontifices, qui Romanorum & Cæsares & præsides ad persequendum Christianos inflammabant,

quemadmodū Acta apostolica testantur. Facta est tertia pars maris sanguis: ipsis furore percitis et in se inuicem saeuientibus, quemadmodū Midianite Iudicum 7. cap. & quemadmodū supra de Romanis principibus diximus, qui mutuis inter se caedibus ac bellis intestinis Romanum imperiū, magis quā ulla uis externa, labefactarunt. Et mortua est tertia pars eorū quae habebant animas in mari. Hoc est bona pars bellicae uirtutis, quae classibus marinis belligeratur, perit. Nam terra marique mutuo se conficiunt Romani ciues, ut historiae tradunt. Et tertia pars nauium interiit, hoc est classes maritimarū copiarū, quibus nauale bellum exercetur. Possunt etiam per naues haud ineleganter significari principes, sapientes, ac rerum publicarū rectores, quos dominus aufert ē populo quē uult perire, Esa. 5.

Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit ē cœlo stella.] Tertius angelus, ut illi de quibus supra tradunt, iudiciū de excindendis gentibus in terra Chanaan, quae & ipsa posteritas Cham Gen. 10. cecinit. Præterea et impoenitentes, quando iam terror aduentantis populi circumuicinas regiones deserti inuaserat, quemadmodum admodum adparet in historia exploratorum, & hist. Bileam.

Stella ardens tanquam facula.] Ira dei aduersus Gentium impoenitentiam accensa, quod misericordiam dei non implorarent, sed magis ad resistendum populo dei se armarent, quo in sua malicia diutius perdurarent.

Nomen stellae absinthium.] Cuius succus uomitū extorquet, quemadmodum phisici tradunt: sic terra euomit gentes illas, Leuit. 20. cap.

Multi homines mortui sunt de aquis.] Consuetudo Israelis cum gentibus, facta est illis in perniciem, Exo. 23. Deut. 7. Psal. 106. Porro si ad Euangelicæ prædicationis tempora referamus, uidetur mihi Iohan. prophetarum more tristitia miscere lætis, quo ad timorem domini ac uigilantiam, aduersus uanam carnis securitatē, excitet pios. Quid igitur si per stellam illam intelligamus hæresiarum quempiam insignem, qui sua hæresi multis subinde hæresibus uiam parat. Qualis fuit Simō ille magus Act. 8. ē cuius hæresi multæ subortæ, ut Euseb. eccl. hist. lib. 2. cap. 13. autor est. Et quales Manichæus, Nouatus, Arrius, atq; Pelagijs, qui omnes insignes hæresiarum fuerunt, & multarum hæresum causa. Iam per flumina & fontes doctrinam accipi in scripturis ex Prouer. 5. Salomonis & Euangelio Iohan. 4. et 7. cap. manifestum sit. Item per absinthium doctrina praua & pharisaica, qua purus fidei sensus turbatur, & dulcor amarescit, iuxta illud Deut. 29. Ne forte sit inter uos radix germinans fel & amaritudinem. Huc etiam uidetur alludere Christus, ubi iubet cauendum esse à fermento pharisaeorum. Et multi hominum mortui sunt de aquis. Peruersa doctrina ut à Christo, qui unus uera et æterna uita est, abducit, ita morti æternæ destinet necesse est. Hinc Petrus Iohan. 6. Ad quem ibimus? Verba enim uitæ æternæ habes &c. Aduersus uero huiusmodi pseudodoctores plura in 2. ad Tim. & 2. Petri epistolis leges. Porro si historias reuoluimus, multis legimus hæreses fuisse exitio.

Et quartus angelus tuba cecinit & percussa est.] Quartus angelus, ut illi de quibus supra tradunt, iudiciū exploratorū & populi in deserto, propter murmur & impatientiā, seditionem aduersus Mosen & Aharonem, propter scortationem cum Midianitis, & propter peccatū uituli, quæ summarie apud Paulū 1. Cor. 10.

Tertia pars solis & tertia pars lunæ.] Israeliticus populus recte solis, lunæ, ac stellarum nomine accipiuntur, iuxta illud, Suspice cœlum & numera stellas. Sic erit semen tuum, non tam quo ad numerositatem, quā etiam ad claritatem. Et illud, Vidi solem & lunam & stellas undecim adorare me.

Ita ut obscuraretur tertia pars eorum.] Hic propter impoenitentiam instar filiorum

filiorum Cham, Iudæi, qui perierunt, recte accipiuntur. Vnde per imitationem Sodomitæ, Amorrhæi & Hethæi apud Esa. 1. cap. & Ezech. 16. nominantur.

Vt diei non luceret pars tertiâ.] Tertiâ pars illius populi, non intellexerunt in mirabilibus operibus fauorem dei erga se, Psal. 106. iuxta Heb. numerum.

Et noctis similiter.] Prosperitate quoque terrena tanquam ingrati merito priuantur. Vel, quod tota multitudo hæc in qua multi boni, propter permixtos malos, dicta sit pessima, rebellis, exasperans, & multa id genus alia, adeoque propter illos multis externis malis afflictâ. Si uero ad Euangelicæ prædicationis tempora referamus, sic nobis uidetur tertiâ pars solis percussa, Christus sol iustitiæ & candor est lucis æternæ, cuius & apostoli lux mundi ab eo dicti sunt. Tertiâ igitur pars solis percuti, hoc est eclypsari & deficere dicitur, ubi potissimi, hoc est qui se Christi uicarios & apostolorum loco constitutos iactant, à Christi Euangelio ad sua deficiunt dogmata. Vt ubi Victor ecclesias orientis, propter paschæ celebritatem, à communionem separat; ubi Liberius in Arrianam hæresim siue metu percussus, siue mente captus abiit; ubi Bonifacius à Phoca Cæsare primatum super omnes orbis ecclesias obtinet; ubi successores interpretationem scripturarum sibi soli uendicant, & questionum fidei determinationem; ubi ciborum quorundam usum, quem Christus liberum permisit, omnibus credentibus interdicit; ubi clericis coniugium in totum, in quibusdam uero gradibus, lege dei non prohibitis, toti ecclesiæ illicitum facit; ubi belligerari pro patrimonio Petri, ut uocant, & alias friuolas ob causas, sibi & clero suo gloriosum ducit. Atque innumera id genus, quæ cum Christi Euangelio ex diametro pugnant, quibus tandem efficitur ut summi quoque imperatores, multa sibi licere putent quæ minime licent Christianis principibus. Ne uero extra orbitas nos currere dicant, quod defectum solis ita interpretet, ipsi nobis ansam ad hoc præbuerunt in ca. Solitæ, de maio. & obe. ubi se ipsos faciunt solem, imperatoriam uero maiestatem lunam. Cur igitur ego illorum defectus non interpretarer solis & lunæ defectus?

Et tertiâ pars lunæ & stellarum.] Hoc est bona pars prælatorum & doctorum ecclesiæ, præterea eorum qui rem publicam gubernant, et alijs præsent, Oportebat namque episcopum alijs, non modo è uulgo, uerumetiam è clero, scientia & eruditione legis dei præstare, ut si quæ fidei quæstiones inciderent, dissoluere, & succrescentes in ecclesiâ hæreses, uerbi dei sarculo euellere posset, quemadmodum Paulus in epistola ad Titum scribit cap. 1. Deinde & uitæ quoque sanctimonia illum cunctos de ecclesiâ excellere oportebat, ut esset exemplar & forma gregis. Modo nedum scientia legis dei eruditi non sunt, sed ne ferre quidem eruditos possunt, sed Trazones, Cyclopes, Harpiæ, & Helluones in illorum aulas undique conuolant, bona ecclesiæ, quibus eruditi & pauperes Christi fuerant alendi, uorantes.

Et diei non luceret pars tertiâ.] Quod ecclesiæ Christi dignitas, gloria, & decus, propter illorum qui præsent defectum, bona parte perierit, neque specimen quilibet exile ueteris illius ecclesiæ amplius præ se ferat; ita in omnibus ab apostolico instituto ad suas libidines deflexerunt, iuxta illud, Nomen dei per uos blasphematur inter gentes, Ezech. 36. Rom. 2. Propter quod reddit & illos contemptos, iuxta Psal. 107. & Hiob. 12. & ut sal infatuatum conculcandos Matth. 5. cap. sicut est dies hodierna.

Et uidi & audiui unum angelum uolantem per medium coeli.] Grace non est aquila sed angelus. Item tantum bis habet uas. Quibusdam uidetur uox esse legis & prophetarum, quæ comminetur poenas transgressoribus, de quibus tres tubæ sequentes. Nam quatuor supradicta iudicia, ante legem datam facta sunt.

Si uero legatur iuxta ueterem interpretem, [Audiui uocem unius aquilæ.] & referatur ad Euangelicæ prædicationis tempora, per aquilam, quæ acutissime cernit, altissimeq; & indefesse longissima terrarum spacia peruolat, intelliguntur uiri, qui ex spiritus reuelatione acutissime futura dei iudicia, propter huiusmodi hæreses & impias abominationes, cernunt, & ea ecclesiæ dei forti animo & indefesso studio uocēq; magna ingeminant. Quales fuerūt olim Athanasius Alexandrinus, Eusebius Vercellensis, Hilarius Pictauiē, Iohannes Chrysoſtomus, Cyrillus, Ambrosius Mediolanē, Augustinus Hypponenſis, & quidam alij.

Væ uæ habitantibus in terra.] Hoc loco Væ non imprecantis (ut aliās crebro in scripturis) sed prædicentis adeoq; dolentis est. Ingeminatur uero, quo magnitudinem pariter & certitudinem calamitatum, nisi resipiscant, insinuet.

E cæteris uocibus tubæ trium angelorum qui erant tuba canturi.] Qui extremorum temporū incredibiles erant prænunciaturi calamitates, quæ superiorum temporum, quamlibet graues, longe sint excessuræ, iuxta saluatorem Matt. 24. & 2. Theſſ. 2.

CAPVT IX.

Quintus angelus tuba cecinit, & uidi stellam de coelo cecidiſſe in terram, & data est ei clauis putei abyſſi. Et aperuit puteum abyſſi: & ascendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierūt locuſtæ in terram: & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ, & præceptum eſt illis ne læderent ſœnum terræ, neq; omne uiride, neq; omnem arborem: niſi tantum homines qui non habent ſignum dei in frontibus ſuis: & datum eſt illis ne occiderent eos: ſed ut cruciarentur menſibus quinq;, et cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpj cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & deſyderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Et ſimilitudines locuſtarum, ſimiles equis paratis in prælium: & ſuper capita earum tanquam coronæ, ſimiles auro: & facies earum tanquam facies hominum, & habebant capillos ſicut capillos mulierum: & dentes earum, ſicut dentes leonum erant, & habebant loricas ſicut loricas ferreas, & uox alarum earum ſicut uox curruum equorum multorū currentiū in bellum, & habebant caudas ſimiles ſcorpionum: & acculei erant in caudis earum: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinq;, & habebant ſuper ſe regem angelum abyſſi, cui nomen Hebraice Abadon, Græce autem Apolyon: & Latine habens nomen Exterminans. Væ unum abiit, & ecce ueniunt adhuc duo uæ poſt hæc. Et ſextus angelus tuba cecinit: & audiui uocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos dei, dicentem ſexto angelo qui habebat tubam, Solue quatuor angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. Et ſoluti ſunt quatuor angeli, qui parati erant in horam & diem & menſem & annum: ut occiderent tertiam partem hominū. Et numerus equeſtris exercitus uicies millies dena millia.

lia. Et audiui numerum eorum. Et ita uidi equos in uisione: & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas & sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne & de fumo & sulphure, quæ procedebant ex ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum, nam caudæ eorum, similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent. Et cæteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neque poenitentiam egerunt de operibus manuum suarum ut non adorarent dæmonia & simulachra aurea & argentea et ærea et lapidea & lignea, quæ neque uidere possunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt poenitentiam ab homicidijs suis, neque à ueneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

T quintus angelus tuba cecinit & uidi stellam de cælo. Quintus angelus, iuxta illos de quibus supra mentio facta, uaria in filios Israel iudicia canit, eo quod post Iosue mortem dereliquerint dominum deum seruientes idolis. Propter quod tradidit eos in manus regis Mesopotamiæ annis octo. Deinde in manus regis Moab annis decem & octo. Postea in manus Iabin regis Chanaan per annos uiginti. Tandem in manus Midianitarum annis septem. Postremo in manus Philistinum & filiorum Amon. De quibus liber Iudicum & duo libri Samuelis.

Vidi stellam de cælo cecidisse in terram. Hanc putant sathanam esse, de quo Christus Luc. 10. Videbam, inquit, sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Idcirco Iohannes non uidit eum cadere, sed cecidisse.

Data est ei clauis putei abyssi. Hoc est, potestas mentiendi & imponendi parum firmis. Hinc omnis irrepit heretica peruersitas, Io. 8. Mendax est et pater eius.

Et aperuit puteum abyssi & ascendit fumus putei. Hoc est usque ad mundi sapientes mendacium & impostura peruenit, Sap. 13. & Rom. 1.

Et obscuratus est sol. Hoc est, etiam populus dei habens scientiam legis quæ cunctis terræ populis præstantior est, in errore abducitur, ut sequatur deos alienos.

Et de fumo exierunt locustæ in terram. Locustas uocat gentes illas per circuitum Israelis, nempe Mesopotamios, Moabitas, Chanaanæos, Midian, Amalek, Philistinum & Amonitas: quibus populus dei, propter ueram religionem neglectam & falsam susceptam, traditus est adfligendus, super quem locustarum instar irruerunt, Iudicum 6. capite.

Data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terræ. Quæ ore blandiendo cauda percutiunt. Sic Balach per mulieres populo blanditur, quem postea gladio percutit, Numeri 24. & 25. Ad eundem quoque modum & aliarum gentes, inter quas habitabant, illis fecerunt. De quibus Iudicum 3. cap. legimus.

Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ. Significat figurate dixisse locustas. Nam locustarum est, non homines, sed fœnum lædere: quemadmodum in Aegypto & apud Iohalem. Quo autem pacto læserint homines, legis Iudic. 6.

Qui non habent signum dei in frontibus. Hoc est, qui patrum ac legalem cultum deseruerunt, ut in lib. Iudic. dicitur.

Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarentur mensibus quinque. Non enim erat illorum completa iniquitas, iuxta illud Exo. 32. Ego autem in die ultio

nis uisitabo & hoc peccatū eorū. Et Matt. 23. Implete mensuram patrū uestrorū. Mensibus quinq;.] Menses quinq; sunt quinq; temporū ac seruitutis sub nominatis quinq; regibus permutationes; per menses uero breuis temporū mutatio significatur. Quinq; igitur mensibus cruciati sunt, hoc est quinq; uicibus in seruitutem traditi sunt, & demum per Dauidem regem in libertatem adferri, ut in 2. lib. Samuelis cap. 9. & 11.

Quarent homines mortem & fugiet mors.] Tantus, inquit, erit scorpionū cruciatus in hominibus, ut uel morte illum finiri cupiant, ne leuem futurum putent. Ex quo adparet omnia in manu domini sita esse, non in hostis, neq; etiam nostra uoluntate, quantum ille noceat.

Et similitudines locustarū similes equis paratis in praelium.] Magna equorum & locustarum secundum naturam dissimilitudo, sed imitatione quadam similes. Propria quidem animi ferocia equi bellici, at uiribus impediti, instar locustarum erant imbecilles; id quod de formicarum ira dici solet.

Super capita earum tanquam coronæ similes auro.] Reges Gentium suis uiribus uictoriam de populo dei tribuebant, quibus deus ceu flagello ad castigandum populum suum duntaxat utebatur; ideo dicit, Tanquam coronæ, & similes auro. Ex quo simul adparet, quantum aduehat malorum, deseruisse dominum. Quos enim oportebat tanquam leones omnibus per circuitū gentibus esse formidini, postquam dominum deseruerunt, tam facti sunt formidulosi, ut ne locustis quidem sese ausint opponere.

Et facies earum tanquam facies hominum.] Per faciem prudentia ac sapientia, quæ in facie relucet, accipienda. Quod igitur ait, Tanquam facies, simulatam prudentiam ac sapientiam, nimirum carnis, quæ stultitia est apud deum, intelligit. Iudæi uero quos oportebat scientia legis dei pollere, adeoq; sapientiores esse cunctis gentibus, indeq; fore, ut nemo illorum, sed ipsi alijs dominarentur, quemadmodum in Deut. 4. dicitur. Hæc enim est uestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes uniuersa præcepta hæc dicant, En populus sapiens & intelligens gens magna &c. Et eiusdem 28. Videbuntq; omnes terrarum populi, quod nomen domini inuocatum sit super te, & timebunt te. Atq; post pauca, Constituet te dominus deus tuus in caput, & non in caudam, & eris semper supra, & non subter &c. Quam stulti igitur sunt, quibus gentes dominantur, qui tamen uera carent sapientia?

Et habebant capillos sicut capillos mulierū.] Quam effœminatos esse putas illos, quibus effœminati dominantur? Alicubi minatur deus, Et effœminati dominabuntur illis.

Et dentes earum quasi leonum erant.] Non reuera leonū, sed quod effœminatus & socors populus, ita ut leonum dentes illos formidarent.

Et habebant loricas sicut loricas ferreas.] Hæc omnia magis uidebatur hijs qui deum reliquerant quam reuera essent, quemadmodum dicitur, Fugies nemi ne persequente, à folio arboris cadente formidabis.

Et uox alarum earum sicut uox curruum equis multis currentibus.] Sic adparebat formidulosus, cum reuera essent locustæ.

Et habent caudas similes scorpionū, & aculei erant in caudis.] Cuncta uides eò facere, ut intelligas deserentibus deum, terrori esse ea quæ alioqui minime formidarent. Et aduerte hoc de scorpionū caudis ter repeti, quod ter decepti sunt per gentiū mulieres filij Israel. Vnde offenso deo, inermes & nudi in conspectu hostiū caderent. Primo Numeri 25. ubi suspensi principes & uiginti tria millia hominum

hominū occisa, Secundo Iudicū 3. Propter quod tradidit eos dominus in manus Gentium, & dominati sunt illorum qui oderunt eos, Psal. 106. Tertio 1. Reg. 11. Propter quod scissum regnum, & tandem in Assyrios regnū utrumq; translātū.

Nocere hominibus mensibus quinq;.] Id est per uices quinq; in seruitutem dati, ut supra uisum est.

Et habuit super se regem angelum abyssi.] Hic est angelus uastator, Christus, qui uenit saluum facere quod perierat, cōtrarius: ita iste omnia uastat & perdit, qui est rex super omnes filios superbix, à quo Gentium tyranni ad uastandum & perdendum omnia agitantur, quoniam dii Gentium demonia. Sathan autem, quemadmodum Christus ait, homicida erat ab initio: ac, ut Petrus ait, instar leonis circumit, quærens quem deuoret; cuius & laus secundum nomē eius Abaddon &c. Si uero ad euangelicæ prædicationis tempora referamus, uidetur mihi stella hæc Mahumetum in oriente, ac pontificem Romanum in occidente significare. Hij ceciderunt de cælo, hoc est ab Euangelij cœlestis simplicitate ac puritate, ad terrena proprii sensus dogmata. Vna uero stella censentur, quod unum uotum, unū studiū uterq; habeat, nempe Christū expugnandū, et sua statuendū.

Et data est illi clauis.] Clauis, acceptæ potestatis siue autoritatis & publicæ administrationis insigne est. Intellige uero potestatem datam, sua dogmata Ecclesijs obtrudendū, ab irato deo.

Aperuit puteum abyssi.] Infernum siue gehennam, hoc est damnatorum locum: adeoq; sathanæ regiam significat, iuxta illud Luc. 8. ubi Christum rogant demones, ne præcipiat eis ut in abyssum abeant. Atq; hoc loco uides, optime lector, clauis Romani pontificis, quas tantopere iactat.

Et ascendit fumus putei.] Hoc est, omnes hæreses in unum confarcinatæ, robur & autoritatem acceperunt per Mahumetem & Romanum pontificem. Et ut de altero istorum, tanq; de manifestiori nobis loquamur, id quod diximus, hoc loco manifestū faciemus. Quid enim aliud est Papatus in uniuersum, quam dæmonicarum superstitionum fœda quædam colluies? Nam à Iudæis ferias, delectum ciborū, unctiōnes, consecrationes, ieiunia, templi uasa preciosa & uestes, atq; reliquas id genus ceremonias mutuatus est, & ecclesiæ dei contra Christianam libertatem inuexit. Sic & à gentibus idola, & imagines Dei, Christi seruastoris, ac Diuorum, anathemata ac peregrinationes ad statuas. Præterea rasuras capitis, monachorum uarias sectas, nonnas uestales, cœlibatum clericorum, & similia. Item cum Tatianis coniugiū ac cibos prohibet, cum Arrianis Christi derogat diuinitati, cum se illi præfert, ubi in demortuos potestatem sibi uendicat, uel purgatorio illos eximens, uel in Diuorum numerū referens. Cum Pelagianis liberum arbitrium statuens, & meritū ac satisfactiōnes per propria opera docens, gratiæ Christi derogat. Et in summa, nō est ulla hæresis tam pestilens, cui patrociniū non ferat Papatus, si quis probe perpenderit. An uero nō est hoc aperire puteum abyssi, quo absq; numero eo deuolent animæ, ut apud Esa. 5. cap. dicitur, ubi gloriatur pontifex Romanus in suis decretis, quod etiam si pestiferis suis erroribus innumeras animas secum in baratrum trahat, æternis supplicijs cruciandas, non debere tamen quenq; mortalium illi dicere, Cur ita facis?

Et ascendit fumus putei.] Fumus incendiij index est: ita per autoritatem recepti errores, maximarū calamitatum indices sunt, quemadmodum in historijs Regum & apud prophetas uidere est.

Et obscuratus est sol.] Solem hoc loco ego electissimos quosq; cum de clero tum etiam de principibus intelligo. Quis enim nō uidet optimos Karolos, Otho-

nes, Heinrichos, Sigismundos, Friderychos, Maximilianos, à simplici Euangelij sensu in Papisticas obscuritates ac labyrinthos deuolutos: ad eundemq; modum multos episcopos, alioqui non usq; adeo malos principes, uel per metum uel per ignorantia tenebras, obscura papisticarum sanctionu inuolutos caligine: Porro ad consolationem piorum facere uidetur, qd fumo Papistica comparat dogmata, qua citius dicto euanescent ad ueritatis adparitionem.

Et de fumo exierunt locustae.] Doctores Antichristi, recte locustis comparantur, qua cum uolare uideantur, in altum tamen sese attollere nequeunt, sed per saltum parumper eleuatae rursus in terram decidunt. Sic doctores Antichristi, altissima quaedam de sacra triade pollicentes, ad inanissimas tamen relationes subinde relabuntur, in quibus uniuersam tandem illam doctrinam absoluunt. Sic de angelis, num differant specie uel solo numero, Quo pacto superioris ordinis angelus angelo inferioris ordinis loquatur, de motu, loco, & operatione illorum mire altercantur. Porro de incarnationis mysterio, num facta sit in instanti, num uirgo mater potuerit in instanti cooperari spiritui sancto ad formationem corporis Christi. Praeterea, Num uerbu potuerit suppositare lapidem: num foeminam: num asinum: num peccatum: num deniq; malum daemonem: Iam circa Eucharistiae mirabilia, per decem predicamenta, de transubstantiatione & accidentibus sine subiecto remanentibus, de illorum actione & passione, de actione et passione corporis Christi, ut in Eucharistia. Item de periculis circa missam. De animarum poena in purgatorio, et de suffragijs quibus iuuantur. De coniuratione animaru apparentiu. De casibus conscientiae, et in quibus possit absoluere simplex sacerdos nec ne: qua de re multae et magnae summae conscriptae sunt, quas Summas confessoru uocant. Item de potestate summi pontificis, cui nihil non tribuunt. De indulgentijs & iubileo, quibus rigor canonu poenentialiu laxat. A Gregorio magno post mille à natali dñi annos, primum coeperunt stationes publicae et indulgentiae ecclesiarum urbis. Centesimum primus Bonifacius octauus sub annum domini 1300 instituit. Clemens sextus ad quinquagenarium reduxit. Sixtus quartus ad uigesimumquintu, sub annum domini 1475, suo quaestui breuem hominis uitam praetextentes. Praeterea de portentis illis de quibus Rationale diuinoru. Item de cardinalium & episcoporum mulis, pileis & famulatu. De campanis sonandis uel non sonandis. De monachorum cappis, plattis ac cingulis. Et sexcenta id genus, in quibus ipsi consummatam theologiā collocant.

Et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones.] Qui cum blandi sint in speciem, tandem occulte uenenosis morsibus iciunt; sic illi conscientias iurare pollicentur, quas tamen laetaliu uulnerant.

Et praecipuum est illis ne laederent foenum.] Significat non esse tales quales olim in Aegypti ultionem missae sunt, & quales apud prophetas comminatur deus, qua foenu terrae, herbas uirides arboresq; depascunt, sed longe magis perniciosas, quemadmodum sequentia declarant.

Et dictum est illis ne occiderent eos, sed ut cruci.] Meminisse oportet, locustas non posse laedere, nisi tantum eos homines qui non habent signum in frontibus suis, de quo signo supra cap. 7. Qui enim non habent testimoniu & oblationem spiritus, quod sint uere filij dei per fidem Iesu Christi, ac regenerationem spiritus in uerbo, sed suis meritis, suis operibus, in filios dei recipi laborant, hii miru in modu cruciantur, nec tamē id hac uia assequuntur, iuxta illud Rom. 10. Ignorantes iustitiam dei, & suam querentes statuere, iustitiae dei non sunt subiecti. Finitis enim legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Talis erat & pharizaeus ille, qui

qui multum iactabat ieiuniū & alia opera Luc. 18. nec tamen iustus per illa euasit. Atq; hij tota uita cruciantur in iustitia operū, Cum iuxta Apostolū 1. Tim. 4. corporalis exercitatio ad modicum utilis sit, pietas autem ad omnia.

Et cruciatus eorum ut cruciatus scorpj cum percusserit ho.] Dicit non potest, quā horrende Papistica et superstitiosa religiosulorū de iustificatione impij doctrina, eorum mentes, qui peccatorum sibi conscj sunt, exerceat, ubi docent, primum attritionem esse necessariam, deinde ex attritione sufficienti fieri contritionem, & hoc de quolibet peccato; iam omnia peccata mortalia cum suis circumstantijs, quidam addunt etiam uenialia, numeranda esse in confessione suo proprio sacerdoti. Præterea cuilibet peccato suam debent satisfactionem siue pœnitentiam, quam complere oporteat priusq; in aliud peccatum incidat; quam ubi in uita non compleuerit, post mortem in purgatorio complendam esse: unde indulgentiæ promanarunt, & mortuorum suffragia. Item innumeri sunt casus, in quibus quis ipso facto nunc maiorem, nunc minorem excommunicationem iuxta canonum rigorem incurrit, à quibus ne sanctissimus quispiam heremita satis cauere sibi possit, imò necesse sit incidere quoslibet, quicumq; uolunt Christum uere. Et nisi Romanus pontifex hoc usus fuisset consilio, quod seipsum legibus exemisset, & legibus superiorem fecisset, nō posset uel horam absq; utraq; excommunicatione transigere. Quid igitur faciet inter tot laqueos timidæ conscientiæ? Dubium non est, quin huiuscemodi conscientiæ diris adeo cruciatibus torqueantur, qui etiam ipsa corporis morte intolerabiliore sint, imò nonnullos ad desperationem inconsolabilem, & ut sibijs mortem consciscerent, adegerunt.

Et in diebus illis quærent homines mortem & nō inuenient.] Tantus horror, ceu iam diximus, timidæ & erroneas conscientias tenet, ut eum cupiant uel cum morte commutare. Et uix desperatiores inuenies, quā eos ipsos qui perfectiorem iactant uitæ religionem, quales sunt Chartusiani, & Reformati, quos uocant: quorum conscientia utinam tibi essent explorata.

Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium.] Cataphrasis fingit instar equorum bellicorum, quo ferociam et pernicitatem simul ad notandum intelligas. Indefesso namq; studio discurrūt, & audaciæ sunt, ita ut etiā non timeant eos qui gloria præcellunt, conuiijs incessere, quemadmodū Petrus ait. Hoc est, Non uerentur etiā summos principes & magistratus hæreseos nota incessere, anathematis sententiam interminare, imò & bello quoq; laceßere, ubi eos qui illorum doctrinæ non subscribunt, & ad omne illorum uerbum non succinunt Amen, non mox à se eijciunt, damnant ac persequuntur.

Et super capita earum tanq; coronæ.] Similes aureis coronæ sunt, iactati sapius de uictoria hæreticorū, quos ipsi uocant, triumphi; quales frequentes nostra audiuerunt sæcula.

Et facies earum tanquam facies hominum.] Fictam illas præ se ferre significat mansuetudinem, humana enim facie, animi ferociam occultare pertentant, iuxta illud, Veniunt in uestimentis ouium &c.

Et habebant capillos, sicut capillos mulierum.] Augustinus eleganter, & quantum fieri potest honeste subnotauit hic foedum illorum describi coelibatum. In capillis, inquit, mulierum non solum fluxos & effœminatos mores, sed etiam utrumq; sexum ostendit. Quis enim hodie ignorat, tam crebro iactatam Sodomiticam, hoc est Romanam illorum castitatem? de qua inter alia Roma. cap. 1. Molliter quoq; & in otio uitā degunt, quibus in Decretis pontificū labor manuū etiā interdicit, contra Pauli apostoli institutū pariter & exemplū, 2. Theß. 3. cap.

Quin & S. Spiridonem ex pastore ouium factum episcopū, pastore ouium etiam in episcopatu positum permansisse, ecclesiastica perhibet historia lib. 10. cap. 5.

Et dentes earum sicut dentes leonum erant.] Dentes leonum & laniant & graue olent; quibus & ferocia ad nocendum, & uoluptas ad piorum fame detrahendum indicatur, Dentes leonum nulli animantium parcunt, ita illorum dentes nemo pius facile euaserit.

Et habebant thoraces sicut thoraces ferreas.] Hijs significantur indurata ad ueritatē habere pectora. Quod uero similes sunt thoracibus ferreis, significatur haud insuperabilia esse (qualia quidē iactitant) illorum dogmata; nec posse aduersus Euangelicā ueritatē consistere, iuxta illud, Dabo uobis os et sapientiā &c.

Et uox alarum earum sicut uox curruum equorum &c.] Graphice describit uoces illas terrificas, quibus excommunicationes aduersus haereticos in Bullis papalibus fulminant. Item clamores & tumultuarias sophistarum disputationes in scholis theologorum. Quin & murmur orantium in templis horas canonicas, quod recte stridori uolantium locustarū comparatur, quādo ne syllabam quidem eorum quae murmurant percipere queas, etiam ubi diligentissime animaduertis.

Et habebant caudas similes scorpionum & aculei.] Vim ac nocendi modum ostendit. Nam uenenatum post se relinquunt aculeum, ubi blandus eorum fuerit receptus sermo, quemadmodum paulo supra diximus.

Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.] Menses quinque nondum ad dimidiatum annum accedunt. Significare ergo uidetur earum breuiatam potestatem. Id quod hodie bona parte factū cernimus, & breui in totum speramus futurū, ut sublati in uniuersum monachis, logomachiae ueritati prorsus sint cessurae, & superstitioni successura sit uera religio.

Et habebant super se regem angelum abyssi.] Hic uides quo spiritu agitur huiusmodi doctores, nimirum a sathana, teste Apostolo 1. Tim. 4. cap. Spiritus manifeste dicit, quod in nouissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorū, in hypocrisi loquentium mendacium &c. Quidam tamen hoc ad ipsum Antichristum referunt, quem Iohannes hoc loco regem & angelum abyssi nominet, hoc est, inferni siue gehennae, quod innumeros sua pestilenti doctrina eò pertrahat. Hunc & paulo supra stellam uocat, quae de caelo ceciderit in terram, quod oporteat Antichristum ex ipsa ecclesia prodire, 2. Theff. 2. Act. 20. & 1. Iohan. 2. cap. Huic & datam clauē putei abyssi, id est potestatem inferni, quae est potestas tenebrarū, Matth. 26. & Ephes. 6. Cui & nomen Abaddon recte conuenit.

Nomē ei אבדון Hebraice, ἀπολλύων Grace, hoc est exterminator siue p̄ditor.] Nam & hunc quoque Paulus filium perditionis 2. Tess. cap. 2. uocat, quod innumerablem multitudinem in exitialem adeoque celerem perditionem adducat, 2. Pet. cap. 2. Nicolaus de Lyra, hunc locū de Valente Caesare, Arriana haeresi deprauiato, exponit. Sub idem tempus coepisse Vuandalos & Gothos totum ferē orbem Romanum uastare. Hos habuisse quinque per ordinem reges, quos quinque menses exponit: tandem Iustiniani tempore per Belizarium uictos: quibus mox Sarraceni iam uiribus aucti successerunt. Hec quia satis obscura, fusius tractauimus. Diligens lector eligat id quod consequentiae textus & ordini temporū magis quadrare uidetur.

Væ unum abiit, & ecce ueniunt adhuc duo uæ.] Primum uæ, de quo iam dictum est iuxta primam opinionem, quae septem tubas exponit pro septem principalioribus dei iudicijs, a mundo condito usque ad finem eius; nimirum quando filij

filij Israel post datam legem & distributam terram, dominum dereliquentes, traditi sunt in manus gentium per circuitum, ut per illas afflicti reuerterentur ad dominum. Secundum uæ, ubi propter idololatrias reges scissum regnum aduersus se mutuam sauerunt. Deinde traditi sunt in manus regum Assyriorum ac Babyloniorum, Persarum ac Medorum, Aegyptiorum, Græcorum, ac postremo Romanorum, quando non solum prophetas domini, sed & ipsum dominum contempserunt occidentes, tantum aberat ut ad percutientem se reuerterentur. Tertium, quod omnes increduli & impoenitentes, cum ex Iudæis tum ex Gentibus ac uicis Christianis, iuxta finem mundi cum suo Antichristo experturi sunt. Porro secundum eos, qui hæc ad Euangelicæ prædicationis referunt tempora, Primum uæ de ipsis falsis doctoribus & religiosulis, qui Antichristum in tantam euexerunt potentiam, exponunt. Secundum, ubi iam sauiissima persequutione grassatur per totum orbem aduersus pios. Tertium uero, circa finem & interitum regni Antichristi.

Et sextus angelus tuba cecinit.] Qui septem tubas ad septem principalia orbis iudicia referunt, exponunt sextam tubam de iudicio super regna Israel & Iudæ, per diuersos reges, & tandem excisionem totius regni & gentis Iudæorum per Romanos. Transmigrationem decem tribuum in Assyrios per Teglatphalassar regem, legis 2. lib. Reg. 15. cap. & 1. Paralip. cap. 5. Porro plenaria & ultima decem tribuum transmigratione, per Salmanassar regem Assyriorum facta est, ut in 2. Regum cap. 17. Et ibi habes catalogum malorum quæ fecerant. Transmigrationem uero totius Iudæ, habes 2. Reg. cap. ultimo, & 2. Paralip. cap. ult. & apud Hierem. cap. ult. Mala autem quæ perpeffi sunt post reditum e captiuitate Babylonica Iudæi, habes in lib. Ezræ, Neemiæ, & Machabæorum. Porro de excidio eius gentis per Romanos, habes Matt. 23. & Luc. 19. 21. & apud Iosephum de bello Iudæico. Beda uero, post quæ alij quidam, per sextum angelum prædicatores nouissimi certaminis intelligit, qui iuxta Euangelij ueritatem fraudes detegunt Antichristi.

Audiui uocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei.] Alludit ad altare aureum in tabernaculo, quo Christus dominus figuratur, cuius regni cornua per Euangelij prædicationem in quatuor orbis partibus prominitura erant.

Solue quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphr.] Quatuor angelos, quatuor regnorum monarchias faciunt hij, qui supra sextam tubam de iudicijs super Iudæorum populum futuris, exponunt, de quibus in Dan. 7. cap. Vocem ex cornibus altaris, prænunciationem propheticam intelligunt, post sententiam diuinitus laram, cum male agendo, etiam admoniti, pergerent. Euphrates ab una parte Israelitici regni terminus est, Iosue, 1. cap. A parte igitur totum intelligendum: nimirum antea, ubi diuina religione tenebantur Iudæi, ligatos fuisse in Euphrate quatuor angelos, hoc est non fuisse permisos à deo quatuor illa orbis regna ut fines Israelitici regni transirent ad nocendum.

Qui parati erant in horam & diem & mensem & annum.] Parati à deo destinati, ad uindictam in Iudæos exercendam. Hora, sunt 70. anni, quibus in captiuitate Babylonica usque ad Cyri regis Persarum imperium fuerunt. Dies, 230. anni sub regibus Persarum usque ad regnum Græcorum. Mensis, 300. anni sub Græcorum regibus. Annus dura & diuturna captiuitas sub Rom. imperio.

Vt occiderent tertiam partem hominum.] Iudæi hoc loco propter impoenitentiam ac morum imitationem, in posteritatem Cham reputantur. De quo supra fusius dictum fuit.

Et numerus equestris exercitus uicies millies dena millia.] Nam gloriantur

gentes numero curruum & equestri exercitu frequenter, iuxta illud Psal. *Hij in curribus & hij in equis &c.* Item Esa. 36.

Et ita uidi equos in uisione & qui sedebāt super eos habebāt thoraces.] Per equos Assyrios, Persas, Macedonas ac Romanos intelligunt; per sessores malignos dæmones, quibus ad furiam forent agitandi.

Et capita equorum erant tanq̄ capita leonum.] Haud secius equos atq̄ ipsos sessores feroces esse. Vnde & subiungit, De ore eorum procedit ignis.

Potestas equorum in ore eorum est & in caudis eorum.] Quia enim os illorum obseruauerunt, & os domini loquentis contempserunt, recte ab ore illorum torquentur. Præterea quia prophetis dæmoniorum fidem habuerunt, qui iuxta Esa. capit. 9. sunt cauda, quod sicut cauda in animali, ita & hij quæ natura foeda sunt specie quadam honesti contegere & honestare solent, congrue à caudis illorum tormentum accipiunt.

Nam caudæ eorum similes serpentibus habentes capita &c.] Sic serpens antiquus honestauit mendaciū suum, Nequaq̄ (inquit) moriemini, sed eritis sicut dñi, scientes bonum & malum. Tales igitur sunt falsi prophetae, & hij habent capita, nempe Iezabelem, Achab, ac reliquos impios reges per quos nocent.

Et cæteri homines qui non sunt occisi his plagis neq̄ resipu.] Loquitur de his Iudæis, qui post huiusmodi calamitates superstitēs fuerunt, neq̄ egerunt penitentiam &c. Et est ecclipsis. Subaudiendū enim est, Et ipsi bibēt de calice iræ; quemadmodū infra dicitur, ubi de phialis effundendis agitur. Hactenus illorum expositionem retulimus, nunc ad Euangelicæ prædicationis tempora referamus.

Solue quatuor angelos.] Primum quatuor angeli persecutores significant regnum Christi per quatuor orbis plagas diffusum, undiq̄ oppugnandum ab aduersarijs potestatibus. Hij tamen supra cap. 7. ne pro libidine nocerēt terræ & mari, prohibiti sunt, donec signarentur serui dei. Quæ prohibitio ligatio intelligitur. Solutio autē permissio est ad nocendum, eos uidelicet qui intra corda spiritus dei non sunt obsignati. Porro Euphrates Babylonix fluuius est, per quem significatur uis atq̄ impetus mundani regni, & persecutoris Antichristi rerū potentis, aduersarijs potestatibus agitati. Quanquam uero hæc, ut etiam supra de malis angelis, dæmonibus inquam, quibus sub Antichristi regno amplior quam antea concedit nocendi potestas, accipienda puto, nihil tamen prohibet ut quatuor illos malos angelos, exponamus præcipuos Antichristi, ad perdendum pios, instigatores, nempe supremi ordinis antistites cum cæteris ecclesiæ prælatis, Vniuersam monasticen, Academias et scholas, Principū consiliarios. Nam et huiusmodi portentis, omnes ferè magnorum principū aulae sunt oppletæ, à quibus & gubernantur. Horū igitur instinctu fit, cum sint Romano pontifici iurciurando obstricti, ut optimi alioqui principes Idolo Romano tantam faueāt potestatem.

Qui parati erant in horam & diem & mensem & annum.] Nihil temere & casu fit in uniuerso, sed ab æterno definito cuncta fiunt cōsilio. Ac ne passerculus quidē cadit in terram (teste saluatore) sine patre cœlesti. Significat igitur hic loquendi modus, omnia diffinitis à deo temporibus, diebus, horis, adeoq̄ certis fieri momentis. Ad hæc diffinitos quoq̄ ministros, eosdemq̄ paratissimos in omne momentum adstare, atq̄ haud dubium uidetur his uerbis indicare, desiderium, & oblectationem malignorum spirituum ad nocendum: nec tamen quicq̄ posse, nisi permissi à deo fuerint. Quanc̄ sunt qui putent per horam, diem, mensem, & annum significari non adeo breui, ut quibusdam uisum est, nempe per diemidiam annorum usualium hebdomadem, duraturum Antichristi imperium, de quo in sequentibus plura. Vt

Vt occiderent tertiam partem hominum.] Hoc est numerosam multitudinem, nimirum eorum qui spiritu dei obsignati non sunt, quos Antichristus seducet, ut iusto dei iudicio in peccatis suis moriantur. Tametsi sunt qui ad pios referant, quos Antichristus occisurus sit, quod characterem illius non receperint.

Et numerus equestris exercitus *ἑξήκοντα ἑξαμύρια*.] Hoc est, duæ miriades miriadum, nimirum uicies mille miriades. Siquidem miriades decem millia complectitur. Sicut igitur hac dicendi figura Dan. 7. & supra 5. cap. significatur maxima & propemodum innumerabilis multitudo deo famulantiū, ita & hoc loco maxima & innumerabilis multitudo militarium copiarum Antichristo militantium, in quibus omne robur & fiduciam suam collocat.

Et ita uidi equos in uisione, & qui sedebant super eos.] Igneæ thoraces alioqui dura, insuper ira & furore accensa sunt pectora, qualia Antichristianus aduersus pios gerit exercitus. Porro sulphur, iræ & furoris significat fomentum. Hyacinthus, æstuantem adeoque fumum inuidiæ ac liuoris exhalantem præfert animum.

Et capita equorum erant tanquam capita leonum.] Ex equorum sessoribus ostenderat Antichristi exercitum terribilem. Iam idem & ex ipsis equis ostendit. Porro equorum usus in bello est, ad celerem & repentinam hostium incursionem; iam & ferocia accedit, quod capita tanquam leones habeant; sed neque uires illis ad perdendum deesse ostendit.

Et de ore ipsorum procedebat ignis & fumus & sulphur.] Haud minus ad perdendum plurimos esse instructos equos atque ipsos sessoribus indicat.

Ab hijs tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne.] Quidam hæc ad doctrinam pestiferam referunt. Possent uero haud incongrue ad calumnias & obrektionem, quibus apud magnates utuntur, quo pios grauent inuidia, referri. Quamquam mihi uidetur ad apertam simul persecutionem pertinere, quemadmodum & in Ezechiele, Daniele & Zacharia adparet.

Potestas enim eorum in ore eorum est & in caudis eorum.] In ore primum nocent, blasphemam doctrinam præcipiendo. Deinde mendacibus signis confirmando. Iam contradicentes hæreseos crimine infamando. Tandem horribilem excommunicationis sententiam fulminando. Postremo potestati publicæ puniendos tradendo. Porro de ore grandiloquo ac blasphemico, plura infra capite 13. In caudis, hoc est auxilio brachij secularis, quod uel per ignorantiam eis in huiusmodi persecutione subsamulatur, putans se in hoc deo obsequi, & ad id obligari.

Nam caudæ eorum similes serpentibus habentes capita.] Serpentinam, hoc est uenenatam significat astutiam, omnium eorum qui Antichristo obsequuntur, & ab officio sunt.

Et ceteri homines qui non sunt occisi.] Hoc est, qui Antichristi doctrinam, quo terribilem illius exercitum euaderent, receperunt, putantes bene secum esse actum: confirmati in illa doctrina, non resipuerunt ab idololatria, homicidijs, ueneficijs, scortatione, & furtis suis &c. Atque hoc loco uides quæ sint studia eorum qui Antichristo sunt addicti. Primum sunt idololatræ, cum tamē neque Christiani, neque Iudæi, neque Turcæ tales uideri uelint. Deinde etiam homicidæ, uenefici &c. nec tales uideri uolunt. Porro longum fuerit enarrare Papistici regni patrata hæcenus homicidia, apud quos egregij parricidæ in precio sunt. Neque aliud agit sanctus ille Pater quam principes Christianos inuicem, ad patrandas multorum caedes & uastandas orbis regiones, committere. Ostende quæso bellum à sexingentis

annis & circiter, in orbe Christiano gestū, cuius non fuerit aliqua ex parte, uel aut tor uel pars pontifex Romanus. Cuius testes sunt uel ipsi pontificij historici; ut interim de priuatis, siue apertis, siue occultis cadibus taceā. O quot bonos uiros noctu Tiberis absorpsit? quot clam carceribus enecati? quot ueneno sublatis, uel ob leuē defectiōnis à sancta sede suspiciōnē? quot nostro sæculo, quibus hæc scribimus, per Germaniam fluminibus submersi, ignibus exusti, laqueis præfocati, aut gladio cæsi? Hac sola causa, quod unum Christum seruatorē ac mediatorē, adeoq; autorem salutis, aut docerent, aut confiterentur, nec illi Papam coniungi uel præferri paterentur. Quis uero illorū numeret ueneficia? Nemo principum hodie magis quàm ecclesiastici prælati fouet astrologos, necromanticos, aliosq; diuinos ac præstigiatores, & malis artibus deditos, si modo non ipsimet huiusce modi sint imbuti. Scortationes illorum, ut de præpostera interim Venere præteream, adeo in aperto sunt & orbi manifestæ, ut quicquid de illis dicat aut cantitet mundus, minus sit quàm res ipsa habet. Iam furta illorum, quo nomine scriptura sæpenumero omnem iniquum & fraudulentū quæstum intelligit, orbem ferè totum, & quicquid omnino charū ac preciosum habet, possidēt. Est uero ecclipsis hic, nam subauditur, Et ipsi quoq; calicem iræ domini bibituri sunt &c.

CAPVT X.

Uidi alium angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat ut sol, & pedes eius tanquam columna ignis, & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & clamauit uoce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua uoces suas. Et cum locuta fuissent septem tonitrua uoces suas, ego scripturus eram: & audiui uocem de cælo dicentem mihi, Signa quæ locuta sunt septem tonitrua: & noli ea scribere. Et angelus quem uidi stantem super mare & super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per uiuentem in sæcula sæculorū, qui creauit cælum & ea quæ in eo sunt, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ in eo sunt. Quia tempus non erit amplius, sed in diebus uocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabit mysteriū dei, sicut euangelizauit per seruos suos prophetas. Et audiui uocē de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem, Vade, & accipe librum apertū de manu angeli stantis super mare & super terram. Et abij ad angelū, dicens ei ut daret mihi librum. Et dixit mihi, Accipe librum, et deuora illum: & faciet amaricari uentrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanq̃ mel. Et accepi librum de manu angeli, & deuoraui illū: & erat in ore meo tanq̃ mel, dulce. Et cū deuorassem eum, amaricatus est uenter meus, & dicit mihi, Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.



Uidi angelum fortem descendentem de cælo amictum nu. 1 Septimam tubam adeoq; nouissimam, iuxta Paulum 1. Cor. 15. & 1. Theff. 4. cap. tertium & ultimum uæ omnium terribilissimū annunciantem, do- minus

minus suo uoluit praeuenire aduentu, quo pios admonitos et cautos, impios uero inexcusabiles redderet, Matth. 25.

Angelum fortem, amictum nube, & iris in cap. eius.] Ex descriptione adparet, esse angelum mediatorem, angelum testamenti adeoque magni consilij, Christum dominum nostrum. Hic enim dominus fortis & potens in praelio, cui omnes omnino cessurae sunt inferorum portae. Siquidem angelus officij, non naturae nominis est. Amictus nube, ubi uerbum patris aeternum, mundissima amictum carne, uelut cum sol nube obtegatur, mundo se praesentem exhibuit: id quod Apostolus dicit, in similitudine carnis peccati adparuisse. Porro iris in capite eius, significat in eo uno coelestem nobis placatum patrem, nimirum fide in illum aspicientibus, quo tuti sumus a uentura ira, Gen. 9. Matth. 3. & 17.

Facies eius erat ut sol.] In rebus creatis nihil sole amoenius ac iucundius, modo quis sanos habeat oculos, Hinc Zacharias Luc. 1. ca. Visitauit nos oriens ex alto, Ad illucescendum Iesus qui in tenebris & in umbra mortis uersantur &c. Talis & in monte discipulis uisus est, Matth. 17. De quo, 2. Pet. cap. 1.

Pedes eius tanquam columna ignis.] Supra cap. 1. ubi describit personam Christi iuxta utriusque naturae proprietatem, similes dixit aurichalco in camino ardenti. Quo significatur carnem Christi deificatam esse ex inhabitante deo, iuxta illud Coloss. 1. In quo habitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Hic uero ex officio illum describens dicit, Pedes eius tanquam columna ignis. Quo significatur apostolici praedicatorum, igni coelesti columnae in morem consolidati & firmati ad sustentandam Christi ecclesiam, Galat. 2. cap. Et iuxta illud Esa. 52. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.

Habebat in manu sua librum apertum.] In cuius potestate est aperire scripturarum mysteria, Iesus quos hoc dignatur munere Luc. ult. aperuit illis sensum.

Posuit pedem suum dextrum super mare.] Per hoc significatur Euangelium regni Christi terra marisque, praedicatoribus apostolis, obtenturum. Siquidem per mare insulae quas gentes inhabitabant, per terram uero Iudaea saepenumero in scriptura accipi solent. Apostoli namque primum, ubi adhuc imbecilliores, in Iudaea tantum praedicebant: postquam fortiores facti sunt, ad gentes quoque longissimas praedicaturi demigrarunt, Act. 13.

Voce magna quemadmodum cum leo rugit.] Christus leo de tribu Iuda praedam cum ex Iudaeis tum ex gentibus esuriens, rugit, iuxta prophetiam Iacob Gen. 49. & Amos 1. cap. Dominus de Zion rugiet: & eiusdem 5. Leo rugiet, quis non timebit? Hoc est, Dominus deus loquutus est, & quis non praedicabit? Est ergo rugitus leonis praedicatorum Euangelica iubente Christo, iuxta illud, Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis domini nostri Iesu Christi, ut in Actis scribit Lucas. Id quod significatum fuit clamore illo magno, quo Christus in cruce moriens expirauit.

Et cum clamasset loquuta sunt septem tonitrua uo. su.] Septem tonitrua prophetarum oraculorum uniuersitas est, quae uelut tonitruorum inarticulatae uoces obscura sunt & minus intelligibilia. Ea reuelante Christo Iohannes intellexit quidem, & uolens ea scribere & explanare, prohibitus est, cum propter legentium imbecillitatem ut Heb. 5. dicitur, tum propter sequentium cauendam desidiaem, maxime uero propter incredulorum contemptum et blasphemiam, iuxta illud Seruatoris, Ne quod sanctum est detis canibus, & ne margaritas ante porcos. Hinc est quod apostoli huiusmodi oraculorum adeoque mysteriorum explanationem uerius attigerint quam ad plenum tradiderint. Qua in re admodum parci

fuerunt: quanquam in loco etiam sapientiam loquuntur, sed inter perfectos, ut sunt quaedam de ecclesia ex gentibus à Paulo Rom. 4. & 11. Gal. 4. & Ephes. 2. explicata. Item de mysterio Resurrectionis 1. Cor. 15. De Antichristo 2. Theff. 2. Item autor epist. ad Heb. de sacerdotio Christi, & alia id genus; neq; etiã illa tanta claritate, ut omnibus passim legentibus sint peruia, & quãta explicare potuissent, si nihil eorum quæ dicta sunt, obstitisset.

Leuauit manum suam & iurauit per uiuentem.] Haud grauatur Christus dominus, quo nobis fidem dictorum suorum faciat, etiam habitu externo, iurantium sacrosanctæ morem obseruare. Porro per uiuentem in sæcula, hoc est per seipsum, quando maiorem per quem iuret non habet, iurat Christus, quo simul & deum se esse declarat, iuxta illud, Amplius non moritur &c.

Qui creauit cœlum & ea quæ in illo sunt.] Hoc se omnium illorum dominum esse, & in sua hæc habere potestate significat.

Tempus non fore amplius.] Nihil uidelicet restare amplius quàm aduentum Christi ad iudicium, quod breui adeò futurum sit, ut nullum interim tempus uideatur, 2. Pet. ult. cap. Huius rei gratia ubiq; nouissimum tempus, nouissimi dies, & nouissima hora, cum in prophetis tum apostolicis literis dicitur tempus illud ab euulgato in orbem Euangelio, usq; ad futurum iudicium, ita ut multi in ea sententia fuerint, tum adhuc uiuentibus apostolis, iudicium, adeoq; mundi finem adfore, quemadmodum ex 2. Theff. cap. 2. adparet.

Sed in diebus uocis septimi angeli &c. consu. myst. dei.] Nimirum de intermèdo Antichristi exercitu, de eijciendis aduersarijs potestatibus, de morte ultimo hoste destruendo, de mortuorum resurrectione, iudicio, adeoq; mundi inuouatione.

Sicut euangelizauit per seruos suos prophetas.] Obscurius quidem de fine mundi per prophetas ueteris testamenti, apertius uero per apostolos ac noui testamenti prophetas, iuxta illud, Ecce ego mitto ad uos prophetas et sapientes &c. Matth. 23.

Vade accipe libellum.] Humiliter ac modeste interpretationis scripturarum munus subeundum, non enim nisi iussus audeat petere libellum, id quod factum uidetur Act. 1. Hii omnes perseuerabant unanimiter in oratione &c.

Accepi librum & deuorauit.] Quando post acceptum spiritum sanctum animam induxit ad scrutandum mysteria scripturarum de regno Christi.

Erat in ore meo tanquam mel dulcis.] Tales sunt scripturæ intelligentibus illarum mysteria, Ecclesiastici 24. Spiritus enim meus super mel dulcis. Id quod figuratum fuit in mannate, Sap. 16. cap.

Amaricatus est uenter meus.] Nam perhibendo testimoniũ Christo ex scripturarum penetralibus, calicem domini bibere illum oportuit, ubi postquam illisus ex dolio feruentis olei euasisset, exilium in Patmos insula pertulit. Item, Quicunq; pie uiuere uolunt in Christo, persecutionem patientur, 2. Tim. capit. 3. Et quanquam hoc uerum quidem est, rectius tamen mihi uidetur de timore seuerissimi iudicij accipiendum, quo etiam sancti credentes scripturæ, toti contremiscent; quemadmodum uidere est apud prophetas Esa. Hier. ac reliquos, iudiciorum seueritatem in populum dei futuram prædicentes. Contra uero hijs, quæ non credentes, facile contemnunt & rident; tantum abest, ut timeant ab hijs, quæ in scriptura de iudicij seueritate leguntur.

Oportet te iterum prophetare in gentibus & linguis.] Quo significatur illud ab exilio reuocandum, & ecclesiæ ac muneri suo restituendum, quando ipse mori, si daretur illi optio, paratus esset. Hactenus aliorum recensui expositionem,

nem, sed sub compendium redactam: quæ tamen mihi admodum probatur, & digna lectu uisa est, cui nunc nostram quoque subiungemus.

ET VIDI angelum fortem.] Eum nimirum, qui opem pijs laturus erat aduersus impios & crudeles exactores, ut est Esa. 9. cap. Ipse est Christus Heros ille & Dauides manu fortis, qui gladium Goliath è manu illius rapit, ac sathanæ uersa diripit arma: quo protegente ecclesiam suam, nihil poterunt aduersus illam inferorum portæ

Amictum nube & iris in capite eius.] Nubes & iris, maiestatis pariter & beneuolentiæ insigne præferunt. Sic & Christus in monte adparuit discipulis. Et iuxta illud, A modo uidebitis filium hominis uenientem in nubibus cœli.

Et facies eius erat ut sol.] Pijs iocundus & amabilis, impijs uero terribilis. Qui enim male agit odit lucem. Tunc autem illuminabit abscondita tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium &c. Veritas mendacium pudefaciet.

Et pedes eius tanquam columnæ ignis.] In columnis robur, in pedibus conculcatio, in igne uastatio, quemadmodum supra i. cap.

Et habebat in manu sua libellum apertum.] Qui supra legitur signatus.

Et posuit pedem suum dextrum supra mare &c.] Significat se latissime terræ marique regnare.

Et clamauit uoce magna quemadmodum leo cum rugit.] Terrorem significat, quo impij perterriti sunt ad Christi aduentum, Matt. 24. Tunc plagent se omnes tribus terræ. Leo enim rugiet, quis non timebit?

Et cum clamasset loquuta sunt septem tonitrua uoces.] Vox Christi recte rugitiui leonis & grandium tonitruorum comparatur, quibus & regna terrentur, & alta feriuntur. Videtur igitur mihi subindicare, quanquam occultius, Romanum imperij, qui tum rerum potiebantur, interitum: in cuius locum successura erat Mahumetana et Papistica impietas: id quod per paruam illud cornu apud Daniele significatur. Periculum uero erat tum apertius ista scribere. Vnde & Apostolus Thessalonicensibus hac de re obscurius & ferè sphingicòs scribit. Lactantius tamen diuinarum institutionum lib. 7. cap. 15. disertis uerbis eius imperij defectionem scribit. Id quod hodie factum uidemus, & tempus omnium futurorum reuelator certissimus, hanc ueritatem in lucem produxit.

Obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua.] Eundem in modum & Danieli præcipitur, ut quæ de extremis temporibus & Antichristi regno in uisione acceperat, obsignaret et occluderet sermonem, ne intelligerent omnes impij, cap. 12. Non enim sunt margaritæ proijciendæ ante porcos. Et si opertum est Euangelium, in hijs qui pereunt opertum est, in quibus deus huius sæculi excæcauit sensus incredulorum.

Leuaui manum suam ad cœlum & iurauit.] Iurat Christus ut afflictis fidem faciat promissi auxiliij, nostræ se attemperans imbecillitati. Sic & deus iurat Gen. 22. Et Dauidi de sobole, de regno, & sacerdotio æternum duraturis. Quod manum leuat, morem etiam obseruat sollemniter iurantium.

Per uiuentem in sæcula.] Vel per patrem, quem se maiorem facit: uel etiam per semetipsum, intelligas licet.

Qui creauit cœlum.] Ut cœlestium terrestrium & inferorum conditorem, ita & dominum quoque omnium perhibet iure ab omnibus metuendum.

Quia tempus amplius non erit.] Hoc est breue, adeoque ferè nullum, iuxta illud supra cap. 6. ad interfectorum animas, quibus dicitur ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, Et 1. Cor. 7. cap. Tempus

contractum est. Item 2. Cor. 4. Id enim quod in presenti est, momentaneum &c. Ad consolationem igitur piorum dictum est, ut bono sint animo, breui afflictionum omnium instare finem, quemadmodum Christus ait, Cum uideritis hæc fieri, leuate capita uestra &c. Nihil hic de cessatione temporis post iudicium, de qua quidam ex hoc loco philosophantur.

In diebus uocis septimi angeli &c. consummandum esse myst.] Perditis in uniuersum impijs, cum electis regnabit Christus. De quo mysterio 1. Cor. 15. & 1. Tess. 4. atq; infra fuse.

Sicut Euangelizauit per seruos suos prophetas.] Hic uides Iohannem in hoc libro alijs prophetis consentanea scribere. Neq; enim soli Iohanni, sed etiam alijs prophetis sanctis, ea quæ de regno cum Christi seruatoris tum Antichristi perditoris futura erant, reuelauit; tametsi nos pro ignauia nostra, adeoq; temporum infelicitate, animum haudquaquam aduertimus.

Vade & accipe librum apertum de manu angeli.] Piorum ostenditur modestia, qui non audent de futuris regnorum Christi & Antichristi successibus inquirere, nisi superne admoniti, quemadmodum etiã in Daniele cap. 8. & in Zach. cap. 2. uidere est. Christus discipulos de huiusmodi curiosius rogantes increpat. Non est, inquit, uestrum nosse tempora uel momenta &c. Obstupescabant quidem prophetae non intelligentes uisionem, ieiunabant ac preces fundebant, sua & populi confitentes peccata, scientes magna quædam huiusmodi uisione potendi, tandem per angelos instruuntur.

Accipe librum & deuora illum.] Lege diligenter, expende & intellige, atq; alta mente reconde. Simile habes Ezech. 3. cap.

Et faciet amaricari uentrem tuum &c.] Natura & uis uerbi dei intra piorum mentem exprimitur. Nam pijs dulce ac sapidum sicut mel. Id quo in mannate figuratur Sap. 16. Et Psal. 119. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua &c. Verum ut mel siue mustum uentrem intumescere facit, & exitum petit: ita uerbum dei probe expensum & intellectum eructat nec retineri potest. Sic habes Psal. 45. Eructat cor meum uerbum bonum. Et Psal. 116. Credidi propter quod loquutus sum. Sic habes apud Hiob. 32. & Hiere. 4. cap. de uentre amaricato ob conceptum dei uerbum. Item Paulus, Væ mihi si non Euangelizauero, 1. Cor. 9. Præterea facit amaricari piorum corda, ubi uident contemni illud & blasphemari &c. Item ubi persecutiones infliguntur propter uerbum.

Oportet te iterum prophetare in gentibus & linguis.] Ephesij (quibus Iohannes reuocatus ex Patmos insula post Domitiani interitum prædicauit) ex gentibus fuerunt, cuius prædicatio ad populos & linguas & ad reges peruenit. Nam usq; ad Traiani tempora illum superuixisse historia ecclesiastica tradit. Quin etiam post uitæ suæ exitum, regibus & populis, apud quos eius scripta leguntur, usq; prædicat; tametsi in Iohanne & alijs uerbi ministri accipiuntur, quemadmodum scripta docent.

CAPVT XI.

Datus est mihi calamus similis uirgæ: & dictum est mihi, Surge, & metire templum dei, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem quod est intra templum, eijce foras, & ne metiaris illud: quoniam niam datum est gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta

draginta duobus : & dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ et duo candelabra in cōspectu domini terre stantia. Et si quis uoluerit eos nocere : ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & si quis uoluerit eos lædere : sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi coelum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunq; uoluerint. Et cum finierint testimonium suum : bestia quæ ascendit de abyssō, faciet aduersum eos bellum, & uincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ uocatur spiritaliter Sodoma, & Aegyptus, ubi & dominus eorum crucifixus est. Et uidebunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium : et corpora eorum non sinent poni in monumentis, & inhabitantes terram, gaudebunt super illos, et iocundabuntur : & munera mittent inuicē, quoniā hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabāt super terram. Et post dies tres & dimidium, spiritus uitæ à deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos qui uiderunt eos. Et audierunt uocem magnam de cœlo, dicentem eis, Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube : & uiderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræmotus magnus : & decima pars ciuitatis cecidit : & occisa sunt in terræmotu nomina hominū septem millia, & reliqui in timorē sunt missi, & dederūt gloriam deo cœli. Væ secundum abiit : & ecce uæ tertium ueniet cito. Et septimus angelus tuba cecinit : & factæ sunt uoces magnæ in cœlo dicentes, Factum est regnum huius mundi domini nostri & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum, Amen. Et uigintiquatuor seniores qui in cōspectu dei sedent in sedibus suis, ceciderūt in facies suas, & adorauerūt deum, dicētes, Gratias agimus tibi domine deus noster omnipotens qui es, & qui eras, & qui uenturus es : quia accepisti uirtutem tuam magnam, & regnasti. Et iratæ sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis prophetis & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis et magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram. Et apertum est templū dei in cœlo : & uisa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & uoces, & terræmotus, & grando magna.



T datus est mihi calamus similis uirgæ &c. Surge & me.] Templum uel ipse Christus Iohan. 2. cap. uel ipsa ecclesia in spiritu dei cōgregata, 1. Cor. 3. Templum dei sanctum est, quod estis uos. Si de Christo intelligas, metiri templum, est ostendere supereminētē in illo diuinitatis maiestatem, adeoq; ex eo dignitatem eius, etiam secundum hominem, Iohan. 1. cap. Ephes. 1. & 3. Coloss. 1. & 2. Hebr. 1. cap. Si uero de ecclesia, hæc metitur iuxta fidei sublimitatem, spei longitudinem, & charitatis latitudinem, quæ se prorsus

ad omnes extendit, etiam ad hostem, & profundam eius humilitatē, qua se omnibus, etiam uilissimis peccatoribus, exemplo Christi suppedaneū exhibet. Adorantes in eo metiri, est experimentū de eis sumere, an quisq; iuxta mensuram fidei acceptam cum de diuinitate tum de humanitate Christi sentiat, ut 1. Iohan. 2. cap. dicitur, Quis est mendax nisi qui negat quoniam Iesus est filius dei?

Atrium quod foris est eijce foras.] Hæretici & hypocritæ uidentur esse in ecclesia, & tamen foris sunt, iuxta illud 1. Iohan. 2. capit. Exierunt ex nobis &c. Nam cum recta fide de deo patre ac seruatore & mediatore Christo usq; careant, nihilo gentibus meliores sunt, quamlibet externe communibus & nomine & symbolis cum filiis dei utantur, quemadmodum ex Matt. 7. 13. 22. & 25. cap. manifestū sit. Igitur eijce foras, hoc est conuince illos exisse foras, & ad corpus Christi minime pertinere illos. Id quod tum ex euangelio suo Iohannes, tum ex epistola adeoq; ex Apocalypsi apertissime conuincit, nimirum Hebionem, Cherinthum, Marcionem, Arrium, Sabellium, Valentinum, Nestoriū, aliosq; eiusdem fecis homines, extra Christum esse.

Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadragintaduobus.] Hoc de Antichristiana persecutione accipiendū, quæ tanta futura est, ut omnes aliæ ad illius comparationem interim nullæ uideantur, nimirum qualis nulla antea fuit, nec postea futura est, quemadmodum Christus prædixit. Et ita abundanturam iniquitatem, ut ferè nusquam adpareat fides, & charitas prorsus refriguisse putetur.

Et dabo duobus testibus meis.] Paucitatem eorum qui tum sincere prædicaturi sunt Euangelium, in comparatione pseudoprophetarum, Euangelicæ puritati ac simplicitati contradicentium, hijs uerbis indicat: nec tamen adeo pauci, quin sufficiant ad conuincendū aduersarios de ueritate secundum legem, iuxta quam in ore duorum uel trium stat omne uerbum, Deut. 9. Quemadmodum & duo ueri testes præferendi erant multis falsis, qui simul terram promissionis explorauerant, Numeri 13. cap. Quod uero ait, Et dabo, sollicitudinem & anxietatem præmeditandi eis adimit, iuxta illud Luc. 21. Dabo uobis os & sapientiā &c.

Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.] Hoc est regnante Antichristo, & durante illius persecutione, prædicabunt illius dolos & imposturas ex scripturarum penetralibus manifestantes, ne seducantur ab illius pseudopropheta electi.

Amicti sacco.] Hoc est habitu uili, qualis decet poenitentia præcones. Qualem legis Ionæ 3. cap. et Matt. 11. Si in Tyro et Sidone &c. Nam pseudopropheta in diebus Helia, in domo regis, mollibus uestiti & cibo regio uescens, debebat: quando interim Helias cum Helizeo in montibus errabundi, saccoq; induti, peccata populi lugebant, 1. Reg. cap. 19.

Hij sunt duæ oliuæ & duo candelabra.] Hijs comparationibus fructus prædicationis illorum commendatur. Nam per hos oleum misericordia dei ad plurimos demanat, & ueritas in cordibus multorum lucet, & Antichristi tenebras errorum depellit.

Si quis uoluerit eos nocere, ignis exiet.] Sic factum in diebus Helia 2. Reg. cap. 1. legimus, Sic & hodie fieri manifeste uidemus, nimirum igni cœlesti, hoc est qualibet afflictione à deo immissa, eos qui uerbū dei blasphemāt perdēte.

Et si quis uoluerit eos lædere sic oportet eum occidi.] Hoc est simili quadam cœlesti ultione.

Hij habent potestatem claudendi cœlum.] Quemadmodū in diebus Helia & Helizei legimus factum,

Aquas conuertendi in sanguinem.] Id quod factum in Aegypto per Mo-
sen & Aharonem constat.

Et cum finierint testimoniū suum.] Hoc est præfinitum à deo tempus pro-
phetiæ suæ prædicationis cōpleuerint. De quo Christus in Iohanne dixisse uide-
tur, Nōne 12. horæ sunt diei? Item, Me oportet operari dum dies est. Et alibi,
Dicite huic uulpī: Ego sanitates pficio hodie et cras, et tertia die cōsummor. Apo-
stolus Paulus Cursum uocare solet. Donec, inqt, consummem cursum ministerij
huius. Et in alio loco, Cursum, inquit, consummaui &c. Id qd tum uidetur com-
pletum, cum ad plenum contemptum impij peruenerint, quemadmodum in di-
luuio, in Sodomis, in Hierosolymis tempore ultimorū regum ante captiuitatem
Babylonicam, & post captiuitatem, ubi Christo seruatori manum intulissent, nec
super eo scelere pœnitentiā egissent, sed insuper et apostolos illius neci traderent.

Bestia quæ ascendet de abyssō.] De quo 2. Theff. 2. cap. & 1. Iohan. 2. & 4.
Faciet aduersus illos bellum.] Hoc est ueritatē quam illi testificantur, mo-
dis omnibus impugnabit.

Et uincet illos.] Nimirum multitudine peruersorum hominum, tenebras
præ luce & mendaciū præ ueritatē amantiū. Quibus adstipulantur signa men-
dacia, quæ ad probationem piorum & impiorum confirmationem fieri permittit
deus, à bestia & pseudopphetis illius, quando interim pius martyr inter tor-
menta, nulla signa ædit.

Et occidet illos.] Nimirum bestia quæ illius qui homicida ab initio fuit mi-
nistra est, qualis olim fuit Nero, Domitianus, & sequentes, & ipse tandem Anti-
christus. Porrò occidet eos, deo id permittente, quemadmodum & filium suum
unigenitum manibus impiorum occidi permisit.

Et iacebunt corpora eorum.] Cum non habeat quid amplius faciat postq̃
occiderit, more canum etiā in demortua piorū sæuiet corpora. Id quod in mul-
torum martyrum gestis factum legimus.

Ciuitatis magnæ.] Impiæ nimirum Babylonis. Cuius primus conditor ille
Cain fratricida, Gen. 4. Quam ampliarunt gigantes illi robusti & uiri nominis
Gen. 6. Restaurauit à diluuiō Nymroth uenator ille robustus coram domino,
Gen. 10. Populo dei semper aduersaria.

Quæ uocatur spiritaliter Sodoma & Aegyptus.] Sodoma quidem, pro-
pter portentosam illam libidinem, qua in inuicem ciuitatis huius incolæ ardent:
Aegyptus uero per arrogantiam, adeoq̃ dominandi libidinem. Quam utramq̃
miro & portentoso interitu perdidit deus, & orbi uniuerso in exemplum posuit.

Vbi dominus eorum crucifixus est.] Hierosolymam significat, quæ ab an-
tiquo prophetarum & iustorū interfec̃trix, quam propheta Esa. cap. 1. Sodomæ
& Gomorræ cōparat. Similiter & propheta Ezech. cap. 16. Et Christus Matt. 23.
Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas. Item Luc. 13. Non capit prophe-
tam perire extra Hierusalē. Atq̃ omnino talis est hodie ciuitas illa meretrix, quæ
sele ecclesiæ Christi nomine uenditat, cum sint portentosæ libidinis fœdissimi So-
domitæ, digni qui cœlesti igni perimantur. Seruī nequam, dominium super con-
seruos suos sibi arrogantes concutiunt, prophetarum ac testium domini perem-
ptores assidui: quos repente dominus medios scissurus est &c.

Tribus dtebus & dimidiō.] Idem tempus quod aliàs per dies 1260. menses
42. Tempus, tempora, & dimidiū temporis, hoc loco significari putant, diem
pro anno accipiendo.

Gaudebunt & munera mittent inuicem.] Sic de domini quoq̃ nece gauis-

fos pontifices cum Scribis & Phariseis narrat Euangelista. Item iuxta illud, *Le-*
tantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis: id quod multo maximae im-
pietatis est. Videbunt inquam scelus suum horrendum, unde merito horrore con-
cuti deberent, & iudicium domini pertimescere super innoxio sanguine apud se
fuso: tantum abest ut pertimescant, quod etiam uidentes gaudeant &c.

Et post tres dies spiritus uitae.] Id est, post breue tempus, nimirum futurae
resurrectionis. Porro a principio huius capituli usque ad hunc locum uidentur uerba
esse personae illius quae calamum porrigit Iohanni, & illi loquitur. Ab hoc uero
loco, Et post tres dies, rursus uerba esse Iohannis: quanquam per uerba praeteriti
temporis more prophetico.

Steterunt super pedes suos.] Subaudiendum post futuram resurrectionem
in magna constantia, iuxta illud Sap. 5. Stabunt iusti &c.

Et timor magnus.] Iuxta illud ibidem, Videntes turbabuntur timore hor-
ribili &c.

Decima pars ciuitatis cecidit.] Per decimam partem ciuitatis, & nomina ho-
minum septem millia, uniuersitas impiorum intelligitur. Porro nomina dixit pro
nominatis, siue inelytis, iuxta Gen. 6. cap. Viri nominis: & Psal. 48. Vocauerunt
nomina sua in terris suis. Hinc legimus cum in sacris tum in prophanis historiis,
huiusmodi arrogantes ciuitatibus a se uel conditis uel restauratis, uel etiam bello
captis, aut sua aut filiorum suorum nomina imposuisse. Sic dixerunt qui turrim
& ciuitatem Babel condituri erant, Celebremus nomen nostrum &c. Tum autem
occisa sunt, ubi audiunt, Ite maledicti &c. Praeteritum pro futuro, certitudine pro-
phetica, qua futura ceu facta habentur, quod immobili dei decreto definita sint.

Et reliqui in timorem sunt missi.] Loquitur de electis, qui timore sancto a
iustis dei iudiciis pertimescunt, & deum proinde magnificant.

Vae secundum abiit.] Nimirum quod canente sexta tuba, solutis quatuor
angelis, mundo superuenturum erat: de quo sub finem capituli noni. Eo namque re-
ferendum est, quod hic dicitur, Vae secundum abiit. A principio enim decimi ca-
pituli usque ad hunc locum, in laudibus angeli illius fortis, nube amicti, hoc est Chri-
sti seruatoris uersatur, qui ipse consolaturus pios, aduersus calamitatem septimae
tubae Vae tertium annunciantis aduenerit. Haecenus aliorum sententiam recen-
suimus, quae tamen mihi admodum probabilis uisa est. Iam id quod nobis uidetur
dicemus.

ET DATVS est mihi calamus similis uirgae.] Per calamum siue uirgam, In-
strumentum mensorium, quo architecti aedificaturi utuntur, accipimus.

Surge & metire templum dei & altare & adorantes in eo.] Videtur per hoc
innuere desolationem terrenae Hierosolymae, adeoque & templi & populi illius in-
ternitionem. Quemadmodum & antea Ezech. 40. Zach. 2. Hagg. 2. cap. pra-
dixerunt. Sed & ipse Christus apud Matth. 24. & Luc. 19. ac 21. cap. Praeterea &
nouae Hierosolymae, quae multis adeo numeris futura esset amplior atque praestan-
tior, extruccionem.

Atrium autem quod est intra templum eijce foras.] Tam Augustinus quam
Beda, legunt hunc locum post uulgatum interpretem, nimirum hoc modo, Atrium
autem quod est foris templum, eijce foras. Porro Grace habet, quod est intra tem-
plum, id quod sensui textus magis consonum uidetur, quemadmodum ostendemus.

Et ne metiaris illud, quia datum est gentibus, & ciuitatem.] Haec, si quem-
admodum diximus, ad terrenam illam Hierusalem referamus, manifestissima sunt,
cum ex hijs quae apud Danielē cap. 9. tum praecipue ex uerbis Christi seruatoris
Luc.

Luc. 21. Et cadent in ore gladij, & captiui ducētur in omnes gentes, Et Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Quæ omnia ciuitati Hierosolymæ & Iudæorum genti contigisse Iosephus autor est. Verum adparet Iohannem longius prospexisse, & uniuersam utriusq; Hierosolymæ calamitatē, propter uiciniam quandam complexum, præcipue autem extremorum temporum sub Antichristi regno. Id quod 42. menses, hoc est dimidia annorū hebdomas, indicare uidetur, per quā breuiatū tempus Antichristianæ persecutionis, iuxta Danielis, imò etiam iuxta Christi seruatoris prophetiā, intelligitur, quando iam multis annorum centenarijs ab incredulis terrena illa conculcata sit ciuitas. Per atrium uero illud, communiter intelligūt hæreticos, ac malos catholicos, qui unā cum gentibus, hoc est Antichristi exercitu, ecclesiam dei conculcant & persequunt. Quid uero si per atrium interius uniuersum clerū acceperis, qui à puritate ac simplicitate Christianæ doctrinæ, ad sua dogmata, curiositatem, questum & fastum redolentia, indeq; à uitæ sanctimonia ad bestiales mores degenerantes, prorsus inutiles facti ceu sal infatuatus efficiendi, & ab hominibus conculcandi sint.

Et dabo duobus testibus meis.] Subaudi mentem & animū Christi Euangelium pure & simpliciter prædicandi, contra uniuersas Antichristi abominatio- nes: atq; ad id intrepide præstandū, uirtute ex alto eos induam, et Helix spiritu donabo. Duobus testibus dixit, uerorum prædicatorum tempore Antichristianæ persecutionis, deficiente iam fide adeoq; refrigescente charitate, paucitatem significans. Perinde atq; dicat, uni & alteri, quemadmodum olim temporibus Helix ac Michæ ingens pseudoprophetarum numerus erat, ueri autem prophetæ domini, uix unus atq; alter adparebant, qui se aduersus publicā impietatem auderent opponere. Ita & hodie quoq; uidemus in magnis Germaniæ urbibus, ubi Euangelium pure docetur, per unum atq; alterum id fieri, eosq; admodum contemptos: in quibus tamē magnus ociosorum Baalitarum numerus magni habitū & delicatule nutriti, regnant.

Et prophetabūt diebus mille ducentis sexaginta.] Hoc est quanto tempore Antichristi duratura est persecutio, quæ per hunc dierum numerum breui duratura ostenditur.

Amicti faccis.] Hoc est uili & inculto amictu, qui prædicatores pœnitentiæ deceat, contenti. Id quod & de Helix et Iohanne Baptista sacræ referunt historia, nimirum per antithesim ad pseudo illos prophetas qui in regum palatijs uersantur. Iubet Christus ne discipuli, quos ad prædicandum mittebat, de cibo ac uestitu anxij sint. Itidem & Paulus suo Timotheo scribit, Habentes, inquit, quibus uescamur & tegamur, hijs contenti simus. Præterea, quando ueri illi prædicatores omni momēto expectant, ut tanquam oues occisionis ad supplicia rapiantur, non est quod uel cogitent quicquam de rebus huius sæculi habendis.

Hij sunt duæ oliuæ & duo cande.] Propter purā spiritus Christi doctrinā, quā iugiter stillat ad ecclesiæ illuminationē. Ad Zach. cap. 4. aspexisse adparet.

Ignis exit de ore eorum & deuorat inimicos eorum.] Sermo ueritatis, cui non possunt aduersarij, nisi uolentia, resistere, exurit cōscientias ipsorum, ut interim maius grauiusq; patiantur incendiū, quàm ij ipsi, quos corporalibus focis tradunt exurendos. Ad Helix alludit historiam,

Hij potestatem habent claudendi cœlum.] Et hic ad Helix aspexit historiam 1. Reg. cap. 17. ubi ait, Viuit dominus deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis hijs ros et pluuia, nisi iuxta oris mei uerba. Et fortasse ob similitudinem eorū quæ Helix fecit, & quæ hic de duobus testibus dicunt, multi sunt, inter q̄s

uidetur esse etiam Augustinus 20. lib. de Ci. cap. 29. qui putarunt Heliam in persona uenturum, & aduersus Antichristi abominationes predicaturum; cum tamen legant Iohannem Baptistam esse Heliam, attestantibus cum angelo Luc. 1. tum etiam Christo Matth. 11. Sed in spiritu & uirtute, non in persona. Est igitur error pharisaicus, qui propter Malachiae uaticinium in persona futurum putant Heliam. Quidam uero Enochum Heliae praedicationis collegam faciunt, nescio quam ob causam, nisi forte, quod sublatum & non adparuisse amplius legunt, sicut & Heliam raptum. Porro quicumque tandem hij duo testes sint, pro unius compage corporis, pro officio, denique pro spiritu & uirtute, recte, quemadmodum & Iohannes Baptista, Heliae dici possunt, non tamen in persona. De potestate uero claudendi coelum, quis non uidet quanta ubique terrarum hoc tempore praedicati & repulsi Euangelij, annonae difficultate laboret: uel ipsis impijs causam praedicato Euangelio, & neglectui cultus Antichristiani, tribuentibus: quemadmodum & illi apud Hiere. 44. cap. & gentiles, qui olim quascumque incidentes temporum calamitates, ob introductam Christianam religionem, ac desertum illorum cultum, ab iratis dijs immitti putabant. Perinde igitur faciunt hodie quibus praedicatum Euangelium causa uidetur esse malorum, ac si quis diluuium praedicationi Noach tribuerit, incendium Sodomorum adhortationi Loth, Aegyptiorum interitum Mosi atque Aharonis postulationi, Iudaici populi captiuitatem prophetarum correptioni, Hierosolymorum excidium Seruatoris & apostolorum doctrinae, & non potius impiorum obstinationi & contemptui uerbi dei.

Et potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem.] Vna ex plagis, quibus dominus Aegyptum ob uirentium populum percussit. Hoc autem fit, quoties ob uerbum dei contemptum, et impietatem, pluuias temporaneas (nimirum matutinam & serotinam) quas suis in lege promittit cultoribus deus, aut prorsus negat, aut intempestiue dat, ut non modo non sint salutes terrae frugibus, sed etiam pestilentes. Sic ubi uis inuadantium fluminum, pascua & segetes camporum uastat, in hominum pariter & iumentorum perniciem. Id quod iam crebro nostra pertulerunt saecula, haud dubium non ob aliam causam, quam certissime uerbi dei contemptum. Ut interim taceamus frequentissimas ac maximas hominum strages, quorum cruore aliquoties in ruborem uersa sunt flumina.

Et percutiendi terram omni plaga quotiescumque uoluerint.] Sancti illi praedicatores sciunt deum odisse omnes qui impietatem amant, eumque illis uarias in lege & prophetis comminatum poenas, denique & ueracem. Igitur non possunt non ex animo precari deum, quo suam uendicet gloriam, potentiam suam aduersus impios exerendo. Cumque iuxta dei uoluntatem haec precentur, non possunt non exorare, iuxta ea quae Iohan. 16. & 1. Iohan. 3. Tales multae sunt preces in Psalmis & Prophetis, quae uidentur expetere uindictam, cum ad gloriam dei animus illorum maxime adspiciat. Neque existimandum est, hodie minus posse sanctos dei homines, quam olim in illo populo figurali precando efficere, quemadmodum pulchre Iacobus in sua epist. cap. 5. exemplo Heliae ostendit. Habes praeterea huius potestatis exempla Act. 5. & 13. Item 2. Corinth. 10. & 13. Quamquam ea raro usi sunt apostoli, quos recte in hoc pie imitantur, cum legant a domino increpitos Zebedei filios, cum uellent ad exemplum Heliae ignem de coelo in Samaritanorum ultionem expetere. Nescitis, inquit, cuius spiritus estis, Filius hominis non uenit animas perdere &c. Et Paulus, Non dedit nobis deus potestatem in destructionem &c.

Et cum finierint testimoniū suum bestia quae ascendit de abyssu. 1 Bestiam uocat

uocat Antichristum, quod omnis sensus spiritalis, omnis uerę pietatis ac humanitatis, prorsus expers sit, totus ferox ac truculentus. Pręterea quod externum & irrationalem cultū in superstitionis adeoq̃ stultis ceremonijs aduersus Christi institutū ecclesię dei inuexerit. Iam quod bestialem omnino cum suis clericis & religiosulis degat uitam. Quid enim quęso aliud sunt quām saginati porci, uentrosi illi & buccis inflati patres? Nisi sunt aliqui inter eos qui magna tabescunt inuidia. Porro ascendit de abyssu, ut infra cap. 13. nempe ex diabolo prognatus, adeoq̃ ex ipsis intimis inferni penetralibus profiliens in tantum euasit arrogantię saltigium, ut quemadmodum gigantes olim summum Iouem, ut est in fabulis, conati sunt cęlo pellere, ita ille Christum regem regum haud uereatur regno suo deturbare, sathanam parentem suum imitatus.

Faciet aduersus eos bellum.] Belligeratur primum Antichristus Romanus, quando magistri hęreticę prauitatis, ingenti pręlatorum, theologorum ac notariorum turba stipati, citatos, iuxta pręscriptas illius regulas, de fide catholica interrogant & examinant, ac demum ubi in ueritate perstiterint, hęreos sententię damnant. Quis deniq̃ ignorat utrumq̃ tam orientis quām occidentis Antichristum, suas leges tueri gladio? Quoties oro sæue & hostiliter belatum est à clementissimis ac beatissimis illis patribus aduersus cordatos principes & illorum regna, ob non susceptas quęstuosas ac nugaces iubilei, aut sanctę cruciatę ut uocant, indulgentias? Id quod Flandros & Bohęmos pertulisse memorant historię.

Et uincet eos.] Vbi hęreos crimine damnatos orbı traducit, & tanquam omnium pestilentissimos ẽ uiuis tollendos pronunciat, inuocato ad hoc brachij sæcularis auxilio. Qua in re pijs alioqui adeoq̃ innocuis principibus ac magistratibus pessime abutitur, qui zelum quidem dei habent, sed non secundum scientiam.

Et occidet eos.] Nimirum degradatos ac sæculari potestati traditos, ne ipsi manus suas sanguine commaculent, & fiant immundi, adeoq̃ indigni qui pascha domini celebrent; hoc est, ne iuxta illorum canones irregularitatem incurrant, & ad sacrificandum Christum inabiles subinde reddantur. Id quod perinde effugiunt, atq̃ Iudęi, qui Christum neci tradentes, ab ingressu domus hominis gentilis interim sibi temperant ne contaminentur. Huius rei exemplum habes Iohannem Hussz, & Hieronymum Pragenses Euangelicę ueritatis adsertores, in Concilio Constantiensi flammis exustos. Hieronymum Sauanrola prędicatorij ordinis, quem Alexander eius nominis sextus, pontifex Romanus, ecclesię reformationem (dum Apocalypsim Iohannis populo interpretaretur) fortius urgentem, apud Florentiam Tuscię igni cremari iubet. Atq̃ in hunc modum plurimi diuersis temporibus & locis, leui suspiciōe notati, quasi parum dextre de Romani pontificis autoritate sentirent, uel perpetuis carceribus mancipati, uel publico sunt interempti supplicio. Multi simplices ac innocentes, quos Fraticellos siue pauperes de Lugduno uocabant, sub Iohanne 22. (quidam sub Bonifacio octauo tradunt) similem ob causam impie trucidati sunt. Simile et aduersus fratres Vualdenses in Bohęmię regno, pios et sanctos homines, usq̃ ad hęc nostra tempora degentes, frequenter tentatum est per pontificios, nisi dexteritate regum seruati essent. Porro quis tandem numeret piorum cędes cum publice tum priuate hac ipsa tempestate patratas, ob id qđ Romanus Antichristus, propter prędicatum in Germania Euangelium, quiddam regno suo timeat decedere? Neq̃ uero aliud perpetuo cogitat ille, imò ne aliud somniat quidem,

COMMENTARIUS IN

quàm ut aduersus Germaniã omnes catholicos principes excitet. Ad hoc miris rechinis utitur, in hoc modis omnibus laborat, omnem mouet lapidem, ut illum prodat, ac ferro iugulet. Quo uel uno satis ostendit, nõ esse orbi aliũ, quàm hunc ipsum formidandum esse Antichristum, quãdo unus ille omnes numeros impietatis, abominationis & crudelitatis, iuxta prophetarũ & Christi uaticinia, æque ut impurus ille Mahumetes, adimplere cernitur.

Et iacebunt corpora eorum.] Sed & hoc addet impietatis Antichristus, ut crudeli & probrosa morte, tanquam omnium pessimos, occisos, non sinat sepulchro imponi, sed uictoriæ Antichristi spectaculũ, & insigne fiunt, quo alij territi, à prædicatione ueritatis desistant, proinde nõ sinet de illis bene loqui. Sicut sunt hæc nostra tempora, quæ impiorum regum, qui prophetas domini occiderunt, imò & Romanorũ Cæsarum, qui tot martyrũ millia trucidarunt, sæuitiã æquant, imò longe superant, adeo ut non adpareat quid in futurum illi accedere possit.

Ciuitatis magnæ.] Hanc infra Babylonem, propter innumerã et confusam multitudinem uocat, ubi oĩa præter fas, absq; ordine, temere & ex libidine fiunt.

Quæ uocatur spiritaliter Sodoma.] Quod eò promouerit impietati illius & fœdæ malorum colluuii impudentia, ut iam audeat, imò decorum putet, sua flagitia tanquam præclaras uirtutes publice & facere & deprædicare: ut in historijs pontificum Blondi & Platinae adparet.

Et Aegyptus.] Quæ captiuũ populum dei detinet, luto & latere occupat, nec uni deo uerum sinit exhibere cultum.

Vbi & dominus noster crucifixus est.] De Hierosolyma prophetarum infectrice intelligit, quæ tandem & dominũ cruci adfixit. Recte uero malorũ illam colluuiem, Sodomæ, Aegypto, Hierosolymæ, ac infra & Babylonĩ cõparat, quæ una in seipsa omnium illorum maliciam recapitulare comprobetur.

Et inhabitantes terram gaudebunt super eos & iucun.] Hunc in modum & impij Iudæorum reges, ac pseudoprophetae illorum, lætabantur occisis domini prophetis. Sic etiam pharisæi Christo, ut putabãt, sublato, existimantes se pacem habituros, & omnia pro libidine acturos, nemine illis contradicente, mirum in modum inuicem congratulabantur.

Quoniam hij duo prophetae cruciauerunt eos.] Reuocando plebem ab illorum cum doctrina tum etiam uitæ instituto, quando utrumq; tanquam Christo aduersum damnant & abominantur. Quin etiam quod neq; minis neq; promissis, nec etiam tormentis in suam illos sententiam atrahere potuerint. Atq; hic uides spiritum sanctum intimos impiorum affectus, quibus laborant, in apertum traducere, ne putares eis inter summas opes deliciasq;, itemq; summos honores deesse quod animum illorum excruciet.

Et post tres dies & dimidium spiritus uitæ intrauit in eos.] Hoc est, Nonnunquam interim Christo propitio sit, ut breui sublatis è medio tyrannis, aut ab exilio reuocentur prædicatores, aut uinculis absoluantur, aut exautorati suæ restituantur fuctioni, aut animum recipiant, qui metu persecutionis suam uocationem, latebras incolentes, deseruerant, uel in Antichristi castra transfugæ concesserant. Quæ omnia sic facta, non tam in ueterum historijs legimus quam nostro sæculo uidimus. Neq; uero abs re exposueris de hijs, quos in demortuorum locum haud minus strenuos athletas excitat dominus, quemadmodũ Helias in Iohanne Baptista reuixit, & in apostolis quodãmodo Christus. Neq; enim minor metus, post passum Christum prædicantibus discipulis, pharisæos inuasit: id quod & ipsi fatentur Act. 5. cap. Vultis, inquiunt ad apostolos, inducere super nos

nos sanguinem hominis istius &c. quæ sequunt. Præterea quorū uoluerunt aduersarij memoriam extinguere, reuixerunt, prædicantibus illam superstitibus, uel inuitis tyrannis. Hunc in modum à paucis iam annis, Iohannes Hussz, cum alijs quibusdam ueritatis adsertoribus extinctus, nobis reuixit. Adde quod hij quos aduersarij se putant occidere, uitam hanc in meliorem commutant, & nunc demum uere uiuere comprobantur.

Timor magnus cecidit super eos qui uiderunt eos.] Per signa & prodigia, quæ diuinitus post piorū occisionem fiunt, declaratur illos haud esse mortuos, sed plane beatos cum Christo uiuere & regnare. Exploratū enim est, magnas pestiū clades, à deo propter contemptū ipsius uerbū, et occisos prophetas, crebro immisas, quibus impœnitentes male perdidit, & eos qui uel ex ignorantia, uel ob mortis moerum in martyrū necem consenserāt, ad resipiscentiā induxit. Id quod facile fuerit ex sacris historijs, imò uel ex ipsa passionis dominicæ historia ostendere.

Et in illa hora factus est terramotus magnus & decima pars.] Terramotum hoc loco non simpliciter, sed figurate, pro magna principum Antichristiani regni inter se commotione, deinde & cladum ac pestium uariarumq; calamitatum, in ultionem malorum, adductione, puto accipiendum. Porrò decima pars ciuitatis et septem millia, ingentem malignæ ciuitatis multitudinem, quod uterq; numerus & uniuersitatis sit, & perfectus: quod si etiam non esset, à parte tamen totum intelligendum erat, quemadmodum Augustinus ait.

Et reliqui territi sunt & dederunt gloriam deo cœli.] Nimirum seducti ab Antichristo, qui tamen sanabiles sunt: hijs enim dominus parcat, & ad pœnitentiam expectat, ad quam inducuntur, uidentes terribile iudicium domini aduersus impios. Sic uides clementiam dei omnia electis in bonum attemperare, & ut supra dictum est cap. 6. ex 2. Pet. cap. ult. tardare dominum propter electos &c.

Væ secundum abiit & ecce uæ tertiū ueniet cito.] Hoc uæ secundū, unum de tribus ab angelo prædictis, ad tubam sexti angeli pertinet, non ad recapitulationem, quam subinde in sexto numero Iohannes facere solet.

Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt uoces.] Nouissima hæc tuba resurrectionis, iudicij finalis, consumationis adeoq; innouationis mundi nuncia est, iuxta apostolum 1. Cor. 15. & 1. Tess. 4. Mortui, inquit, resurgent incorrupti. De quo & apud Daniele cap. 12. Vnde & Iohannes anticipando præmisit, Spiritus uitæ à deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, nimirum post finem secundi uæ, & in initio tertij.

Factæ sunt uoces magnæ in cœlo.] Nimirum cœlestium spirituum ac beatorum omnium, incessabili uoce collaudantium iudicem Christum, dicentes:

Factum est regnū huius mundi domini nostri & Christi eius.] Hoc est, iam demum eiectio in uniuersum sathana mundi principe, dominus & Christus eius perfecte ac plene in nobis regnat. Quamq; enim ab euulgato in orbem euangelio, uerificatū est illud Psalmi 2. Ego constitutus sum rex ab eo super Zion montem sanctum eius. Item illud, Omnia subiecisti sub pedibus eius. Item, Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos &c. Id qd & Christus ipse testatur, Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Et Apostolus ad Phil. Propterea exaltauit illum deus &c. ut in nomine Iesu omne genu flectatur. Nondum tamen, ut ait autor epist. ad Heb. cap. 2. uidemus illi omnia subiecta: sed cum tradiderit deo & patri regnum, cum euacuauerit omnem principatū & potestatem & uirtutem, cum nouissimus hostis mors destruetur, tum demū pleno ore latum cantabimus pæana dicentes: Factum est regnū huius mundi domini nostri &c.

Et regnabit in sæcula sæculorum.] Nempe in electis & cum electis, pacato iam regno. Id quod pulchre in regno Dauidis adumbratur, qui ubi esset inunctus rex, innumeris iactatus calamitatibus, post multos tandē hostiū insultus, adeoq̄ gloriosas demum uictorias, pacatum obtinuit regnum.

Et uiginti quatuor seniores.] Magnis & innumeris adeoq̄ sempiternis beneficijs, ingentes utiq̄ et incessabiles debent gratiarū actiones. Porro nullum hoc beneficio maius dici potest, quā ubi ipse filius dei in fragilitate carnis nostræ, cum sæuissimo hoste congregiē, à quo parumper mortis tempore quasi uictus, ipse rursus exerta uirtute uictor euadit, expugnatis in uniuersum aduersarijs potestatibus, nimirū sathana, mundo, peccato, morte, atq̄ inferno, regnum in suos accepit, quemadmodum Dauid aliquot Psalmis præcinuit, Accingere, inquit, gladio tuo super femur tuum &c. Item, Dominus regnauit, exultet terra, Item, Dominus regnauit, decorē induit &c.

Qui es & qui eras & qui uenturus es.] Carmen quo inter alia ridentur frustranei aduersariarū potestatū conatus, qui in hoc toti fuerant, ne omnino regnaret, imò ne superstes esset Christus, imò ne quidem nomen eius superesset: nunc uero regnat & regnabit, uelint nolint impij.

Et iratae sunt gentes.] Quemadmodū adparet in precatione apostolorū ex Psal. 2. Act. 4. cap. Porro iratae sunt gentes, et unā cum Iudæis tumultuatae sunt aduersus dominum & Christum eius conspirantes, ne usquam in orbe regnaret.

Et aduenit ira tua.] Postq̄ illæ priores aduersum te sine causa iratae sunt, iustam sibi iram accerserunt, iuxta illud Psal. 2. Tunc loquet̄ ad eos in ira sua &c. quæ sequuntur.

Et tempus mortuorum ut iudicentur.] Eorum uidelicet qui irati & tumultuati sunt, ne tu regnares super eos. Nec poenitentiam egerunt admoniti, quos tu interim pro longanimitate & patientia tua sustinuisisti, donec definitum adueniret tempus ulciscendi.

Et reddas mercedē seruis tuis prophetis.] Inter seruos dei primo loco prophetas recenset, hoc est duces uerbi, per quod alij redduntur sancti, credentes. Deinde sanctos, hoc est firmiores et excellentiores in uitæ sanctitate, qui alijs exemplo sunt piæ ac honestæ cōuersationis. Tertio, timentes nomen domini, per quos simpliciores quoslibet fideles intelligit. Deniq̄ & in duas partes uniuersam creaturam multitudinē secat, cum subiungit, Pusillis & magnis. Quo innuit, etiam pusillis æque ut magnis, hoc est exilis & magni meriti, suam haud deesse mercedem, iuxta illud, Qui porrexit calicem aquæ frigidae &c.

Exterminandi eos qui corruerunt terrā.] Nempe quorū hoc unū studium fuit, ut terrā uastam redderent, quo ipsi soli regnaret: id qd egregij solent tyranni. Quibus præterea in animo fuit satagere, ut exularet pietas, ablegaretur iustitia, omnisq̄ morum honestas profligaret, & è suo regno pellere Christus. Tempus in quā aduenit, ut huiusmodi exterminatores & uastatores terræ ipse exterminet & perdas. Hactenus aliorū sententiam attulimus, nunc nostram subiungemus.

ET SEPTIMVS angelus tuba cecinit, & factæ sunt uoces.] Sex tubæ priorum, uarios præsentis ecclesiæ nunciarūt euentus: septima uero extrema, adeoq̄ plenissimæ uictoriæ æterniq̄ sabbati nuncia est. Vnde sancti canunt:

Factum est regnū huius mundi domini dei & Christi eius.] Epinicion est, hoc est uictoriale carmen, cum aboleuerit omnem principatum & omnem potestatem ac uirtutem, cum nouissimus hostis abolebitur mors, 1. Cor. 15. & Phil. 2. In nomine Iesu omne genu flectetur &c.

Et uiginti

Et uiginti quatuor seniores &c. qui es & qui eras & qui uent.] Tres temporum differentia, sempiternitatem dei, quæ initio & fine caret, circumloquuntur. Vnde solius dei proprium est esse, siue existere: id quod per nomen illud dei ineffabile יהוה dicunt Hebræi, de quo Exo. 3. cap. Cunctæ uero creaturæ tantum de esse siue existentia habent, quantum de natura diuinitatis participant.

Quia accepisti uirutem tuam magnam & regnasti.] Causa est, cur gratulentur p̄i & deum prædicent, nempe quod semel suam exeruerit uirtutem, debellatis in uniuersum aduersarijs potestatibus, adeoq; cunctis impietatibus finem omnino fecerit: quæ ubi primas in mundo obtinebant, nõ adparebat dei uirtus, non uidebat ipse regnare, sed impij. Quamobrem continue interim orant p̄i, Adueniat regnum tuum. Quod quid quæso aliud est, quàm orare ut prorsus destruantur impij, qui Christo suum inuident regnum, suam gloriam surripiunt.

Et iratae sunt gentes, & aduenit ira tua.] Perinde est atq; dicant, Iram quidem suam & furorem gentes in nos, te permittente, exercuerunt, sed hoc ad modicum tempus, nostris exigentibus peccatis: nunc diu optata adest hora, ut uicissim ira tua, quæ potentissima est, & cui resistere nemo potest, in gentes æternum duratura exardescat. Porro gentes sunt omnes increduli, siue Iudæi siue Christiani, siue demum Thuræ, aut alio quouis nomine iuxta externam uitæ consuetudinem censeantur.

Et tempus mortuorum ut iudicentur.] Mortuorum nomine omnes impij possunt intelligi, quemadmodum infra cap. 20. Nam p̄i æternum uiuunt, neq; iudicantur, Iohan. 5. et 7. Quamq; et in genere potest accipi, nempe mortuos omnes resurrecturos, & staturos ad Christi tribunal, ut ait apost. Paulus, Qui operata producet in lucem, et uelut meridiem piorum faciet clarescere iustitiam: quos impius mundus tanquam omnium pessimos damnarat, Psal. 57. Esa. 58. & 1. Cor. 4. cap.

Et reddas mercedem seruis tuis prophetis & sanctis.] Merces nõ absolute, nec etiã propter operam, sed in cõparatione ad liberalitatem promittentis dicitur in scriptura. Verbi gratia, Si herus seruo emptitio, qui totus domini est, adeoq; omnis illius opera domini est, ex liberalitate polliceatur quidpiam se donaturum, si fidelem ac diligentem in perficienda opera se exhibuerit. Donum igitur hoc uerius quàm merces est. Sed pollicitatio, mercedis nomen imponit. Vnde seruator Christus, Cum feceritis, inquit, omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inuiles sumus. Huc facit quod Paulus apostolus Rom. 4. Ei qui operat &c. Porro prophetas primũ nominat, nam hi sunt per quos recte sapiunt alij, quibus deus in hoc uerbum suum reuelat, ut alijs illud pronuncient. Prophetarum uero nomine intelligit quoslibet, qui recte de deo & de uero illius cultu, adeoq; de iustitia & innocentia docent alios.

Et sanctis timentibus nomen tuum pusillis & magnis.] Sanctos appellat spiritu Christi sanctificatos, & qui constanter in confessione nominis Christi perseverant. Timentes nomen dei, quicunq; tandem illi sunt, siue pusilli, siue magni. Pusilli quidem, hoc est simplices, idiotæ, serui, pauperes & afflicti, mulierculæ & puelli imbelles, qui deum patrem agnoscunt, & filij sui morte de diabolica potestate se redemptos: hi inquam omnes promissam recipiunt mercedem. Magni uero qui claritate generis, potestate, opibus, doctrina, sanctitate, & apud mundum reputati & in precio sunt, deumq; enixe colunt, & alijs colendum ingerunt: ueluti Abraham, Dauid, Ezechias, Iosias, ac propheta, Esaias, Daniel: item Nicodemus, atq; alij similes.

Et perdas eos qui perdunt terram.] Rem maximam breuissime & eleganter

tissime extulit. Mirantur Poetam, qui totum Ilium uno quasi uerbo absorberit, ubi dixit, Ecce campus ubi Troia fuit. Noster uero Iohannes, hoc loco non Ilium quoddam, sed uniuersum omnino mundum uno uerbo absorbit, Vt perdas, inquit, eos qui perdunt terram. Quanta enim uerborum copia opus foret, ut quis pro dignitate explicet, quam impij in hoc toti sint ut omnia uastent, omnia pessudent, omnia perdant, quicquid somniant, quicquid cogitant, quicquid denique aut loquuntur aut agunt, omne illorum studium, adeoque omnes conatus eò tendunt ut quam plurimos noceant & perdant. Deinde quanta uerborum Ilias infumenda foret, ut perditionem hanc, qua deus tandem perditurus est omnes impios, pro rei exigentia eloquamur. Ex hoc quoque loco simul adparet, quomodo sancti de hoc mundo iudicaturi sunt olim, Math. 19. 1. Corinth. 6. Atque hoc est tertium uae tubae septimae ac nouissime. Autor libri cui Onus ecclesiae titulus, septem tubas, septem ab exortu usque ad iudicium ecclesiae, iuxta septem illius status, pugnas exponit. Prima, Apostolorum contra Iudaeos. Secunda, Martyrum contra Rom. Caesares. Tertia, Doctorum ecclesiae contra haereticos. Quarta, Heremitarum contra hypocritas. Quinta, Curatorum & praedicatorum contra malos seu falsos Christianos. Sexta, Reformatorum, hoc est ordinum religiosorum, contra malos Ecclesiastici status. Septima, Praecursorum, hoc est Euangelicorum praedicatorum, iudicium domini annunciantium. Sed quam uere hoc dicat, ego in praesenti non iudico, certe multa utilia alioqui tradit autor eius libri de reformando ecclesiastico statu, ac Romana curia, de Antichristo mixto & magno, et alijs multis, quantum haud satis firmis uertur argumentis: id quod diligens lector expendat.

ET APERTUM est templum dei in caelo & uisa est ar.] Supra cap. 8. sub iudicium introduxerat Iohannes angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureum &c. & intermisso sermone de angelo illo, prosequitur sermonem de septem angelis tuba canentibus. Nunc uero ad sermonem, quem de angelo illo stante ante altare coeperat, redit, grande illius angeli, quem Michaelē nominat, cum saeuissimo dracone narraturus certamen. Id quod ordo narrationis indicat, in eo quod ait, Et apertum est templum &c. quo nos ad superiora reuocat, ubi dixerat: Et alius angelus uenit, et stetit ante altare &c. Porro tunc apertum est templum dei in caelo, quando praedicatoribus apostolis creditum est orbi, Christum Iesum crucis affectum supplicio, in dextera patris exaltatum, aequale cum eo habere imperium, Phil. cap. 2. Praeterea quando creditum est, illum uultui dei pro nobis adstare, ut in epi. Heb. ca. 9.

Visa est arca testamenti eius in templo.] Nimirum Christus homo, in quo, ceu arca inclusa latens, habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, Coloss. 2. cap. In quem respiciens deus factus est nobis propitius, Rom. 3.

Et facta sunt fulgura.] De quibus supra 8. cap. nimirum ubi spiritum sanctum e caelo acceperunt apostoli: haud aliter certe, quam ubi lex promulgabatur Exo. 19. de quo canit Psal. 68. Deus cum egredereris &c. & Heb. 12. cap.

CAPVT XII.

ET signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in utero habens: & clamat parturiens, & cruciatur ut pariat. Et uisum est aliud signum in caelo, & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum caeli, & misit eas in terram, & draco

& draco stetit ante mulierem quæ erat paritura: ut cum peperisset, filium eius deuoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in uirga ferrea: & raptus est filius eius ad deum & ad thronum eius, & mulier fugit in solitudinem ubi habebat locum paratum à deo, ut ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in coelo. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnat & angeli eius: & non ualuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in coelo, & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui uocatur diabolus & satanas, qui seducit uniuersum orbem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui uocem magnam in coelo dicentem, Nunc facta est salus & uirtus, & regnum dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum dei nostri die ac nocte. Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter uerbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem, propterea lætamini coeli, & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari: quia descendit diabolus ad uos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Et postquam uidit draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem quæ peperit masculum: & datae sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut uolaret in desertum in locum suum ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen: ut eam faceret trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbit flumen quod misit draco de ore suo. Et iratus est draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata dei, & habent testimonium Iesu Christi. Et stetit supra arenam maris.



T signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole.] Mulier illa ecclesia credentium, quæ per fidem Christo desponsata ac multa prole fecunda est.

Amicta sole.] Toto uitæ habitu Christum induta, cum salutari doctrina tum exemplo sanctæ conuersationis, uelut sol lucet, quemadmodum Paulus suis Galatis scribens, Christum, inquit, induistis. Item, Mihi uiuere Christus est.

Luna sub pedibus eius.] Per hoc intelligitur temporaliu bonoru iuxta prescriptum dei administratio, quibus bonis sancti imperant, non seruiunt, secus impij.

In capite eius corona stellaru duodecim.] Siue hoc loco ueteris synagogæ 12. patriarchas, siue nascentis ecclesiæ 12. apostolos intelligas, licet.

In utero habens.] Nimirum semine uerbi dei pregnans, multos per illud filios deo parturire gestit. Qua similitudine usus est saluator Iohan. 16. Item 1. Iohan. 3. Semen eius manet in eo, quonia ex deo natus est. Et Iacobus in epist. sua, Infitum, inquit, uerbum &c.

Et clamabat parturiens.] Parturire, est ante partum meditari, anxari, & cruciari, ut pariat. Hunc in modum cruciabatur clamans Esa. 53. Domine, ait,

quis credidit auditui nostro? Ita & apostoli clamabant Act. 4. Et nunc domine respice in minas &c.

Et ecce draco magnus.] Magnus, inquam, propter magnam nocendi cum potestatem tum libidinē. Cui septem capita & cornua decem, id est, omne impiorum corpus adglutinatur.

Rufus.] Nimirum sanguine martyrum, quem ab initio fudit, cruentus, Iohan. 8. Ipse homicida fuit ab initio. Id quod in Cain primo parricida ex diabolo nato adparet, 1. Iohan. 3. Porro septem capita, septē regna sunt, quæ parturienti ab ipsis Abraham temporibus mulieri, hoc est populo dei electo, usq; insidiantur et perdere saragunt, Primū Aegyptiorū est, ut adparet Gen. 15. & subinde Exo. 1. cap. Secundum impiorum regum Israel, quorum primus rex Hierobeam, ausus fuit extendere manum suam in prophetam domini uenientem de Iuda in Bethel, 1. Reg. 13. Deinde Iezabel impij regis Achab uxor, quotquot potuit apprehendere prophetas domini occidit, 1. Reg. 19. cap. Præterea & impiorū regum Iuda, quorum primus Ioas ausus fuit occidere Zachariam prophetā domini, etiam in atrio domus domini, 2. Paralip. 24. cap. & Matt. 23. Tertium Assyriorū quod & Babyloniorum siue Chaldeorū, à quibus populo dei multa illata bella, & longam captiuitatem cum sacrae hystoriae tum prophetæ memorant. Quartum Persarū et Medorum, per quos Iudæorum soluta est captiuitas, uarias tamen ab illis perpeffi sunt calamitates, ut in lib. Ezræ, Neemiæ & Hester. Quintum Græcorū quod et Macedonū, à quibus sub initū mitius habiti sunt Iudei, sub finem tamen regnantibus Antiochis crudelissime, quemadmodum in hist. Machabeorū. Sextum Romanorū, sub quibus multa ab Herodibus ac præsidibus, siue regni Iudaici administratoribus pertulerūt, ut in Euāgelica hist. & Actis apostolicis, ac deniq; apud Iosephum in lib. ant. Præterea & Christus ipse cum apostolis ac multis martyrum millibus, supplicium mortis sub Rom. iudicibus pertulit, quæ faciūt ad 17. ca. infra.

Et cornua decem, & in capitibus suis diademata septem.] Regna quidē septem sunt, cornua uero decē: nec item diademata plus quā septē. Cornua decem sunt ipsa septē regna quæ supra numerata sunt: quorū unum nempe Macedoniæ cum in quatuor Alexandri successores fuit diuisum, Ptolemeus enim Lagi filius Aegyptū tenuit; Philippus, qui et Arideus dictus, Alexandri frater, Macedonia; Seleucus Nicanor, Syriā & Babyloniam, ac totius orientis regna, ex quo processit Antiochus ille Epiphanes, Iudæorū hostis omnium sæuissimus; Antigonus uero Asiam. Id quod per fractū capri cornu, pro quatuor suborta sunt apud prophetā Dan. cap. 8. significat. Itaq; septem quidē regna, sed decē reges sunt, 1. Mach. 1.

In capitibus septē diademata.] Quāuis decē reges sint, non tamē nisi septem diademata, quæ inter quatuor illos reges potissimū uno usus sit sathan aduersus populum dei, nimirum rege Syriæ, ex quo Antiochus ille Illustris: de quo lib. Mach. 1. legitur.

Et cauda eius trahit tertiā partē stellarū.] Filios Israel stellarū noīe significari, ex pollicitatione Abraham facta Gen. 15. adparet. Item ex Iosephi somnij interpretatione, eiusdē 37. Insuper ex Mosi dicto Deut. 1. Estis hodie sicut stellæ cæli plurimi. Trahit igitur draco tertiā stellarū partem, quādo semper ferè bona pars eius populi impijs adhaerūt, & illorū partes adiuuarūt. Ut primū in uitulo conflati Exo. 32. Deinde ubi Bileam persuasit regi Balach, quo per mulieres alliceret populum, ut illoꝝ sacris adesset, Num. 24. et 25. Præterea de tribu Dan et eorū religione, legis lib. Iudic. 18. cap. Itē plura id genus alia sub iudicibus. Postea uero sub impijs Iuda & Israel regibus: & quæ uel ipse Salomon contra legem dei instituit, quæ impietas usq; ad Machabeorū durauit tēpora. Neq; possent tot tantæq; clades, tamq; diuturna annorū captiuitas, huic mederi malo, quin etiā tum dice-

rent, Eamus et disponamus testamentū cum gentibus quę circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis &c. Quemadmodū & ante apud prophetā Hiere. cap. 44. loquunt, Sacrificemus, inquit, reginę cęli &c. Ex quibus manifestissimū relinquitur, quo pacto tertiam partem stellarū trahat cauda draconis, Ecquis ignorat etiam hodie bonam malorū, quę ecclesia patitur, partē ab ijs ipsis qui sibi nomen ecclesię adeoq; & populi dei uendicāt, irrogari? Porrò cauda est pseudopropheta, quod miro fucatoq; uerborum lenocinio, ueluti cauda in animalibus, ea quę foeda & inhonesta sunt cohonestare soleat: & quemadmodum serpens cauda sua, ita sathan pseudopropheta medio, uenenum pestilentis doctrinę transfundat.

Et misit eas in terrā.] Hoc est pestilenti suę doctrinę effecit, ut neglectis cęlestibus, ac diuinis studijs terrena saperēt, ac friuolis et perituris reb. toti incumberēt.

Et draco stetit ante mulierem ut filium eius deuoraret.] Id primum egit per Herodem dum ex uirgine, deinde ubi in cordibus credentium nasceretur Christus. Nam hoc unum perpetuo agit sathan, ut teneram adhuc Christi & ecclesię prolem, priusquam adulescat, enecet.

Et peperit filiū masculū.] Nō modo peperit ecclesiā, sed et masculū peperit, hoc est fortē & potentē in pręlio. De quo dictum est, Dextera dñi fecit uirtutem: dextera manus suę cōfregit inimicū, Et in Esa. cap. 9. Fortis, cōsiliarius &c. qui arcem probe munitā & custoditā expugnaret & eiecto tyranno spolia diuideret.

Qui recturus erat omnes gentes.] Hoc est cor & animum seruandi legem daturus. Gentes uero, hoc est incredulos, fide, quę est iustitia coram deo, instrueturus, Psal. 72. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.

In uirga ferrea.] Hoc est iustitia inflexibili. Psal. 2. Reges eos in uirga ferrea, & 45. Virga æquitatis uirga regni tui. Porrò uirga Hebręis sceptrum regiū significat. Neq; uero desistit draco ille, donec cum Iudam proditorem tum Iudaeorum pontifices ac eius gentis primores, aduersus illum usq; adeo incesseret, ut tandem cruci adficerent. Atq; tum se illum deuorasse putauit: uerum sua opinione falsus est. Nam ubi se uicisse illum putat, uictus regno eiicitur.

Et raptus est filius eius ad deum & ad tronum eius.] Non modo illū quem admodum putabat non deuorauit neci tradendo, sed inde effectū est, ut in solium regni sui exaltaretur, per resurrectionem ex mortuis, & in cęlos conscensum, de quo Psal. 110. Sede à dextris meis. Et Rom. 1. Declaratus est filius dei in uirtute.

Et mulier fugit in solitudinē.] Quando inclusi in cœnaculo discipuli, expectabāt promissum patris, donec uirtute induerent ex alto, Act. 1. Et quādo distrahitis possessionibus mūdo ualedixerūt, uni Christo totos sese permittentes, Act. 4.

Vbi habet locum paratum à deo, ut ibi pascant eam.] Alludit ad historiam Helię, qui fugiēs iratam Iezabelem, apud uiduā gentilem tribus annis & semisse delitescēs pascitur. Ita & apostolica ecclesia à Iudæis repulsa, demigrat ad gentes, à quibus interim pascitur, iuxta illud, Edentes & bibentes quę apud illos sunt: Dignus est operarius cibo suo. Vbi liberū fecit illis quibuslibet uesci, et delectum ciborum sustulit. Et quā omnino promptę essent gentes ad suppeditandū necessaria prædicatoribus Euangelicis, ostendit Paulus Galatis in hunc scribens modum: Si fieri, inquit, potuisset, oculos uestros eruissetis, & dedissetis mihi.

Diebus mille ducētis sexaginta.] Hoc est durante persecutionis tempore, quod ubiq; scriptura breue designat. Tale tempus et in historia Helię designatur, ad quod spectasse uidetur Iohan. Vnde scriptura solet longauitatem uitę, etiam præsentis, polliceri pijs: contra uero dimidiatos uitę dies impijs comminari.

Factum est præliū magnū in cęlo.] De cultu adeoq; regno in cordibus ho-

minum obtinendo, Christo cum dracone certamen est, iuxta illud Philip. 2. cap. Non rapinam arbitratus est &c. Quo euidenter innuit, sathanā diuinitatis cultū & honorem uiolenter sibi rapuisse. Vult namq; haberi & coli ut deus, tanq; qui possit commodare mortalibus, iuxta illud Matth. 4. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me: quando nō nisi fallere, nocere, & perdere studeat. Euulgato igitur in orbe Euāgelio, agnita ueritate ac manifestatis erroribus, cœpit pelli dæmon ē cordibus hominū, adeoq; & ē templis atq; aris. Id quod significabatur, ubi ē corporibus hominū, quos diuexabant, eijciabantur dæmones, clamantes & dicentes, Venisti ante tempus perdere nos. Proinde reuertentes discipuli, quos ad prædicandum miserat, iactant quod etiam dæmonia ad inuocationem nominis Iesu illis cederent, quibus respondens ait, Videbam sathanā sicut fulgur de cœlo cadentem. Item, Nunc mundi huius princeps eijcietur foras.

In cœlo.] Ecclesia quæ in dispersione gentium constituta, à deo tamen electa & prædestinata, recte cœlum dicitur, iuxta illud Gal. 4. Illa uero quæ sursum est Hierusalem, ē qua eijciendus erat sathan, quem ignoranter hætenus colebat, ut iam missis fœdis erroribus, ac terrenis studijs, cœlestia saperent, & mente cœlum habitaret, iuxta illud, Nostra cōuersatio in cœlis est. Item, Quæ sursum sunt sapite. Cœlo itaq; eiectus dicitur sathan, quando ē cordibus hominum eiectus, cultum suum amisit. Porro angeli, quorū uirtute utitur draco aduersus Michaelē, sunt mundi principes, sapientes, diuites, quorū potentia, astus, diuitiæ, arma sunt quibus pugnat, quo regnū suum, & honorem, quæ iniuste rapuit, tueatur. Cum quo & nobis certamen est, sed armis à deo spiritualibus, iuxta apostolum 2. Cor. 10. & Ephes. 6. cap. Habemus & Michaelē, hoc est Christum, nostræ pugne agonotheten, per quem uincemus, qui idem & uictoriæ exhibebit coronam. Sed & hoc notū est, aerem istum in quo aues uolitant, cœli nomine in scripturis appellari, quem & maligni dæmones, ad exercitium piorum, iuxta apostolum Ephes. 2. incolunt, donec post finale iudicium tradantur in tartarum cruciandi, ut Pet. in 2. cap. 2. habet. De quo infra cap. 19. plenius.

Et non ualuerūt.] Iuxta illud, Et portæ inferi non praualebūt aduersus illā. Michael & angeli eius præliabantur &c. neq; locus inuentus est eorum amplius in cœlo.] Tum uidelicet, quando uictor ab inferis rediens, contrito serpentis capite, hoc est adempta illi potestate, & in ordinem redacto, de illo triumphauit, Colos. 2. cap. Constat item cum ex hist. sacra tum ex martyrum gestis, sanctos angelos adfuisse pijs certantibus in agone.

Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus.] Qui ueneno suo latifero, primos parentes, adeoq; in illis omne hominum genus exitio destinauit.

Qui uocatur diabolus.] Hoc est calumniator, iuxta illud infra, Accusator fratrum nostrorum.

Et sathanas.] Hoc est aduersarius, quod consilio dei, nempe per Christum restituendi electos, modis omnibus aduersetur.

Qui seducit totum terrarum orbem.] Iuxta illud, Mendax est & pater eius. Nam sese deum impudens ille mentiri nō ueretur, hoc est beneficium & seruatorum suis cultoribus, cum reuera exterminator illorum sit. Ita rursus deum mendacij atq; inuidiæ erga illius cultores incusare nequaquam pertimescit: quale est illud, Nequaquam moriemini. Scit enim deus, quod in quacuncq; die comedebitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dii. Gen. 3. Item ubi modis omnibus conatur, ut Christo dubiam reddat hanc uocem, quam à baptismo suo cœlitus audierat, Hic est filius meus dilectus &c. Matth. 3.

Proiectus

Proiectus est in terrā.] Hoc est, potestate adempta exauferatus, contemptu & probris afficiendum, adeoque pedibus conculcandum exhibitū, iuxta illud Psal. Super aspidem & Basiliscum ambulabis. Item, Terram comedes, Super peccatus gradieris, Semen mulieris conteret caput tuum, Gen. 3. Item illud Luc. 10. Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici &c.

Audiui uocem magnam &c.] Iubilum piorum, quo intimis praeordiis liberatori Christo congratulantur, & coelum clamoribus implent, describit: nimirum ob id, quod demum electo sathana, potestas facta sit orbi unum ac uerum deum rite & agnoscendi & colendi, Id quod nunquam antea datum fuit, hoc quod ad uerbum temporis Nunc denotat, Quasi dicant, Vel nunc tandem felix & a multis optata saeculis illa dies nobis illuxit, in qua iuxta Psalmistam, Omnis terra adoret te deus & psallat tibi: & mutuum nos cohortemur dicentes, Omnes gentes plaudite manibus &c. Item, Cantate domino canticum nouum: & id genus alia.

Nunc facta est salus, & uirtus & regnum & potestas.] Regnante sathana, peccato, morte, inferno & perditione, uisus est deus imbecillis, ut qui non posset suis cultoribus opem ferre. Nunc uero postquam a mortuis resurrexit, & regnum a patre donatum auspiciatus est, facta est Salus aduersus perditionem, Virtus aduersus mortis imbecillitatem, Regnum aduersus peccati seruitutem, Potestas omnipotens aduersus uim sathanae, adeoque portas inferorum.

Proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos ante.] Sic dictus est cum propter chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, Coloss. 2. tum quod falsas peccatorum notas pijs solet inurere, Sic beatum uirum Hiob trahebat, quod pro rerum temporalium felicitate coleret deum, Sic Abelum quod fratris Caini ambiret primogenita, Item similem ob causam Iacob, & Ioseph erga fratres suos insimulauit, Sic & Christum regni Iudaici affectorem calumniatus est.

Et ipsi uicerunt illum propter sanguinem agni.] Repurgantem corda illorum a prauis adfectibus, & a genitali malitia iustificantem.

Et propter sermonem testimonij sui.] Quando etiam sanguine & morte fidem quam docebant testificati sunt, nempe per unum Christum saluos fieri credentes.

Propterea laetamini caeli.] Hyperbole est, frequens scripturis, qua ad magnitudinem laetitiae exprimendam, etiam inanimas & mutas creaturas ad congratulandum inuitare solent.

Et qui habitatis in eis.] Nimirum spiritus angelici, simul & piorum animae, quae in fide huius mediatoris migrarunt e corpore, Quamquam & pii in hoc saeculo degentes, caelorum nomine aliquando accipiuntur apud sanctos scriptores.

Vae terrae & mari quia descendit diabolus ad uos.] Terrae nomine accipiuntur, qui terram sapiunt, ac terrenis rebus toti incumbunt, Porro iisdem mare dicuntur, quod propter huiusmodi adfectus turbantur, inuicem tumultuantur, feruent ac fremunt, iuxta illud Esa. 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiete non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum, Non est pax impijs, dicit dominus deus, Et in epistola Iudae apostoli, Hic sunt, inquit, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones.

Quia descendit ad uos.] Apostrophe est, Dixerat namque, Vae terrae & mari: iam mutata persona, ipsa alloquitur dicens, Descendit ad uos.

Habens iram magnam.] Quasi dicat, iam omnem iram suam postquam electus est e caelo, in uos effundet, ad modum iracundi: qui, si quid irae illi ab exteris conflatum fuerit, in domesticos rediens effundit, Hunc in modum testatur Christus

Iudæorū genti cōtigisse. Assumit, inquit, septem spiritus nequiores se, & ingressi habitāt ibi, & fiunt nouissima hominis istius &c. Porro magna hæc ira esse uideatur in hoc, quod eos quos antea faciebat errare per ignorantiam, nunc post exaltatum Christum, & euulgatum in orbe Euangelium, exasperatos, blasphemare facit per inuidiam,

Postquam uidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem.] Postquam summi orbis principes, Romani inquam Cæsares, Christi suscepta religione, idola abiēcissent, uidens se haud posse amplius per apertam idolatriam humano generi imponere, ad alios astus suum ingenium conuertit, nimirum, ut seruatō Christianæ confessionis uelamine, neq; id tamen fieret secundum simplicem ac puram fidei regulam.

Data sunt mulieri alæ duæ.] Duorum testamentorum, ueteris ac noui testamentorum intelligentia, in altum subuolans, impetuosum flumen curiosarum disputationum facile euadit, de utroq; proferens duarum in Christo naturarum testimonia, fide recta & sincera alitur.

Per tempus & tempora & dimidium temporis.] Dimidia annorum hebdomas est. Tam diu Helix, tam diu et Christi persecutio, quā pertulerūt ab impijs, durauit: Sic & totum piorū tempus, quo sub persecutoribus impijs affliguntur, nō potest nisi breue esse, Christo illis ferente opem. Ideoq; dimidia hebdomas in Daniele, & in hoc libro aliquoties censetur.

Eiecit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen.] Manifestum est doctrinam Euangelicam, ubi ex uī spiritus ebuccinata fuerit, impetuosum aquarū flumini, cui nemo ualeat resistere, comparari, Iohan. 7. Eundem quoq; in modum, & philosophicæ, adeoq; contentiosæ hæreticorū disputationes, uelut impetuosum aquarum flumen irrumunt, simplicium mentes euersuræ. Id quod per Arrium hæresiarcham ac suos complices multis euenit: quemadmodum in ecclesiastica hist. Euseb. uidere est.

Vt eam trahi faceret à flumine.] Hoc est, ut impetu ac uī acutissimarum disputationum, inde et persecutionum, à simplici mediatoris Christi fide in perniciosam rapi faceret perfidiam.

Et adiuuit terra mulierem & aperuit os suum.] De Niceno, sub Constantino pio Cæsare, concilio intelligunt, ad quod ex omni terra uiri sancti & eruditi conuenientes, Arrij dogma cum suo autore condemnarunt. Item de Constantinopolitano, in quo Eunomij & Macedonij sequatiū Arrij, errores similiter damnati. Præterea et de Ephesino, in quo Nestorij condemnata impietas fuit. Item & de Calcedonensi synodo, ubi Eutichis & Dioscori reprobata uesania. Atq; in hunc modum terram adiuuisse mulierem exponunt.

Et iratus est draco in mulierē & adiecit facere præliū.] Quia flumine à terra in modū qui dictus est absorpto nihil profecerat, tandē adductis in hæresim Arrianam Constantio, Valente, ac Lycinio Cæsaribus, bello publico sanctam opernarunt ecclesiam. Qua de re plura apud Euseb. in ecclesiast. et tripartita historia.

Qui custodiunt mandata dei & habent testimonium Iesu Christi.] Hoc est bonam uitæ, piæ doctrinæ respondentem, consuetudinem. Hactenus aliorū recensuimus expositionem, quæ uisa est nobis admodum congrua. Verum diligēs lector expendat & iudicet: nūc nostram adferemus, magis ad Antichristi regnū, adeoq; ad nostra hæc ultima tempora, quæ in hoc cap. 12. accommodantes.

ET APERTVM est templū dei in cœlo, et uisa est arca testamenti in tē.] Hæc est quarta uisio, in qua rursus easdem à saluatoris exortu, uarias ecclesiæ pugnas, &

& subinde uictorias, alijs tamen typis describit. Porrò tabernaculū, arca, & quæcūq; in eis disposita erant, exemplaria fuerūt cœlestium, iuxta autorem epist. ad Heb. cap. 8. & 9. quæ per Christū adimplenda. Templum igitur ipsum cœlum, arcam uero ipsum hominem Christum, postquam gloriosus cœlos conscendit, & in dextera dei patris resedit, accipio, iuxta Eph. 4. cap. Tum enim.

Facta sunt fulgura & uoces & terramotus & grando.] Nimirum ubi Christus, ceu iam diximus, cœlos conscendit, suam aduersus sathanam exerturus potentiam et regnum auspicaturus. Horrendo et inaudito sæculis miraculo, cœlum & terram commouens, munere cœlesti discipulos replet, quorum subinde uerba omni fulgure, omni tonitru, omni deniq; terramotu, magis horrenda impijs uisita sunt, Act. 2. Hebr. 12. Exemplum huius in Herode impio rege habes, qui audita Christi regis natiuitate, mirum in modum cum omni Hierosolyma, hoc est cum primoribus urbis, ac regni præcipuis turbatur. Item in principibus sacerdotum, ubi audiunt sepulchri custodes narrantes ea quæ domino resurgente contigerant, Matth. ult. Sic & princeps mundi cum proceribus, dum orbi Euangelium inuehitur, iuxta illud Psal. Astiterunt reges terræ, Act. 4.

Signum magnū apparuit in cœlo.] Hoc utiq; signū est, cui à potentioribus mundi, adeoq; à toto ferè mūdo contradicunt, Luc. 2. nēpe exorienti regno Christi.

Mulier amicta sole & luna sub pedibus eius.] Ecclesia apostolica & initialis, mulieri recte comparatur: quæ licet ex sui natura fragilis, modica & sterilis, tamen per sponsum suum Christū multa prole fœcunda et magna reddat, Esa. 54. & Gal. 4. cap. Id quod in Sara Abraham patriarchæ uxore figuratū fuit. Vnde Christus illam consolatur ecclesiā, Nolite, inquit, timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum. Amicta sole, hoc est lumine æterni Euangelij: circumquaq; nimirum doctrina & morum conuersatione, coruscans, iuxta illud, Vos estis lux mundi. Item, Quicūq; baptizati estis, Christū induistis &c.

Et luna sub pedibus eius.] Luna post solem inter astra cœli præcipuū præfert luminis splendorem, Gen. 1. Videtur igitur mihi hoc loco significare Iohannes, ecclesiam Christi etiam infima sui parte esse pellucidam, hoc est, non modo maiores, sed etiam simpliciores quosq; in ecclesia, lucem cognitionis dei, rerūq; spiritalium atq; cœlestiū haud uulgarem præ se ferre, iuxta illud Hiere. 31. Omnes cognoscent me à minimo usq; ad maximum. Et Matt. 11. Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo. Præterea significari uidetur, ecclesiam, licet mundo impugnante, perstituram, donec auferatur luna, iuxta Psal. 72. quæ ipsa luna facta est superior, super Petram Christū firmata, omni deposita mutabilitate. Adde quod quemadmodum solis claritas, lunæ claritatem obfuscat, ita iustitia fidei, iustitiam quæ ex lege est nullam ostendit, ut per solem quo ecclesia amicitur, Euangelij claritatem, per lunam uero legis intelligas. Recte igitur ecclesia maiori claritate illustrata, minorē sub pedibus habere describitur, Phil. 3. Quæ à tergo sunt obliuiscēs &c. Vt inueniar in eo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu. Et quæ per totū caput Paulus ibidem disputat, huic expositioni quadrant. Quanquam prima expositio mihi magis arridet.

Et in capite eius corona stellarum duodecim.] Apostoli 12, quasi stellæ pellucidæ, caput, id est, primordia succrescentis ecclesiæ, mirabiliter adornant, per quos tamen, quia duodenarius perfectionis simul & uniuersitatis numerus est, omnes quicūq; pure docent Christum, libenter accipimus. Quos & Daniel propheta cap. 12. stellis firmamenti comparat: id quod ferè perpetuum in hoc libro Iohanni est,

Et in utero habens, & clamat parturiens & cruciatur.] *Anxietatem & animi desiderium primordialis ecclesiae, iam spiritu Christi foetae, et partui proxima, significat. Dolore uero & cruciatu in eo quatiebatur, quod cum Iudaeorum pontifices, pharisaei ac scribae, tum mundi principes & sapientes modis omnibus pontolicae praedicationi obstreperent, quo minus pro uoto res succederet: quemadmodum Lucas in Actis & Euseb. in ecclesiastica hist. testantur. Porro similitudine parturientis mulieris, in simili proposito, saluator usus est, Iohan. 16. cap. & Paulus in Galatis, Filioli quos iterum parturio &c.*

Et ecce draco magnus, rufus &c.] *Saevitia ac uis sathanici regni, sub typo draconis magni & rufi, qui negotium parturienti faceffit ecclesiae, describitur. Magnus, propter magna nocendi uim ac potestatem: magnus item, propter innumeram malorum multitudinem, quae corpus draconis est. Rufus, hoc est, totus cruentus sanguine innocentium, quos a mundo condito interemit, Iohan. 8. cap.*

Habens capita septem.] *Caput & cornu regni potestas sunt: quod igitur septem capita & cornua decem draco habet, regnum schismaticum mihi significare uidetur. Regna enim mundi sibi inuicem exitio sunt. Quando uero, septem, & decem, numeri uniuersitatis sunt, significatur draconem omnium regnorum mundi habere potestatem, & esse totius mundi principem: quemadmodum & de hoc apud Christum Matt. 4. gloriatur. Est igitur fortis ille, qui quoad potest, custodit arcem suam, donec fortiore superueniente expugnetur. Quod uero scissum est, excidij indicium est. Nam omne regnum aduersus seipsum diuisum desolabitur. Porro per cornua decem, robur maximu, ac omne genus malorum, omnisque nocendi ars significatur. Iam septem diademata, plurimas de regibus potentissimis partes significant uictorias: quorsum Rom. pontifex cum suis tribus coronis sub mysterio alludit. Quaeque etiam hoc schemate uideri uelit, quod par Christo habeat imperium, coelestium, terrestrium, & infernorum: hoc est, quod possit etiam angelis coelestibus imperare, in terris summis principibus quoque, & hijs qui sunt sub terra, hoc est mortuis in purgatorio. Hinc papa Clemens ausus est angelis praecipere, indulgentias a poena & a culpa publicare. Ad uotum cruce signatorum tres uel quatuor animas, quas quisque uellet, e purgatorio liberandas concessit: cuius rursus temeritatem facultas Theologica scholae Parrhisien. tum non formidauit reprehendere & corrigere.*

Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum caeli.] *Serpens cauda uenenum, quo inficit, gestat. Hoc significatur sathanam potissimum nocere per hypocrisis pseudopphetas, iuxta illud, Pseudoppheta ipse est cauda. Per hos namque draco tertiam stellarum partem, hoc est, omnes fere mundi principes, genere, eruditione, ac opibus claros, post se trahit. Et quoniam sub finem Antichristiani regni magis quam unquam antea pseudopphetarum numerus abundabit, hoc plures ex insignioribus trahit. Praeterea cum reuelatus fuerit Antichristus, & caput illius confringi coeperit, tum stringit caudam, tum omnes intendit nervos, tum saeuit: quo fit ut innumerum poenarum moetu post ipsum abeant, etiam ex hijs qui probe callent ueritatem, sicut est haec dies. Item cauda sunt, quicunque se, homagio praestito, sedis illius defensores constituunt. Et quicunque tandem feuda, dignitates, officia ab illo accipiunt, ac pro sanctissimo patre, proni pedes illius deosculantes, adorant.*

Et draco stetit ante mulierem.] *Stetit, uerbum, emphaticos accipiendum: id est, diligenter obseruat, nusquam discedit, aperto inhiat ore: summa, in hoc totus est, ut mulier uel territa abortiat, aut recens natos & in fide adhuc pusillos, priusquam*

priusquam coalescant, deuoret: nimirū ut uel promissis alliciat, uel minis à cœpto territet, iuxta illud, In tempore tentationis recedunt. Hic diligēter inuigilant magistri hæreticæ prauitatis, ut libros contra illius præsumptam potestatem, & præsumptæ potestatis abusum scriptos, exuri procurent, legendos prohibeant, à conationibus Euangelicis audiendis abarceant. In summa, nihil intentatū relinquit draco pestilens, nullum non mouet lapidem ne aut nascatur Christus, aut natus in cordibus hominum coalescat.

Et peperit filium masculum.] Aut Christum in cordibus fidelium, iuxta illud Apostoli, Donec iterum Christus formetur in uobis: quem recte masculum, hoc est qui negotium facessat draconi, ac tandem cōtrito capite prorsus perimat, appellat: Vel alium quempiam præstantissimū, cui nimirum cedere cogatur sathan cū pseudoprophetis. Qualis erat olim Stephanus, Paulus, Apollo, cum suis similibus. Item, Athanasius, Iohannes Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus. Præterea Iohannes Huss, & nostrorum temporum Oecolampadius, qui proximis diebus ex hac luce migrauit, theologus, omnium uel etiam æmuloꝝ iudicio, eruditissimus habitus: ut interim alios, qui eo haud inferiores doctrina et pietate quod hodie superstitēs sint, prætereā. Expende uero, haud satis uisum fuisse Iohanni quod dixerit filium, nisi etiam addat masculū. Quasi dicat, Quamlibet aduersetur sathan, tamen Christo adiuuante parit ecclesia: neq; uero solum parit, sed filium quoq; & eum quidem masculum, hoc est uegetum, alacrem, & qui negotium sit exhibiturus draconi.

Qui recturus erat omnes gentes in uirga ferrea.] Virga ferrea, recte uerbum dei, quod omnino inflexibile, & quod omnia domat, 2. Cor. 10. capit. Cui de omnibus gentibus obediunt, quotquot præordinati sunt ad uitam: reliqui uero tum obedituri sunt in eluctabili sententiæ, cum dicturus est, *Ite maledicti &c.* De quo Hebr. 4. capite. Sic de uerbo dei sub typo uirgæ, siue sceptri uidentur loqui Psalmi 2. 45. & 110. Porro sub typo gladij Paulus Ephes. 6. & in epist. ad Hebræos 4. capite.

Et raptus est filius eius ad deum & ad thronum eius.] Christus in cordibus piorum nascens, interim cum patre in cœlis regnat, quem draco è solio suo deturbare satagit, sed minime præualet. Præterea notum est iuxta Psal. 91. quod habitantes sub præsidio altissimi, omniū securissime agunt. Item, quod qui confidunt in domino, sicut mons Zion, nullatenus mouentur loco, Psal. 125. Et Paulus Ephes. 2. testatur pios cum Christo sedere in cœlestibus.

Et mulier fugit in solitudinem.] Compertum est Mosen fugisse iram regis Aegypti, & apud Ietro Madianitarum sacerdotem socerum suum annis quadraginta clanculo demoratum. Præterea Dauidem cum suis iram Saul regis pertimescentem, montium cauernas incoluisse. Item, Heliam Iezabelis iram fugientem, tres & semis annos latitasse. Similiter & centum domini prophetas, quos ob eandem Iezabelem, Abdias in speluncis absconderat: de quibus Epist. Heb. cap. 11. Sic foribus clausis latitant aliquandiu discipuli domini, Paulus apud Damascum, sporta per fratres demissus, in Arabiam ad tempus secessit. Quis deniq; ignorat latebras Athanasij, aliorumq; catholicorū antistitum, tempore Arrianæ persecutionis? Præterea multorū patrum apud Aegyptū, ob eorundem temporum malignitatem, intima deserti penetralia petentiū. Lege apud Euseb. eccle. hist. libro 11. cap. 4. De nostris quoq; sæculis quid attinet multa commemorare? quando sub pijs magistratibus ac principibus in omnium oculis sunt uiri pietate

& eruditione insignes, qui suis ecclesijs eiekti, duris ac infretis manuum laboribus uictum merere tenuem, quàm Antichristo pro pinguibus, ut uocant, beneficijs militare elegerunt. Et audent tamen insignes illi nebulones, qui se clericorum ac religiosorum adeoq; spiritualium & ecclesiæ nomine uenditant, cum sint reuera Antichristi satellites, nec aliud agant quàm quod continue pios trucidant, & audent inquam, quæcunq; scriptura de ecclesiæ, hoc est piorum sub Antichristo persecutione, de seipsis exponere, & querula uoce deplorare, quasi grauiâ & longe indigna suo statui ab impijs hæreticis patiantur, Aesopico adsimiles lupo, qui sibi turbatum ab agno riuum queritur, cum ipse superiori parte bibisset. Et inueniunt tamen uiri illi impostores ac derisores, nedum ex uulgo, sed & ex magnatibus quoq; bonam partem, qui eis in tantis opibus, in tanto fastu atq; luxu degentibus, quasi grauiâ passis, uehementer compatiantur. Verum iudicabit inter nos olim Christus, in cuius oculis hæc impudenter patrare audent. Ex quorū numero est autor libri, cui Onus ecclesiæ titulus est, quemadmodum ex multis eius libri locis adparet, præcipue capit. 39. Hæc interim simpliciter de fuga & latebris ecclesiæ, hoc est piorū, tempore persecutionis. Quanquam non illibenter admitto hoc quod alij dicunt, nimirum ecclesiam fugere in solitudinem, dum huius mundi illecebras aspernatur, per omnimodam sui abnegationem, qua saluatur à dracone persequente. Quemadmodum apud Danielelem Edom, Moab, & in initium filiorum Ammon, à regis aquilonaris exercitu saluantur, ob id quod in montibus habitent; contra uero Aegyptij, Libes, & Aethiopes, quod terras cultas & amœnas incolant, in eius ditionem subinde sint cessuri. Quibus significare uoluit propheta, eos qui diuitijs cumulandis ac uoluptatibus toti incumbunt, prædæ futuros Antichristo; harum uero rerum contemptores, qui duram & asperam uitam degunt, eius manus euasuros, Danielis cap. 11.

Diebus mille ducentis sexaginta.] Dimidiatam annorum reddunt Hebræomadam, qua omne tempus Antichristianæ persecutionis, propter sui breuitatem describitur. Id quod aliquando aperte, tres anni & menses sex, ut in historia Helix. Tempus, tempora & dimidium temporis, ut apud Danielelem & hunc nostrum Iohannem. Aliquãdo menses 42. nonnunquam dierum numero, ut in Daniele & hoc loco. Quibus omnibus dimidia hebdomas annorum significatur, licet obscurius mysterij indagandi causa.

Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael & angeli eius.] Ecclesiæ in solitudine latitanti, à facie iræ indignationis draconis, Agonothetes & propugnator Michael adest, Heros ille Dauides manu fortis, nimirum Christus dominus seruator; quo nemo fortior siue in cœlo siue in terra, Quis enim sicut deus? Id quod nomen Michael Hebræis sonat מִיכָאֵל; qui & apud Danielelem princeps magnus, & pro populo dei stare dicitur. Porro angeli eius sunt cum sancti illi administratorij spiritus, tum ex hominibus pijs principes ac magistratus cum uerbi ministris, qui in debellandis Antichristiani exercitus copijs, Christo seruatori subfamulantur; quemadmodum & sathan, ne dum malignos spiritus, sed & mundi huius principes ac potentes, angelos habet sui regni propugnatores. Per hunc igitur Michaellem deuictus est draco, et è regno cœlorum, hoc est, è cordibus filiorum dei eiektus, quemadmodum Luc. 10. Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentē. Et Iohan. 12. Nunc princeps mundi huius eijcietur foras.

Proiektus in terram.] Hoc est in homines ex diabolo natos, qui toti terram sapiunt, terram comedunt, pectore in terra repunt, qui ueritatem dei aspernant, mendacium

mendacium patris diaboli amplexatur. Quorum caput conteret semen mulieris, iuxta illud, Super aspidem & basiliscum ambulabis &c.

Nunc facta est salus & uirtus.] Epinicion, hoc est, uictoriale & gratulatorium carmen est, Ecclesiae ex deuicto & eiecto dracone triumphantis. Id quod potest referri uel ad Titi & Vespasiani tempora, qui ecclesiam a saeuissimis hostibus Iudaeis uindictarunt; uel etiam ad Constantini tempora, quando perditis & eiectis Romano imperio fidei Christianae persecutoribus, pax reddita fuit ecclesiae. Item ad tempora Iouiniani Caesaris, post Iuliani appostatae interitum. De quo lib. eccle. hist. 11. Eusebius.

Proiectus est accusator fratrum nostrorum.] Hic uides praecipuum inter alia sathanæ ac suorum studium, nempe calumniari & accusare fratres, nimirum apud mundi potentes, tyrannos, adeoque apud pios magistratus, quo illos interitioni destinant, quemadmodum & ipsum saluatorem nostrum hoc nomine calumniatus est, quod regnum ambiret per tumultum populi &c.

Ante conspectum dei nostri.] Sathanæ impudentiam notat. Quasi dicat: Vide impudentiam sathanæ, haud ueretur traducere pios apud inspectorem cordium, quasi ille ignoret, aut sibi imponi sinat, ut adparet Hiob cap. 1. Hunc in modum sapientius obprobrat scriptura impijs, quod suas impietates & abominationes haud uerentur impudenter committere in conspectu dei, quem nihil possit latere, cuius oculi in omnibus locis intuentur filios hominum. Sic dicitur Nimroth robustus uenator coram domino, Gen. 10. Ita phariseus sibi placens, apud semetipsum sua inflatus iustitia, publicanum accusat & condemnat. Contra uero iustus primum accusat seipsum, fratrum uero facta excusat & extenuat.

Die ac nocte.] Indefesso hoc unum agit studio, in hoc totus incumbit, cum sathan tum sui, ut pios traducant. Quis quæso explicet quanta hodie in Euangelicos contionatores excogitant, etiam perniciose & apertissima mendacia? neque etiam deprehensi in huiusmodi mendacijs, erubescunt, quasi aperte dicant illud Esa. Posuimus mendacium spem nostram &c.

Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni.] Hoc est, haud suis aut uiribus aut meritis, sed Christi seruatoris gratia aduersarias deuicerunt potestates. Is enim suis adfuit testibus, roborando eos, ne diligerent animas suas, id est, ne uitam praesentem futurae praerferrent felicitati, adeoque aeternae uitae, sed praesentis uitae incommoda, adeoque mortem ipsam, forti contemnerent animo, iuxta illud Matth. 10. Ne timeatis eos qui occidunt corpus, Et Iohan. 12. Qui amat animam suam, perdet eam &c.

Propterea latamini caeli & qui habitatis in eis.] Quo gaudij magnitudinem subinde exprimat, more scripturarum, cum caelos ipsos res inanimas, tum etiam sanctos administratorios dei spiritus, ac sanctos dei homines caelestia amantes, ad praedicandam Christi uictoriam inuitat.

Vae terrae & mari.] Terrae, hoc est qui terrena sapiunt, rebus terrenis student & toti incumbunt. Hij enim terra sunt. Amor enim transformat amantem, in id quod uehementer amat.

Et mari.] Nam qui fluxis rebus, quales sunt honores, deliciae, opes, nituntur, uelut fretum continuis agitantur procellis, & nusquam quieti sunt. Recte itaque mari comparantur, iuxta illud Esa. 57. Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum, quia non est pax impijs dicit dominus deus.

Quia descendit diabolus ad uos habens iram magnam, sciens quod modicum

tempus habet.] Hoc propter electos dici puto, qui tamē usq; peccatis detinentur, quo citius resipiscant. Nam timet sathan ubi prædicatio ecclesiæ feliciter cesserit, plurimos resipituros & à se defecturos, adeoq; modis omnibus in peccatis illos detinere ac profundius immergere conat. Præterea quo uarios diaboli astus nobis aperiat, qui postquam una uia nocendi profligatus, alia grassari subinde pergit. Verbi gratia, ubi non successit illi per apertam tyrannidem, per occultas hæreticorum insidias sub specie pietatis adoritur: quod si etiam hac uia nihil promouerit, rursus per tyrannidē rem tentat. Id quod pulchre in Beati Hiob tentatione deliniatum est.

Sciens quod modicum tempus habet.] Quo completo ineluctabilis illa proferetur sententia, Ite maledicti &c. Propterea clamabant dæmonia, Venisti, inquit, ante tempus perdere nos: & rogabant ne illos mitteret in abyssum.

Et postquam uidit draco &c. persequutus est mulierem.] Hoc est, ceu diximus, quod ne uictus quidem & eiectus à persequendo cessat, tam& si uires illi ad nocendum desunt, protegente ecclesiam suam Christo.

Et data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ ut uolaret in desertū.] Aquila sublime uolans, nonnunquam tamen pastus causa ad terram sese demittere solet. Alæ igitur aquilæ mihi uidentur significare, Altera nostrarum uirium desperationem, ubi in nos ipsos descenderimus, & quam nihili simus animaduertimus, Altera uero in deum fiducia, ubi rursus quales in ipso sumus considerauerimus, uerbum promissionis illius fide apprehendentes. Quibus fit, ut simus in nobis infirmi, in ipso fortes; de nobis nihil, de illo nobis omnia pollicentes, quemadmodum Paulus dicit, Quando infirmior tunc fortior sum. Virtus enim in infirmitate perficitur. Et alibi, Omnia possum in eo qui me confortat. Sic timore in rebus secundis contra uanam securitatem ac præsumptionem, & fiducia in deum contra desperationem suffulti, sathanæ tentationes eluctari poterimus. Verum si quis nolit superstitiose numerum binarium obseruare, poterit simpliciter iuxta scripturam alas aquilæ accipere pro indefatigabili quadam propemodum cœlesti uirtute, iuxta illud, Qui sperant in domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, uolabunt & non deficient. Item illud Psal. Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua.

Vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis.] Hoc est per dimidiatam annorum hebdomadam, qua & in Daniele ultimo capite, significatur tempus Antichristianæ persecutionis propter electos breuiandum, ut paulo supra in hoc cap. diximus. Atq; hoc frequēter adeo inculcat scriptura, ne persecutionum atrocitate frangantur p̄ij. Sic & alij prophætæ clamant, Dominus prope est. Item, Si morā fecerit expecta eum &c. Præterea ut terreantur impij, audientes adeo breui sui adfore finem imperij. Sic apostolus Paulus in utranq; partem, Qui utuntur hoc mundo, tanquam nō utantur: Et qui flent, tanquam nō fleant, &c. Præterit enim figura huius mundi.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flu.] Impetum persecutorum, recte uel exundantium fluminū comparat, iuxta illud Psal. Formitan aqua absorbuisset nos. Ex ore uero mittit serpens flumen aquarum ingens, dum sententiā hæreseos aduersus pios fert, dum illos excommunicat, dum diris deuouet, dum brachiumulare aduersus illos inuocat: & id genus alia. Postremo dum aperto Marte persequitur.

Et aperuit terra os suum, & absorbuuit flumen quod mi.] Ego id fieri puto, dum

dum persecutores in ipsis medijs conatibus immatura morte e medio abripiuntur, et in terram, e qua nati sunt, & cuius naturam tota eorum uita respicit, reuertuntur, ut de Iuliano Cæsare & supra cap. 6. de multis alijs Cæsaribus adparet. Id quod & crebro hac ipsa nostra tempestate uidimus. Alludit uero ad Coritarum interitum, contra ecclesiam dei insurgentium, Numeri 16.

Et iratus est draco in mulierem, & abiit ut faceret.] Hic rursus uides studium & assiduitatem sathanæ, qui quamlibet uictus, nequaquam tamen despondet animum, sed nouum pergit instituire certamen aduersus semen mulieris, hoc est sanctæ et orthodoxæ ecclesiæ, iuxta illud Gen. 3. cap. Inimicitias ponam inter te & semen mulieris &c.

Qui custodiunt mandata dei.] Hoc unum est cur maxime desæuit sathan, quod uideat se contempto, deum colere pios.

Et habent testimonium Iesu Christi.] Nimirum quod in hoc ille apparuerit homo factus, ut dissolueret opus diaboli, nimirum peccatum, mortem, adeoq; sathanæ regnum in uniuersum, 1. Iohan. 3.

Et stetit super arenam maris.] Ad consolationem piorum facit. Significat enim frustrandos esse sathanæ conatus, quemadmodum et hij qui in arena stabile quærunt fundamentum, Matth. 7. Contra uero Christus cum electis suis supra montem stare legitur infra cap. 14.

C A P V T X I I I .

Uidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiarum. Et bestia quam uidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco uirtutem suam & potestatem magnam. Et uidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est. Et admirata est uniuersa terra post bestiam. Et adorauerunt draconem qui dedit potestatem bestiarum: et adorauerunt bestiam dicentes, Quis similis bestiarum? & quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadragintaduos. Et aperuit os suum in blasphemias ad deum blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in coelo habitant. Et est datum illi bellum facere cum sanctis: & uincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: & adorauerunt eam omnes qui inhabitabant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Si quis habet aurem, audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem uadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum. Et uidi aliam bestiam ascendentem de terra: & habebat cornua duo, similia agni, & loquebatur sicut draco. Et potestatem prioris bestiarum omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de coelo descendere

in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestię, dicēs habitantibus in terra, ut faciant imaginē bestię, quę habet plagā gladij, & uixit. Et datum est illi ut daret spiritū imaginī bestię, & ut loquatur imago bestię: & faciet ut quicumq; non adorauerint imaginem bestię, occidantur. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis posset emere aut uendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestię, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum: computet numerum bestię. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.



T uidi de mari bestiam ascendentem habentem capita.] Hactenus, iuxta quorundam sententiam, de hijs quæ nostra præcesserunt sæcula, nūc de futura per Antichristum persecutione, quæ uel ipso saluatore teste, omnium erit sæuissima.

Vidi de mari bestiam.] De mari in quod paulo ante legitur proiectus draco, ubi dicitur, *Va terræ & mari, quia descendit ad uos diabolus &c.* Porro bestiam appellat, qui prius draco, nouo quidem uocabulo, pro admiranda rei nouitate, nimirum ob insignem maliciæ ferocitatem. Hinc & ab apostolo homo peccati & filius perditionis appellatur. Hunc (ueterum more) putant singulari quodam modo ex dæmone maligno nasci oportere, ab illo totum impleri, possideri, & agitari, & nihil aliud fore quam diabolum incarnatum: quemadmodum Christus deus incarnatus, uirtute spiritus almi operante in uirgine matre, spiritu sancto totus plenus, à quo totus possidebatur & agitabatur. Ascendentem, hoc est, ipsam supra omne id quod dicitur aut quod colitur deus extollentem, iuxta apostolum.

Habentem capita septem & cornua decem.] Tot capitum & cornuū draco supra cap. 12. monstrabatur, ut eundem sathanam & in dracone & in bestia operari significet, & idem cum draconis tum bestię esse negotium.

Super cornua eius decem diademata.] Draconi tantum septem diademata, cum essent cornua decem tribuerat. Hic uero decem cornibus decem diademata affingit. Nam quemadmodū infra cap. 17. dicitur, decem reges, hoc est uniuersi reges ac principes potestatem suam bestię suppeditabunt, qui unam cum bestia uoluntatem habebunt, extinguendi nimirum nominis Christi, adeoq; ipsa bestia omniū capitum atq; cornuū in seipso recapitulabit siue consummabit malitiam.

Super capita eius nomina blasphemiarum.] Hoc est nomina usurpata diuinitatis: quemadmodum satis adparet de sex superioribus regnis, ex historijs cum sacris tum prophanis. Porro de Antichristi blasphemijs, ipse quoq; Daniel, præterea & Paulus 2. Tess. & Iohannes noster plura testatur.

Similis erat pardo, & pedes eius &c.] Ex quo adparet, id quod iam diximus, Antichristum in seipso recapitulaturum omnium priorum sæuitiam tyrannorum. Nam quod hic generali nomine dicitur bestia, Romanam significat tyrannidem, sicut in uisione Danielis Pardus Macedonicum, præsertim in Antiocho. Ursus Persicum, præcipue in Aman, Leo uero Babylonicum, præcipue in Rapsace. Sic igitur bestia illa Antichristus, à Romana incipiens crudelitate, nihil sæuitiæ

fauitiæ præcessorum tyrannorum Regum obmittet. Id quod significauit Iohan. ubi uni bestię similitudinem pardī, pedes ursi, os leonīs affingit.

Dedit illi draco uirtutem suam & potestatem magnam.] Simia Christi Antichristus est. Quemadmodum enim antiquus dierum Christo uirtutem suam & potestatem magnam tradidit, ita & draco bestię: quemadmodum infra dicitur, Data est illi potestas in omnem tribum et populum &c. De qua quidem potestate gloriatur Sathan Matth. 4.

Vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem & plaga.] Ipse Antichristus septimum bestię caput, hic unum, hoc est primum siue præcipuum dici uidetur. Porrò plagam mortis sententiam damnationis putat, mox ab initio suæ apostasiæ à deo latam, sed reuixit potestate sibi permīssa se pro deo apud homines uenditandi.

Et admirata est uniuersa terra post bestiam.] Iuxta illud, Veniet alius in nomine suo, illum suscipietis, nimirum pro Christo ac saluatore, Iohan. 5. Verū non uenit Christus ministrari sed ministrare. Cum facturi essent ipsum regem, fugit in desertum, Iohan. 6. Cum ouantes regem Israel salutarent turbæ, a fello uehitur, atq; inter ouantium lætas uoces lachrymatur. Hic uero perditionis filius, in primis sui admirationem a deoq; diuinos sibi uendicat honores.

Et adorauerunt draconem qui dedit potestatem bestię.] Concupiscentijs suis addicti, relicta fide Christi, traditi sunt in reprobum sensum, falsum cultum amplectentes, in ipsa bestia Antichristo draconem adorant, ut in 2. Tess. dicitur, Eo quod charitatem ueritatis non receperunt &c.

Quis similis bestię.] Subaudi opibus & potentia, quas potissimum in illa admiratur mundus, quibus accedit honesta in speciem religio.

Et quis poterit pugnare cum bestia?] Qua uoce summam illi tribuunt potentiam, cui nemo resistere queat, atq; inuicta manens, omnes deuincat potestates. Hic ergo sunt diuini tituli, ac diuina præconia soli Christo debita, testante scriptura, Quis sicut deus? Ecquis poterit resistere deo? Et id genus multa. Contra uero illi, Quis similis bestię? Neq; uero tantum feret sibi à populo diuinos tribuere honores, quemadmodum Herodes ille Act. 12., sed uel gladio huiuscemodi uoces exigit. Vnde sequitur.

Et datum est ei os loquens magna & blasphemias.] Quemadmodum in libro Hiob dicitur. Ipse est rex super omnes filios superbiæ: hoc est, superbia, fastus, arrogantia superat uniuersos, parenti suo draconi per omnia adsimilis, Christo uero per omnia iuxta nomen suum contrarius. Nam Christus honorem patris, ille suum quærit. Christus humilime omnibus etiam uilissimis inseruit, ille omnibus etiam potentissimis regibus dominatur. Christus se ultro in mortem abiectissimam pro mortis debitoribus obtulit, ille innumeros eosq; innoxios neci tradit. Christus ne iniquo quidem iudici obstrepit, ille contra deum blasphemias loquitur. Ille tabernaculum dei prophanat, Christus purgat. Ille bellum facit cum sanctis, Christus peccatores quoq; conciliat patri, & pacem adfert mundo. Ille potestatem omnes iudicandi sibi uendicat, Christus ne de agello quidem, dum interpellaretur, iudicare uoluit. Atq; hunc in modum licebit per singula comparationes utriusq; facere, per quas adparebit luce clarius, Antichristum, iuxta nomen suum, per omnia Christo aduersari.

Et data est illi potestas in omnem tribū &c. Et adorabūt eam.] Apostolorū atq; credentiū noīa in cœlo scripta sunt, impiorū uero in terra, iuxta illud Hic. 17. Recedentes à te in terra scribent, hoc est, in obliuione erunt corā deo & congre-

gatione iustorum. Id quod sub alia metaphora Psal. 1. Tanquam puluis quem pro-
 n̄cit uentus à facie terræ. Admonent quoq; particulā Ab origine mūdi, coniungi
 debere cum particula Quorū nomina non sunt scripta, non cum particula Agni
 qui occisus est, ut uulgo coniungi solet; in hunc modum, Quorū nomina nō sunt
 scripta ab origine mundi, in libro uitæ agni, qui occisus est, hoc est, qui non sunt
 ab aeterno in ipso electi. De qua electione Paulus Ephes. 1. & Rom. 8.

Si quis habet aurem audiendi.] Hac solita particula auditorem excitat, &
 attentum reddit, ubi magni quidpiam dicturus est, quod scire nos referat.

Qui in captiuitatem duxerit.] Petro dictum est, Conuerte gladiū tuum &c.
 Item, Omnes qui acceperint gladiū &c. Verbo nāq; & uirtute, hoc est, prodigijs,
 non armis propagatur Christianismus, 2. Cor. 10. cap. Cōtra uero Antichristus,
 gladio ad sui cultum cogit quoslibet. Item dilectione, pace, adeoq; beneficentia
 cognoscuntur filij dei, Iohan. 13. cap. Contra uero filij diaboli, odijs mutuis & ho-
 micidijs, 1. Iohan. 3. cap. Inexcusabiles igitur sunt, quicūq; tandem suam illam
 ac sanguinariam bestiam adorant. Præterea nihil quoq; agunt ij qui gladio Euan-
 gelium defendere satagunt, siue aduersus Turcam, siue aduersus Antichristum,
 uera interim neglecta pietate.

Hic est patientia sanctorum.] Fides sanctorum dei patientia probatur, dum
 fortiter tolerant, non dum fortiter aduersa propulsant. Igitur patienter tyrannos
 ferunt, donec Christus illos occiderit, idq; tempore à deo definito: nō ipsi illos oc-
 cidunt, etiamsi superiores illis essent uiribus. Propterea Iohan. dicit, Qui gladio
 occiderit, oportet eum gladio occidi. Non dicit, Ipsi occidite.

Et uidi aliam bestiam ascendentem de terra.] Generatio nequam, & si una
 sit cum suo capite septimo Antichristo, alia tamen & alia dicitur bestia, propter
 geminam illius uim, nempe bellicam siue regiam, & magicam. Talem, hoc est ma-
 gica ui operantem, olim uidere fuit in magis Pharaonis, cui magiæ & Chaldaeorū
 & Persarum reges operam nauarūt, Israelitici uero reges impij hanc sub propheta-
 tali nomine calabant, quemadmodū adparet in prophetis Baal tempore Achab
 regis impij. Huiusmodi artibus prodigijs plurimū pollebit Antichristus, ac sui
 prophetae, quibus regnum suum stabiliet.

Habentem cornua duo similia agni.] Hoc referendū putant ad duos illos
 huius artis olim notissimos, de quibus 2. Tim. 2. cap. Sicut Iannes & Mambres
 resisterunt Mosi &c. Porro similia agni dixit, quod religione quadam, & signis
 mendacibus, quemadmodum Christus Matth. 24. & Paulus 2. Theff. monent,
 fidem sibi in hominum cordibus conciliaturus sit; sicut etiam illi suis præstigijs
 regem unā cum aulicis & uniuerso populo dementabant.

Et potestatem prioris bestiae omnem facit in conspectu eius.] Ad prædictos
 duos magos referunt, qui huiusmodi signa & portenta coram rege (qui hic pro-
 pter bellicam uim ac potentiam dicitur prior bestia) edebant, quibus persuasus in
 sententia perstaret, populum dei retinēdo, quamlibet iuberet deus ut dimitteret,
 quod uideret suos magos (quos prophetarum siue sapientum nomine habebat)
 similia prodigia hijs quæ prophetae dei Moses & Aharon faciebant, ædere. Euan-
 gelium in modum & Antichristus.

Et facit terram & inhabitantes in ea adorare bestiam.] Vi magica coniu-
 cta gladijs, effectum est, ut homines dementati regem pro deo adorarent, & sen-
 tentiæ illius astipularentur ne populum dimitteret. Sic quoq; futurum est de be-
 stia, cuius curata est plaga.

Et facit signa magna ut etiam ignem faceret.] Vi scilicet magica, quemad-
 modum

modum in libro Hiob adparet, & 2. Theff. Cuius, inquit, aduentus secundū operationem sathanæ, in omni uirtute & signis mendacibus &c.

Et seducit habitantes in terra propter signa.] Horum præcipue duo indicat Iohannes, Alterū, quod ignem de cœlo, ut diximus, faciat descendere in conspectu hominum, Alterum uero quod spiritum imagini bestię ut loquatur tradat, De priori quidem in historia Hiob legitur, quod sathan fecerit ignem de cœlo descendere, quo consumeret oues & pueros illius. De posteriori uero satis adparet, serpentem diaboli fuisse imaginem, in quo primis parentibus fuit loquutus ad perniciem. Porrò si de imagine manufacta ex quacūq; materia intelligas, cui loquendi facultatem det, satis adparet id ante exaltatum Christum, nimirum gentes petiisse responsa apud delubra Iouis atq; Appollinis. Verum hinc adparet sathanica impijssimi hominis impostura, quod neq; Christus, neq; propheta, neq; apostoli, huiusmodi signa frivola, & ad solam ostentationem, ex quibus ad pios nulla redeat utilitas, ædiderunt, sed quæ pro gloria dei ac hominum salute factura erant. Qualia propheta de Christo prædicant, præsertim Esa. capit. 35. & 61. Ad quæ Christus discipulos Iohannis ac pharisæos remittit, sicut adparet Matth. 11. capit. & Iohan. 5. & 10. Ad ostentationem uero nullum dignatus est facere signum: Primum quando id diabolus posceret in deserto: deinde ubi pharisæi signum de cœlo petunt: tandem neque coram Herode. Ex quo adparet, inexcusabiles esse eos, qui signis huiusmodi mendacibus fidem habent. Si quis uero nobis obijciat factum Helix, qui ignem fecit de cœlo descendere, is consideret haud temere & absq; utilitate hoc factum, quemadmodum ex textu ibidem adparet.

Et faciet ut quicumq; non adorauerint imaginem bestię, occidantur.] Vel hoc uno maxime se prodit Antichristum esse, quicumq; gladio ad fidem alios cogit. Nam ut Christi, ita & Christianorum est, proprium, non alienum, pro dei ueritate sanguinem fundere.

Et facit omnes pusillos & magnos &c. accipere characterem.] Christus scribit legem suam in intimo suorum, ut omnes à minimo usq; ad maximum illum cognoscant, Hiere. 31. Item signat eos arrabone spiritus intra corda ipsorum, in quo clamant Abba pater, Eph. 1. Rom. 8. Item dilectione et beneficentiæ erga proximum illos insignit, qua una uel maxime cunctis innotescit quod ueri illius sint discipuli, Iohan. 13. Præterea tanta præditos constantia facit, ut intrepide cum ore tum uitæ habitu coram perdito mundo se confiteantur, atq; ut abnegatis animis, crucem post Christum ferant, non erubescentes Euangelium, adeoq; nomen Christi crucifixi, Iudæis quidem scandalum, gentibus uero stultitiam, uirtutem crucis agnoscetes, in qua una gloriantur. Hoc inter tormēta ubi thura Ioui incendere recusarent respondisse illos historijs proditum est, Christianus sum, dijs tuis non sacrifico: & id genus similia. Hjs characteribus, hjs notis suos electos insignit Christus. Hunc igitur Antichristus, Christi simia, homo peccati, filius perditionis, externa quadam specie imitari studens, cum non queat ueris ac rebus ipsis agere, omnia fecte agit. Facit igitur omnes quos suo regno adscribit, accipere characterem in manu sua dextera, & in frontibus suis &c.

Aut nomen bestię, aut numerus nominis eius.] Nomen in quod baptizati fideles renascunt filij dei, est pater, filius & spiritus sanctus. Sic pestilēs ille homo diuinū sibi usurpat nomē, quo et suos nominari uult, & illi sic ab eo appellari gloria sibi ducūt. Hunc pro deo suo colūt dicentes: Quis sicut ille deus noster? quis

poterit pugnare cum illo, hoc est, quis poterit nocere nos illo tutante? Item, Quis restitit illi & pacem habuit? Id qd scriptura de uno ac uero deo prædicat Hiob 9. & Psal. 76. ac Paulus Rom. 8. Si deus pro nobis, quis contra nos? sub audientia dum, poterit præualere.

Hic est sapientia. Qui habet intellectum computet numerum bestia. Numerus enim hominis est. De nomine Antichristi uaria philosophati sunt patres, inter quos primus quæ ego sciam, Irenæus Lugdunensis præsul, aduersus omnes hæreses libro, pulchre taxat eos qui anxie nomen Antichristi inuestigant, & secundum inanem gloriam nomina statuunt, neq; id impune illos facere: sicut pleriq; ait, ponunt μάχτα, alij Benedictos, alij λάμπεις, alij τέταρ, alij ἀρνόμε, alij alia tam appellatiua quã propria, & pleraq; à contrarijs assumpta, ut ἀμνὸς ἀδίκος, nec non κατ' ἀντίφρασιν ut ἀληθὴς κλάβερος. Hos ait pœnam daturus. Apud Bedam in hunc librum similitima quædam uisuntur, qui Primasium quendam adducit, in hoc nomine ἀντίμωφ philosophantem, quod hunc numerum suis literis reddit, & sonat, honori contrarium. Sic ex Latinis quidam hoc nomē compositum Diclux sinxerunt, quod suis literis hunc numerum referat, nimirum 666. quemadmodum adparet scienti rationē numerādī cum iuxta Græcas tum Latinas literas. Sed unde oro certum efficietur, habiturū Antichristum tale aliquod nomē, cuius literæ talem numerum reddant? Deinde, esto certum fuerit illum huiusmodi nomen habiturum, quid hoc ad rem præsentem, qua de agitur, faciet? Nō enim de numero hic quæritur, qui certus est, uel ipso Iohanne indicante: sed qua ratione ille numerus 666. ipsi Antichristo conueniat quæritur. Nam in hoc indagando, sapientiam esse testatur. Idcirco recte Irenæus huiusmodi philosophicas rationes, de numero nominis, reiicere uidetur. Sed neq; Bedæ placent quæ de ratione nominis adferuntur, igitur ipse aliã de perfectione numeri senarij adducit. Propterea quidam tempore posteriores sic tradunt, Duplex hic nomen, & iuxta hoc duplicem numerum Antichristi attendere oportere, nimirum nomen quod ipse sibi usurpat, & nomen quod ei iuxta sui conditionem & qualitatem conuenit. Verbi gratia, Aliquis pontificū assumit sibi Innocentiū nomē, cum interim sit nocentissimus parricida: alius Clementis, cum interim sit omni belua crudelior: alius Bonifacij, cum reuera sit uel cacodemone perniciosior: atq; eum in modū de alijs, ut interim obmittā Alexandros, Iulios, Leones, qui suæ tyrannidis quam pectore uersabant congrua sibi sumpserūt nomina. Quamlibet in speciem & titulum tenus alia quædã præ se tulerūt noīa, nimirū eximie humilitatis Seruus seruorū: amoris ac beneficentiæ, Papa, hoc est pater patriæ: curæ ac sollicitudinis, pastor, episcopus, atq; id genus alia. Eum in modū & de duplici noīs numero. Porrò nomen qd ipse sibi usurpat, est, Deus siue Christus: ut est uidere apud Dan. 11. Matt. 24. & Iohan. 5. Ego ueni in noīe patris mei, nec recipitis me. Si alius uenerit in noīe suo, illū recipietis. Item 2. Tess. cap. 2. Nomen uero, qd illi iuxta sui conditionē ac qualitatem conuenit, homo est, & iuxta Psal. 39. Vniuersa uanitas: uel ut Salomon, Vanitas uanitatum. Hactenus de nomine, nunc de numero nominis, de quo sic tradunt, Dei numerum septenarium esse aiunt, qui quidem numerus consumationis uniuersi est, adeoq; sabbati æterni, Gen. 2. Numerus uero hominis senarius & prope modum diuinus est, puta solo monade à numero dei distans, quemadmodum & iuxta rationis imaginem proxime ad esse dei accedit, iuxta Gen. 1. & Psal. 8. Huc & ordo creationis alludit, nimirum quod sexto die post omnem creaturam, nempe ceu finis ac dominus rerum creaturarum, factus sit homo. Qui si præteritis creaturis omnibus, soli deo creatori adherendo, suum numerū (monade adiecto) transcendens,

transcendens, diuinitatis confors euasisset: quando uero diuersa uia pergendo, nimirum supra deum amando creaturas, à suæ perfectionis numero ad creaturarum numerum relabitur, atq; hunc in modum uniuersæ creaturæ uanitatem in semetipso recapitulans, similis, imò inferior factus est bestijs, ut in Psal. &c. Quando ergo ait, Numerus hominis est, perinde est atq; dicat, Deum quidem se prædicat, sed opere atq; totius uitæ habitu, omnium uanissimū ac perditissimum hominem se comprobatur: senarium enim numerum, hoc est hominis uanitatem, decies, imò etiam centies in se repetitam æquat, tantum abest, ut ad numerū perfectum dei, id quod fingit, accedat. Id qd apostolus Paulus apertis uerbis significasse mihi uidetur in 2. Thess. cap. 2. ubi Antichristū, hominem peccati ac filium perditionis uocat, hoc est qui totus peccatū, totus perditus sit, ac multis causa eū peccati tum perditionis. Igitur per senariū numerū, decies ac subinde centies in se repetitū, satis indicare uidetur Iohannes, Antichristū esse omnium hominū, qui usquam ab orbe condito fuerunt, sceleratissimū, atq; unū in se recapitulare totius peruersitatis maliciam, simulq; crassam istorum temporū stultitiā, quando adeò à sensu Christi abalienati sint homines, ut tam apertū nebulonem, auro diuitem, fastu arrogantē, delicijs plusquam Sardanapalicis pœnitus immersum, minarum ac cædis aduersus innoxios spirantem, & ut uno uerbo absoluam, quicquid omnino sathanæ est, molientem, pro deo colere haud uereant. Numerū igitur nominis eius habere censetur, quicūq; illum deum suum confitetur, & colit, mores uitæ tamq; illius legibus attemperans, is tanquam amicus & fidelis regni eius habetur, ac publicis functionibus idoneus: id quod per uendere et emere significatur. Hactenus aliorū sententiā sub compendio retulimus, quæ nobis, quoad multa, magis quam uel ueteres uel posteriores quidā attulerunt, probabilis uisa est, pius lector iudicet. Nunc ad nostra tempora, & eorundem mores referamus.

ET VIDI de mari bestiam ascendentē.] Sathan hostis ille antiquus & Christi aduersarius, in Gen. sub typo serpentis propter astum, qd blandiendo uenenum fundat letale, subinde uero in Psal. 74. 140. & in Esa. cū ipse tum impij tyranni hostes populi dei ab ipso agitati, draconis uocabulo notant. Item apud Hiob 40. & 41. atq; Esaiā 27. cap. Leuiathan & Behemoth. Apud Dan. cap. 7. quarta bestia ceteris terribilior, ascendens de mari, quam paulò post de terra cōsurgere dicit. Ita & in hoc cap. sub typo bestie marinæ, ac deinde terrestris, præcipui inter mortales regni Christi hostes describunt, nimirum Gentilitas siue superstitio Romanorum Cæsaris, cui Antichristus in Mahumere & synagoga Iudæorū, cui Antichristus in Romano pontifice succedit. Quod uero sub typo marinæ & terrestris bestie describitur, significat Antichristum terra mariq; potentem, regnum suum cum in continentē tum in maris quoq; insulas prorogaturū, ac longe lateq; dominaturū. Vult enim per omnia æqualis haberi Christo, de quo dicitur in Psalmo, Dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Porro, bestia recte dicitur propter bestialem cum uitam tum feros mores.

Ascendentem.] Per hoc significatur Antichristum ex humili admodum sorte in sublimem euasurum potestatem.

Habentem capita septem & cornua decem.] De quibus abunde cap. præcedenti, ubi idem dicitur de dracone.

Et super capita eius nomina blasphemiarum.] Hoc est tituli diuinū honorem præ se ferētes, quemadmodū Nebuchadnezar, apud Dan. cap. 3. Alexander Macedo, Domitianus, ac alij quidā Ro. Cæsares, Cosd. Persarū rex, & plurimi alij tyranni fecisse leguntur; qui semper Augusti, summi, optimi, maximi, & id genus similia,

de se dici & prædicari uoluerunt, statuas ex auro & argento sibi decerni, & sacrificia exhiberi curarunt. Porrò de Mahumete hoc manifestum est, quod se ultra Christum extulerit, Alcoranum suum Christi Euangelio præferendo. Ecquis Romani pontificis blasphemus titulos numeret? nimirum sanctissimus ac beatissimus pater, summus pontifex, dominus orbis, uniuersalis episcopus, caput ecclesiæ, summus omnium iudex, clauiger cœli, & id genus similia.

Et bestia quam uidi similis erat pardo.] Videtur in una illa bestia uniuersam omnino significare malitiã, quam Daniel in omnibus quatuor, monarchiam orbis sibi uendicantibus, descripsit. Nam Pardus in persequendo pernicitatem incomparabilem præfert, Ursus sauciã implacabilem, Leo robur ineluctabile. Illa uero omnia simul hæc una bestia in se complectitur, quæ similis pardo scribitur, pedes ursi, os leonis præfert, quemadmodum & quarta bestia in Daniele uaria & cæteris magis terribilis ostenditur, per quam Romanum imperium significatur, cæteris omnibus formidabilis.

Et dedit ei draco uirtutem suam & potestatem magnam.] Hoc & Paulus testatur 2. Theff. cap. 2. Cuius, inquit, aduentus est secundum operationem sathanæ in omni uirtute &c. Hic uides unde, qualis, & ad quid potestas illa sit, quam iactitat & exercet utraq; bestia, uidelicet Mahumet & Romanus pontifex, & quam adulescentes illorum prædicant omnium multo maximam.

Et uidi unum de capitibus eius quasi occisum in mortem.] Monarchiam Romani imperij scindendam significat. Id quod factum sub Eraclio per Mahumetem historia tradunt, ac deinde per Romanum pontificem, qui defectionem à Romano Cæsare, mediantibus Gallorum regibus, procurauit. Quo facto adeò inclinauit Romanum imperium, ut hodie uix nomen ac tenuis quedam umbella eius reliqua sit. Quanquam uerius intelligi potest de plaga, quando per mortem Christi contritum serpentis caput, euulgato per orbem Euangelio, conspirantibus in Christum Cæsaribus, & eiectis e cordibus hominum adeoq; e templis dæmoniorum cultu. Tum enim plagam mortis accepisse bestiam dubium nõ est, sed curata est eius plaga per hæreticos, Mahumetum ac pontificem Romanum. Per quos dæmonum cultus, adeoq; omnis impietas sub specie religionis, magis quam unquam antea obtinuit in orbe uniuerso.

Et plaga mortis eius curata est.] Hoc est monarchia impietatis, per Mahumeti ac Romani pontificis successionem, fere redintegrata est.

Et admirata est uniuersa terra post bestiam.] Nam hodie duas terræ partes possidet Mahumet, Asiam scilicet & Africam, ac bonam Europæ partem, & continue meditatur in uniuersum curare plagam illam, hoc est, redintegrare monarchiam, & quemadmodum Lactantius lib. 7. diuinarum institut. cap. 15. putat ad uotum illi succedet. Itidem & Romanus pontifex continue meditatur, quod & titulo tenus iactat, nimirum se dominum esse orbis.

Et adorauerunt draconem.] Nam à Christi Euangelio ad legem Mahumeti deficientes, draconem in illo adorant, cuius subinde uoluntatem faciunt. Quid enim aliud est à Christo secedere, quam sathanæ regno sese addicere? iuxta illud Psal. Omnes dii gentium dæmonia; & illud Apostoli 1. Cor. 10. Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant. Eundem quoq; in modum & qui papisticis legibus & ceremonijs addicti sunt, ac spem salutis in eis collocant: de quo plura in sequentibus.

Et adorauerunt bestiam dicentes, Quis similis bestia? Adorant bestiam, religionem & cultum iuxta illius præscriptum amplexando, deinde potentiam eius annumerando ac prædicando. Id quod æque in Mahumete atq; Romano pontifice

pontifice uidemus, quorum cum religionis speciem tum potentiam incomparabilem orbis & prædicat & pronus adorat. Quibus uerbis Iohannes orbis stupiditatem simul insinuat, qui sibi propter bestię successum imponi sinat. Nam quę admodum pię Christi potentiam præ uniuersis admirantur & prædicant dicentes, מִיבֵּאל, id est, Quis sicut deus? ita isti contra מִיבֵּבְחַמֵּית, id est, quis sicut bestia? uel quis similis bestię?

Et datum est ei os loquens magna & blasphem.] Nam utraq; bestia se suamq; legem Christo seruatori & eius Euangelio præfert, illamq; seruantibus summam felicitatem pollicetur. Et quemadmodum est apud Danielem cap. 11. et Paulum 2. Tess. cap. 2. Extollitur super omne quod dicitur aut colitur deus &c.

Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos.] Quadraginta duo menses dimidiatam reddunt Hebdomadam, qua toties in scriptura ad piorum consolationem significatur breuiandum fore tempus Antichristianę persecutionis: quod quidem incipit post plenam & apertam à fide Christi defectionem, & reuelato Antichristo in pectoribus hominum, per Euangelij illustrationem incipientium iam nõ nihil ab impura illius religione resiliere, tum aperto quidem ore occipiet Christum & illius Euangelium blasphemijs incessere, & aperto Marte in eius confessores desauire.

Et aperuit os suum in blasphemias.] Negat enim Mahumet, post Nestorianam hæresim, Christi diuinitatē, nudum hominem, quanquam prophetam, contendēs: quo simul iuxta Iohannem in epistola sua, & patrem negat, adeoq; cum patrem tum filium apertis incessit blasphemijs, summam dei patris in nos renegans bonitatem, nimirum, quod filium suum proprium nostrę salutis causa in mortem nõ tradiderit, imò & Christum mendacem facit, qui hoc tam multis asseruit, Iohan. 3. Sic deus dilexit mundum &c. Item Luc. ult. Oportuit pati Christum &c. Sic & uniuersam scripturam tam ueteris quam noui testamenti, imò & spiritum sanctum in ea loquentem, mendacem facit, quę immensam hanc in nos dei patris bonitatem nusquam non commendat: & ut ē multis pauca commemorem, habes de hoc Esa. cap. 53. Dan. 9. Zach. 13. Paulus Rom. 8. Proprio filio suo &c. Et Philip. 2. Exinanauit semetipsum &c. & similia. Quę cum negat Mahumet, consequenter omnes fidei Christianę articulos negat, qua nulla maior potest excogitari blasphemia.

Vt conuictijs afficeret nomen eius.] Nam consequens est, si homo ille Iesus non est deus uerus, sed tantū nudus homo, quamlibet propheta fuerit, ipsum non esse Iesum, hoc est saluatorem, neq; esse Christum, hoc est regem messiach, summum sacerdotem, qui semetipsum pro peccatis nostris litaret: negat eum esse unicum mediatorum ac seruatorem, cui pater omnem dederit potestatem in cœlo & in terra, quem constituerit iudicem uiuorum ac mortuorum. Id quod est summis conuictijs ac blasphemijs afficere nomen eius, contra ea quę de illo ueracissima prædicat scriptura, Mihi, inquit, curuabitur omne genu. Item qui confidit in illum non confundetur, Et dedit illi nomen quod est super omne nomen &c.

Et tabernaculum eius.] Hoc est cœtum credentiũ Christo. Hij namq; sunt tabernaculum eius, iuxta illud Ezech. 34. Ecce tabernaculũ dei cum hominibus &c. Et templũ dei, iuxta illud Pauli 1. Cor. 3. & 6. cap. Vos estis templũ dei uiuũ.

Et eos qui in cœlo habitant.] Hoc est demortuos sanctos cum Christo in cœlestibus uersantes, quãdo consequitur iuxta blasphemiam Antichristi dogmata sanctos dei prophetas & apostolos, falsa de deo patre & filio eius Iesu Christo sensisse & mũdo credenda tradidisse. Qua quę maior posset in illos dici blasphemia? Sic

etiam conuictis afficiunt, cum eos qui hodie synceram fidem de Christo & uero dei cultu, iuxta scripturam docent, tum eos qui hanc sequuntur doctrinam.

Et datum est illi bellum facere cum sanctis.] Quoties namque superioribus sæculis & tandem nostra ferè ætate aduersus ecclesiam dei fœliciter pugnauerit Turca, legentibus historias manifestum fiet: ut ut interim dissimulemus uictorias illius quas nostra uiderunt sæcula, quibus totam Traciam, & ipsam Constantino-
polim Romanorum Caesarum regiã, suo subiecit imperio, Item Metonen: inde Rhodum insulam: postremo & Vngariæ regnum rege ipsius interempto.

Et data est illi potestas in omnem tribum &c. & adorabunt.] Synecdoche est, uel ad potiores terræ partes, uel omnino ad eos qui terram sapiunt, referenda, quemadmodum sequens declarat particula.

Quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ agni.] Nimirum ij qui iuxta Apostolum dilexerunt magis mendaciũ quàm ueritatem. Nam qui eiusmodi sunt, ipsam bestiam demirantur dicentes, ceu supra diximus, Quis similis bestia? subaudiendũ fortis & potens in prælio: & quis poterit pugnare cum bestia? Contra uero p̃ij dicunt, Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Hæc omnia in Mahumetana successione impleri, apertissime uidemus, si speciosam externarum ceremoniarum religionem, quæ apud eos uiget, attenderit: item regni gubernacula, morũ disciplinam, potentiam inuictam, diurnos rerum successus & latissimos per crebras uictorias imperij auctus, perpenderit. Externa quidem specie religionis nostros monachos, quamlibet reformatos, etiam uulgos illorum superat. Quinquies enim quotidie, non solum clerici ac monachi illorum, sed etiam uulgos in commune precantur, nimirum in ortu solis, in meridie, circa uesperam, in occasu solis, & cœna facta ante ingressum lecti. Oraturi lauantur, pedes nudant, humi desident, etiam proceres simul cum rege uulgo admixti, certis inclinationibus atque prostrationibus statas preces absoluunt. Absque legitimo impedimento nemini licet impune statas negligere preces. Statas ferias, statasque ieiunia, magna sanctimonia & obseruatione celebrant. Adhortationes ad uitæ sanctimoniam erga populum, Eleemosynarũ elargitiones, peregrinationes ad diuorum memorias, præcipue Mahumeti eorũ prophetæ, crebras faciunt. Hospitales tam in itineribus quàm in urbibus, pro peregrinis ac pauperibus recipientibus & alendis habent frequentia. Monachos habent inauditæ frugalitatis & abstinentiæ, in uictu, uestitu, rerum omnium abdicatione ac hominum secessu, ita ut quod ad uitæ austeritatẽ attinet, Iohannem Baptistam, uel ipsos apostolos referre uideantur, si modo non uincant: & ut uno uerbo dicã, angelos non homines crederes. Quidam illorũ uisiones, raptus, & extases patiuntur. Quidam cum in uitam in morte miraculis clari sunt. Est præterea mira apud eos morum honestas, amant simplicitatem in uictu, in uestitu, in ædificijs, in equitatu, adeoque in ipso bellico apparatu. Cibum capturi, omnes cum principes tum rex ipse, humi desident, uino & suillis carnibus perpetuo abstinent. Omnem luxum & curiositatem, tam in uestibus quàm in ædificijs execrantur. In tentorijs & tabernaculis, quæ loco mouentur, plerumque habitant. Magna apud eos in fœderibus, in contractibus, adeoque in omni promisso fides. Inde fit, ut nullis omnino in consignandis literis utantur sigillis, etiã in regalibus. Incredibilis erga regem suum amor et obedientia, quando ad unius regis imperium, omnes regni proceres obtemperant, unius regis iussu cuncta in tot amplissimis regnis administrantur. Tam læti, tamque alacres, hii qui delecti fuerint ad bellum, pro tutanda religione, accurrunt, ut ad nuptias festinare crederes. Qui uero neglecti fuerint in eo delectu, inique secum agitant,

putant. Per omnia se felices credunt, ubi pro religione, pro patria cum defensione tum amplianda, inter hastas & sagittas animam exhalarint; neque necessarios luctu celebrantur, sed inter sanctos uictores numerantur et hymnis deprædicantur, qui eum in modum occubuerint. Demum ingens fœminarum pudor & honestas, nusquam in cœtu uirorum aut in foro comparent fœminæ. Colloqui uirum cum muliere in publico, adeo rarum, ut miraculum prorsus fuerit, si quando id forte uidere contingat; neque uendunt quicquam aut emunt fœminæ; nusquam in conspectu uirorum, siue in domo propria siue extra, discooperta facie comparent; honestissimo & simplicissimo utuntur uestitu. In ecclesia locum separatam habent à uiris. Hæc atque multo plura, Septemcastrensium ille, qui annos circiter uigintiocto, abductus, duram apud eos egit seruitutem, in libello de Ritu & moribus Turcarum, de eis scribit, Quis igitur huiusmodi mores & institutum non demiretur? quis non probet? quis ausit hæc uel à nostris monachis exigere, quamlibet reformationem iactantibus? Hinc facile possunt hijs, qui honesta mente præditi sunt, imponere, ut putent deum adesse illis, ac impense fauere, imperiumque illorum prouehere. Adde tam crebras cum aduersus Christianos tum aduersus alias circumuicinas gentes uictorias, reque successus, ac diuturnitatem imperij. Quibus omnibus fit, ut gens sancta & deo chara uideri possit, adeoque uniuersos ad huiusmodi cultum, moresque allicere. Quamobrem dixit Iohannes, admiratam esse uniuersam terram post bestiam, & adorasse draconem. Id quod factum est, ubi bestiam adorarunt.

In libro uitæ agni.] In quo electi & prædestinati ante factam mundi fundamenta, & Christo à patre donati, scripti continentur, iuxta illud Luc. 10. In hoc gaudete, quod nomina uestra scripta sunt in cœlo.

Qui occisus est, ab origine mundi.] Sunt qui putent particulam Ab origine mundi, coniungendam particulæ Qui occisus est. Vt sit sensus, Agnum esse occisum ab origine mundi. Quod si recipitur, significat Iohannes, non electorum, sed agni merito, qui destinatione ac beneplacito patris iam à mundo cõdito in sacrificijs piorum uelut in typo occisus sit, adeoque extunc illorum nomina cœlo esse insinuata atque conscripta: neque potuisse ulla ui sathanæ, aut quacumque Antichristi siue impostura siue sæuitia excidere. Vnde & Christus ait, Antequam Abraham fieret, ego sum. Et in epist. ad Heb. Christus heri & hodie & in sæcula. Atque de suis ouibus, Non rapiet, inquit, eas quisquam de manu mea. Alij putant particulam Ab origine mundi, coniungendam cum particula Scripta sunt. In quem sensum loquitur de hoc Christus Matth. 20. & 26. & de paratis in domo paterna mansionibus Iohan. 14. Et Paulus ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi &c.

Si quis habet aurem audiendi audiat.] Mysterium subesse indicat, idcirco animi auditoris ad indagandam mysterij sublimitatem excitat spiritus sanctus, quoties hæc particula in scripturis ponitur; quemadmodum & saluator in Euangelio solet.

Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitate uadet.] Ad consolationem piorum dicitur, quo sciant se captiuitate liberandos, atque contra suos captiuatores in captiuitatem ducendos, iuxta illud Psal. Captiuam duxit captiuitatem. Et sicut fecerunt alijs, ita reddet illis dominus, Iud. 1. cap. Stulti ergo sunt, nec mysterium spiritus assequuntur hijs qui Turcarum successus ac uictorias illorum religioni adeoque iustitiæ & non proprijs suis peccatis deputant, æque ut hijs qui idolorum cultui omnem gentium felicitatem, & contra suam miseriam neglectæ idolorum religioni tribuebant, ut est apud Hiere. 44. cap.

Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.] Similis cum priori particula intelligentiæ est. Videntur autem mihi hoc loco maxime ad patientiam mo-

neri p̄ij, ne suis uiribus aut suis armis putent Antichristum debellari posse. Siquidem hæc uictoria soli agno Christo debetur. Ille unus de tanto triumphabit hoste, atq; id tum maxime, cum omnia in tuto posita existimat, ita ut ne hiscere quidem audeant p̄ij aduersus illum, sed solis ieiunijs, lachrymis, & precationibus apud dominũ instent, ut ille opem ferat, & hostem conterat. Quamdiu enim in brachio carnis fidimus, indigni sumus diuina ope. Id quod est uidere in ueteri illo populo dei, quoties in suis uiribus, non in domino fidutiam collocabant.

Hic est patientia & fides sanctorum.] Fide, inquit, & patientia opus fuerit in hoc certaminis genere. Siquidem hac una paratur uictoria, iuxta illud, In patientia uestra possidebitis animas uestras. Et illud uictorũ genus optimum. Atq; illud Fortunati:

Nunc animis opus, nunc pectore firmo.

Et uidi aliam bestiam ascendentẽ de terra.] Hanc bestiam Beda præpositus ecclesiæ intelligit: aliam autem officio, alioqui unam cum priori censet, neq; obstare quod prior de mari, posterior de terra ascendere dicantur, quando apud Danielem eadem bestia quæ ascendunt de mari, postea describuntur esse regna quæ consurgunt de terra. Videtur igitur prior bestia marina, Romani imperij monarchia, sub Cæsaribus impijs ac idololatrijs, quæ maxima sui parte ditioni Mahumeticæ accessit. Posterior uero terrestris, pontificis Romani imperiũ. Qui duo uniuersi Romani imperij monarchiam sibi uendicant: siquidem uterq; se dominum orbis iactat.

Et habebat cornua duo similia agni.] Agni cornua præfert, quo draconis uenena latenter inserat. Vnde & Christus admonet cauendos esse eos, qui ueniunt in uestimentis ouium. Cui uero hæc rectius quàm Papæ tribueris? Siquidem ingentem præ se fert cum innocentiam tum uitæ integritatem. Sed quando in cornibus regni potestas designatur, per duo cornua similia agni, utramq; & pontificiam & regiam potestatem, quam sibi Papa usurpat, puto intelligendam. Similia uero agni dicit, Siquidem Christi se iactat uicarium, cum omnia suo proprio & statuat & agat arbitrio. Euangelium Christi prætexit, sed proprijs illud aptat commodis. Aqua in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizat, sed suo operi uim tribuit renouandi, quæ proprie spiritus Christi opus est. Præterea dominium sibi in eos uendicat quos in nomine Christi baptizat. Ita pane in cœna reficit, sed uirtutem consecrationi & operi sacerdotali acceptam refert. Ita & remissionem peccatorum suæ absolutioni, in qua sitam gloriatur clauium potestatem. Habet igitur cornua agni similia, sed loquitur sicut draco, nimirum gloriæ dei detrahens et Christum e medio protrudens, ut sequitur.

Et loquebatur sicut draco.] Apud Danielem in cornu paruulo, legitur, os loquens grandia. Item sermones, inquit, ex parte altissimi loquef, cap. 7. Et eiusdem cap. 11. Contra deum deorum loquitur mirabilia. An non est uox illa draconis, qua Papa gloriatur? Eandem se habere cum Christo potestatem, Se esse fundamentum, Caput, Sponsum ecclesiæ, Vnum habere ius interpretandi scripturas & quæstiones fidei decernendi, Dominum orbis, penes quem omnia iura regnorum, Omnium ecclesiarum summum sacerdotem & administratorem, Potestatem habere omnes mortales iudicandi, & à nemine posse iudicari, Omnia iura habere in pectore, eaq; ex plenitudine suæ potestatis posse uel tollere, uel immutare, ac noua condere, animas potestate clauium ex inferno ad purgatorium, inde ad cœlum

ad coelum leuare. In summa, ex uirtute peccatū facere, ac rursus ex peccato uirtutem. Id quod clarū fiet, si perpendas quod Papa communionem sub utraq; specie, quam Christus instituit, apostoli, ac primitiua sanctorum patrum ecclesia ad aliquot annorū centenarios sancte obseruauit, hæresim facit; atq; talem hæresim, ut pro illa extirpanda totum Romanum imperium armarit Eugenius quartus eius nominis pontifex Rom. tempore Sigismundi imperatoris, quando cruciatam quam uocant, aduersus regnū Bohemiæ ob eam rem instituit. Præterea clericorum coniugium grande peccatum facit, & capitali dignum supplicio. Siquidem hac nostra tempestate, multi clerici ob contractum coniugium aut laqueo præfocati, aut alioqui crudeliter necati sunt illius instituto. Iam alumen præterquam à se emere, tale crimen facit, quod etiam plenarijs, quas uocant, indulgentijs dilui nequeat, ita ut etiam sceleratissimus quisq; parricida facilius ueniā consequi possit. Contra uero mœchari ac scortari, ut interim foediora præteream, tantum abest pro flagitio habeat, ut etiam honore ac præmio haud uulgaribus, qui eiusmodi sunt, condecoret. Ecquis tandem numeret uoces istas blasphemias & sathanicas, quas ex Papa ac suis adulatoribus indies audimus?

Et omnem potestatem prioris bestię faciebat in conspectu eius.] Nimirum regiam, hoc est bellicam, luxum, fastum ac sauciā cum Romanorū Caesarum tum Turcarū æquat Romanus pontifex. Atq; id in conspectu prioris bestię, hoc est, eius qui legitimus Romani imperij successor est, quem necesse est ad Romani pontificis pedes procumbere, illos deosculari & adorare: ad cuius nutum deligitur: quem ubi uult imperio priuat ac regno eicit, quemadmodum Gregorius sextus Heinrichum quartum, Rom. imperatorem regno eiecit, ut nihil sit hodie Rom. imperator quàm Papæ feudatarius, à quo inanem titulum habet, & præterea nihil: in cuius cōspectu pontifex Iulij Caesaris triumphos agit, & sese dominum orbis iactat, & utriusq; gladij ad se Christo committente, pertinere potestatem. Ad contemptū igitur referendū uidetur quod ait, In conspectu eius. Quasi dicat, Quæcunq; ad ordinariam regum mundi pertinent potestatem, iste tyrannus in eorum conspectu, ad ipsorum contemptum exequitur, sicut est dies hodierna. Id qd Iudas in epistola sua prædixit, Dominos, inquit, spernunt, in potestate præditos maledicta congerunt &c. Id quod hunc in modum contigisse adparet, nimirum quod cum pij olim Caesares Romano pontifici propter Christum seruatorem, hunc supremi ordinis inter mortales cessissent honorem, illum postea iure præscriptionis mali pontifices sibi uendicarunt. Et quanquam apud ueterem dei populum, propheta in magna ueneratione habiti sunt apud reges, atq; illos uerbum domini adferentes audierunt, non tamen regiam potestatem illi sibi uendicarunt. Ita & hodie facere oportebat, neq; hoc ad solam Rom. pontificis personam referendum, sed ad quemlibet quicumq; uerbum domini adfert. Hinc Theodosius imperator Ambrosio Mediolanensē, non Romano episcopo, uerbum domini adferenti, obtemperabat.

Et facit terram, & inhabitantes in ea adorare bestiam primam.] Hoc est ueterem gentilitatis sub impijs Caesaribus cultum nobis reducit. Quid enim aliud ueneramur & adoramus in Romano illo idolo, quàm id quod olim idololatra ueritas in impijs regibus, nimirum ingentem armorum uim, ac inuictam, de qua gloriatur, potentiam? Dum igitur se monarchiam orbis facit, dum pronus ab omnibus uult adorari, dum ipsum Rom. imperatorem ac summos orbis principes ad oscula sanctorum pedum inuitat, ad quos tremantes ac uenerabundi procumbunt, dum se in adito humeris procerum, ingenti selectiorum turba, ad utrumq;

latus hinc inde stipatus, gestari facit, dum omnibus leges praescribit, dum omnibus ius dicit, dum reges instituit, & rursus ubi uult regno eicit, dum illos perpetuo ad mutuas cedas committit, dum decimas decimarum ab illorum regnis exigit, quid aliud censendum, quam in eo bestiam priorem, hoc est Romani imperij monarchiam reuixisse, & in illo adorari? Et, quemadmodum supra memorauimus, pontifex Romanus defectionem occidentis a legitimo Caesare, mediantibus Gallorum regibus, procurando effecit, ut inferior esset Romanus imperator, quam ut Mahumeticae factioni posset resistere: quo uel ipso fecit orbem ipsam primam bestiam adorare.

Et fecit signa magna ita ut etiam ignem de caelo faceret descendi.] Ego hoc loco significari puto, dum accensis caereis in quempiam magnum principem fulminant. Ibi uideres igne omnia oppleta, et horrorem illum fulgurum, ac speciem quandam ignearum pluiiarum, coelitus, quemadmodum olim in Sodomos, demissarum, praese ferre.

In conspectu hominum.] Hoc est palam & coacto populo, quo huiusmodi spectro terrorem alijs incutiat, dum creduli persuasum habent, coelesti igni eos discrucari in quos eiusmodi fit fulminatio. Tali spectaculo dudum Martinus Luther & illi adhaerentes, uisi sunt perire incendio, dum ipsi interim Vuitenbergae uel scriberent uel quid aliud agerent. Porro miraculum ignis quasi ceteris horribilius adduxit, forte ad Sodomorum interitum, siue ad miraculum ignis, qui iussu Heltae coelitus descendens, quinquagenarios uorauit. Velsi mauius ad miraculum ignis, in cuius specie Christus spiritum sanctum misit discipulis, quem & Antichristus Romanus suis unctis pollicetur.

Et seducit habitantes in terra propter signa quae data sunt illi facere.] Sic Christus Matth. 24. & Paulus 2. Theff. 2. praemonent, ne permittamus nobis propter signa illa mendacia imponi. Quis uero ignorat innumera haecenus per monachos & quaestionarios, quos uocant, ementita & pro suggestu detonata miracula, quae ad eorum tumulos quos Papa in diuos retulit, contigisse affirmant? Praeterea ad diuorum statuas, ac demortuorum ossium attactus. Item ementitas fratrum deuotorum ac Beguinarum reuelationes. Neque uero id alicui mirum uideri debet, si malorum daemorum opera miracula fiant, ad imponendum incautis, & ut probentur electi, quando legimus Magos Pharaonis similia fecisse hijs quae Moses & Aharon fecerunt. Item ea quae in Deut. 17. & 18. cap. scribuntur. Iam & quae Beato Hiob per sathanam contigerunt cap. 1.

In conspectu bestiae.] Hoc est approbante Antichristo Romano, huiusmodi miracula, tanquam diuinitus facta, siue ad intercessionem demortuorum, siue ad preces monachorum & nonnarum, dissimulatis huiuscemodi imposturas principibus ac reipublicae rectoribus, quorum erat illas prohibere, ne simplices plebeculae a Christi patrocinio ad daemorum confugerent subsidia. Nam quid quae aliud sunt huiusmodi portenta, quam sathanae operatio et impostura? iuxta Paulum 2. Theff. 2.

Dicens habitantibus in terra ut faciant imaginem bestiae.] Videtur mihi hijs uerbis traducere Romani Antichristi arrogantiam, quod eo impietatis promouerit, ut summos idololatrias, cum ueteres tum recentes, non modo aequet, sed modis omnibus superet, in quo omnis hypocrisis ac spurcitia diabolicae superstitionis, & ut uno uerbo absoluam, uniuersae impietatis abominatio reuixit, quae ubi Romani Caesares Christo nomen dederunt, prorsus extrinseca uidebatur. Quicquid unquam in toto orbe ab idololatriis regibus ac populis impietatis in idolis ac imaginibus patratum sacra commemorat historia, id omne Romanus Antichristus

stus in se recapitulauit. Quando igitur deus tantopere per uniuersam ueteris ac noui testamenti scripturam, simulachrorū prohibet cultum, quid aliud sunt omnia simulachra in ecclesia, siue ex auro, siue ex argento aut quauis alia materia, tam saluatoris quam diuorum, nisi impietatis adeoq; sathanæ imago? siquidem omnia fermè ad cultum quæstus causa fiunt. Præterea quis non uidet ubiq; locorum Romani pontificis effigiem & depicta insignia, honeste & uenerationis loco à multis haberi? Quid deinde literas apostolicas (apostolicas dicere uolebā) memorem? quas qua decet reuerentiā & recipere & legere oportet. Quoties quæso uidimus bullis apostolicis uniuersum clerum cum magistratu & populo uenire obuios, cum luminibus ac cæreis, cum sanctorum reliquijs, adde & cum uenerabili, ut uocant, sacramento, cum campanarum sonitu, cum organis ac hymno Te deum laudamus, in urbes Germaniæ receptas & intronizatas? quas etiam præ Euangelio in ecclesia prædicare oportuit: ut interim de reliquijs, de uestimentis, de instrumētis passionis cum Christi seruatoris tum diuorū ementitis, & in summa ueneratione habitis, taceamus. Si hoc non est imaginem bestię facere, quid tandem erit? Postremo si propius animum admouerimus, inueniemus Antichristum Romanum ipsissimam Sathanæ præ se ferre imaginem, cuius naturam, ingenium, studia, mores, per omnia exprimit,

Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestię, & ut loquatur.] Plures ex Romanis pōtificibus Necromanticos fuisse, historijs proditū est; inter quos Anastasius fuit unus. Benno Cardinalis in lib. de uita & gestis Hildebrandi, plures scribit dæmonicis artibus pontificatum adeptos: inter quos numerat Siluestrum secundum, Iohanem 18. 19. & 20. eiusdem nominis, Benedictum octauū & Benedictum nonum, & Gregorium septimū, antea Hildebrandum uocitatum, insignem Necromanticum; qui cum uellet manicas suas discutiebat, et in modū scintillarum ignem dissilisse. Item Bonifacium septimū & octauum, ut alijs scriptum reliquerunt, pontificatum malis artibus adeptos. Præterea quibus artibus putas mulierem ad summum pertigisse pontificatum? In summa, ab aliquot iam annorum centenarijs, pauci fuerunt pontifices qui aut ipsi non fuerint Necromantiæ studiosi, aut huic arti deditos non habuerint sibi familiares. Qualia uero huiusmodi pontifices putas effingere potuisse portenta? Ne igitur mireris si hominum obtutus varijs præstigijs queāt præstringere, qui hac arte imbuti sunt. In aperto namq; est, sacra testante historia, quanta magi Pharaonis ædiderint portenta. Verum ut ut hæc habeant, nemo tamen est qui ignoret simulachra & loquuta & fleuisse, & sanguinem dedisse, & iratos siue etiam auersos ostendisse uultus, & locomigrasse, & lac è mammis præbuisse, et quæ tandem non fecisse? Quando hæc ut libuit confingere, et populo tanquā articulos fidei proponere, Papa approbante, licuit. Eoq; tandem uentum est, ut parū pij, imò hæretici haberentur, si qui prudentes & imposturæ gnari eiusmodi falsis miraculis fidem non haberent. Parum aberat quin impostura illa quam fratres Prædicatorij ordinis apud Bernam Heluetiorum excogitarant, nimirum ut imago diuæ uirginis & loqui et flere uideretur, pro uero miraculo fuisset habita, nisi solertis magistratus uigilantia tempestiue interuenisset. Huiuscemodi miraculis plena est historia, quam uocant Lombardicam, & liber Exemplorū, quæ in omnibus ferè contionibus oportuit audire populum. Autor libri, cui titulus est Onus ecclesiæ, cap. 42. uaticinatur de quodam pseudopapa futuro quem uocat Antichristum mixtum, atq; hunc malis artibus pontificatum adepturū in decursu sexti status ecclesiæ, eumq; fore auarissimum; quasi uero iam à multis retro sæculis alia uia quæsitus sit papatus, & quasi

alij quàm auarissimi adeoq; pseudopapæ tenuerint papatū. Porro cap. 43. dicitur de ecclesia peruersa sub Papa falso, quæ ut ait nuncupatur meretrix magna in Apoc. & quod ipsa sit Roma. Item cap. 44. de triplici ecclesiæ ruina, Prima à uita spiritali ad carnalem, quæ sit præsentis temporis. Secunda à dignitate ecclesiastica, iuxta illud, Repulisti scientiam, et ego repellam te. Item, Sal infatuatus ab hominibus conculcabitur, id quod futurum sit sub Antipapa, siue sub Antichristo mixto. Tertia uero à fide Christi ad apertam negationem & persecutionem, quæ futura sit sub uero Antichristo, quem Antichristum magnum appellat. Sic acute cernunt homines isti in futurū, & coram posita non uident, similes Iudæis, qui plurima de Messiach futuro, quem coram positum non agnouerunt: & astrologo, de quo fertur, quod spectaturus sydera cœlestia, in foueam coram positam ceciderit. Quis adeo cæcus est, qui non uideat omnia hæc, quæ ille futura dicit, iam coram in oculis posita?

Et faciet ut quicumq; non adorauerit imaginem bestię occidatur.] Hoc est quod iam iam diximus, quicumq; huiusmodi imposturis fidem non habuerit, aut contradixerit, hæreticus omnium pessimus habetur, ac multis mortibus dignus. Videmus etiam utrumq; Antichristum, & orientalem & occidentalem, suam religionem gladio strenue tueri, & quotquot eorū impietatibus non subscribunt, diriter necare.

Et faciet omnes pusillos & magnos & diuites & pau.] Hic uides maximam huius bestię potentiam, simul & impudentiam: quæ quamlibet magnis, liberis, ac diuitibus, hoc est summis regibus ac potestatibus, æque ac pusillis, hoc est pauperibus, plebeis ac seruis imperat, & iniquis premit legibus. Porro signum uniuersale Omnes, intellige eos qui non sunt scripti in libro uitæ, ut paulo supra dixit Iohan. Characterem autem in dextera manu & in fronte habere, est uerbo & opere cultum impietatis palam profiteri & approbare.

Et ne quis possit emere aut uendere nisi habeat car.] Hic regnant magistri hæreticæ prauitatis. Quis enim ignorat hæreticos, quos ipsi censent, omni opere, omni præsidio, rebusq; omnibus destitui? Lege titulum de hæreticis, & magistris hæreticæ prauitatis, in Sexto & Clementinis. Deinde expende formam iurisdictionis, quod exigit à Cæsare, ab episcopis, à doctoribus, ab ordinandis, item professiones monachorum, & ipsum bestię characterem uidebis.

Hic sapientia est.] Mysterium subesse indicat, ad quod indagandum excitat animum Lectoris.

Numerus enim hominis est.] Characterem, nomen, & numerum nominis bestię, idem esse Beda annotat.

Et numerus eius sexcenti sexaginta sex.] Loci huius tot ferè sunt expositiones, quot sunt expositores, quo adparet obscurissimum & ænigmaticum esse. In causa uidetur, quod simpliciter numerum posuit, nec addidit annos, menses, hebdomadas, dies aut alias quasiliber res, quarū esset numerus. Hinc de numero nominis bestię siue Antichristi, uarie philosophatum est hætenus. Quidam ex ueteribus putauerunt eum nomen quoddam habiturum, quod suis literis numeralibus hunc numerum redditorum sit, iuxta Græcorum numerandi rationem; quos posteriores quidam in hoc imitantur. Quod si uerum esset tale nomen habiturum quo agnosceretur iuxta literas numerales in eo positas, ego potius iuxta Hebræas quam uel Græcas uel Latinas id fieri putarem, & iuxta nomen, non quod ipse sibi assumit, sed quod ipsi secundum rei ueritatem congruit. Hinc recte uetus autor Irenæus aduersus omnes hæreses libro, taxat eos qui anxie no-

men

men Antichristi eum in modum inuestigant. Ipse uero Irenæus, in unâ complectens numerum statuæ quam fecit Nabuchodonosor altitudinis ulnarum 60. & spissitudinis ulnarum sex, deinde numerum annorū mundi ante diluuiū nempe sexcentorū, ac numerum annorū à diluuiō usq; ad Antichristum, quem putauit in sexto millenario futurum, existimauit hunc numerum 666. congruere Antichristo, in recapitulationem uniuersæ apostasiæ, quæ in sex millibus annorū facta est, quod Antichristus uelit ab omnibus adorari. Sic enim ait, si quis uerba illius requirat, Congruenter & nomen eius habebit numerum 666, recapitulans in semetipso omnem quæ fuit ante diluuiū maliciæ commixtionem, quæ facta est angelica apostasia. Noe enim fuit annorum sexcentorū, & diluuiū aduenit terræ, delens resurrectionem terræ, propter nequissimam generationem quæ fuit temporibus Noe. Recapitulans autem & omnium errorem qui fuit à diluuiō, commentatorem idolorum, & prophetarū interfectionem & successionem iustorum. Illa enim quæ fuit à Nabuchodonosor instituta imago, altitudinē quidem habuit cubitorum 60. & latitudinem 6. Hactenus Irenæus. Porrò Beda hūc numerum aliō refert. Senarium, inquit, numerū quo mundus factus est, perfectionem operis significare quis nesciat? Qui siue simplex, siue per decem centū uel multiplicatus, eiusdem perfectionis sexagesimum centesimumq; fructum demonstrat. Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni, per singulos annos sexcentorum sexaginta sex millium talentorū. Quod ergo uero regi iure munus & daretur & soluitur, hoc etiam seductor ille tyrannus exigere præsumet. Sic Beda. Sunt deinde nonnulli, qui ad tempus hunc numerum referunt regni Antichristi & auspiciandi & rursus exauctorandi, quo p̄i regni illius iniitijs resisterent, & durationem illius æquanimius ferrent. Certum est enim tempus in fatis regni illius esse constitutum, quanquam id nobis incognitum, nisi eodem spiritu, quo Iohannes hoc dixit, reueletur. Attamen de hoc solerter cogitandū & inquirendum admonet, Qui habet intellectum, ait, computet numerum bestię &c. Vnde in Daniele cap. 5. dicitur, ad regem, Numerauit deus regnum tuum, hoc est tempus regni tui, Nam completis 70. annis captiuitatis populi dei per Hieremiã prædictis, finis regni illius aderat, Perinde igitur est atq; dicat, Quemadmodū humana regna diuturna esse non possunt, sed certum habent annorum numerum diuinitus constitutum, ita & Antichristi regnum. Porrò inter illos qui ad tempus hunc numerum referunt, est Iohannes quidam Viterbiē, qui putat regnum Mahumet cœpisse anno à Christo nato 666. & hoc intelligi per numerū hominis. Nicolaus uero Lyranus putat eum anno 666. à Christo nato mortuū. Sed utrumq; horum incertum. Nam Antonius Sabellicus Enneade octaua lib. 6. scribit diem obiisse Mahumetem anno 632. à natali Christiano. Quid uero si ad copias militares referat exercitus Antichristiani? Quasi dicat, Numerus hominis est, hoc est numero nititur exercitus regnū illius. Quemadmodū scriptura obprobrat gentibus brachio carnis fidentibus. Hī in curribus & hī in equis &c. Sic Dauid numerans exercitum, flagellatur à domino. Item, Maledictus qui cōfidit in homine. Fuit autem numerus militarium copiarum populi dei exeuntium de Aegypto, sexcentorum millium, Exo. 12. Hunc numerum uult æquare uel etiam superare Antichristus. Sic fidebant Romani in suis legionibus quas producebant. Quidā putauerunt legionē continere 666. milites. Alij scribunt legionem continere decem cohortes, Cohortem uero quinquaginta manipulos, Manipulum autem uiginti quinq; milites. Continet igitur legio millia duodecim, ac quingētos milites. Est igitur p̄iorū consolatio in hunc modum, Ne putetis Antichristi regnum à deo

stabiliri, quādo haud diuino, sed prorsus humano fidit brachio. At Christus innu-
 meras angelorum legiones producere solet: id quod in mari rubro aduersus Pha-
 raonis exercitum, & in Dothaim aduersus regem Syriæ 2. lib. Reg. cap. 6. Item
 aduersus Sencherib eodem libro 19. cap. Et ut Psal. ait, Castrametabitur angelus
 domini in circuitu timentium eum. Et pater ubi uoluerit filius, mittet illi plus quam
 duodecim legiones angelorum. Ne ergo timeate, numerus hominis est, hoc est exer-
 citus hominum uanissimorum, qui nihil nisi numerus sunt, iuxta illud Horatii,
 Nos numerus sumus, & fruges consumere nati &c. Postremo hunc in modum
 quibusdam uidetur hic locus exponendus, Hoc loco uox Homo, ut & alias cre-
 bro in scriptura, in malam sumitur partem, nimirum pro uano, prauo, ac plane ma-
 ligno homine. Item Numerus pro re in suo genere absoluta, perfecta, & consum-
 mata. Quando ergo Iohan. dicit, Numerus hominis est, perinde esse ac si dicat,
 Vno uerbo accipe rem, Totus homo est, omnes numeros hominis implet, quam-
 libet sese supra deum attollat, nihil tamen supra hominem habet, quin totus uani-
 tas, scelus, perditio est, & propterea Paulus illum hominem peccati, filium perdi-
 tionis manifeste appellat. Et Iohannes dicere uidetur, Adeo nihil dei in se habet,
 ut potius quorumlibet pessimorem hominum uanitatem, sexcenties sexagesies
 sexies in semetipso replicet. Et quicumque numerum hominis, hoc est, uoluntatem
 operaque deprauatae naturae sedulo adimplet, hic de regno illius est, et characterem
 illius praefert: is & mercari ac negotiari, hoc est, diuitias cumulare, libere modis
 omnibus poterit: is charus, gratus, ac fidus illi habetur. Quemadmodum hodie ui-
 demus eos qui bestiam illam laudibus euehant, potestate illius depraedicant, eiusque
 studia imitantur, feliciter in regno eius agere. Haec placuit, optime lector, fusius
 adducere, cum quod in obscuris magis probabilibus & coniecturis quam firmis
 argumentis uti liceat, tum ut eruditis cogitationes moueam & ansam praebeam
 exquisitiora ac certiora adferendi. Mihi, ut quod res est fatear, nihil horum quae
 attulimus, satisfacit. Verum lector delingat id quod magis ad auctoris mentem ex-
 plicandam facere sibi uideatur.

CAPVT XIII.

ET uidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo cen-
 tum quadragintaquatuor millia habentes nomen eius & nomen
 patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui uocem de caelo,
 tanquam uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitruum magni:
 & uocem quam audiui, sicut citharcedorum citharizantium in citharis suis.
 Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem & ante quatuor anima-
 lia, & seniores, et nemo poterat discere canticum, nisi illa centum quadra-
 gintaquatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus
 non sunt coinquinati, uirgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque
 ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae deo & agno: & in ore eorum
 non est inuentum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum dei.
 Et uidi alterum angelum uolantem per medium caeli habentem Euange-
 lium aeternum, ut euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem
 gentem & tribum, & linguam, & populum, dicens magna uoce, Timeate
 dominum, & datae illi honorem, quia uenit hora iudicij eius: & adorare
 eum

eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum. Et alius angelus secutus est, dicēs, Cēcidit cēcidit Babylon illa magna: quæ à uino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Et tertius angelus secutus est illos, dicens uoce magna, Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: & hic bibet de uino iræ dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphuræ in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorū: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerūt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit caractērem nominis eius. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata dei & fidem Iesu. Et audiui uocem de cœlo, dicentem mihi, Scribe, Beati mortui qui in domino moriuntur. A modo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Et uidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius angelus exiuit de templo, clamās uoce magna ad sedentem super nubem, Mitte falcem tuam & mete, quia uenit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram: & demessuit eam. Et alius angelus exiuit de templo quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: & clamauit uoce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte falcem tuam acutam, & uindemia botros uineæ terræ: quoniam maturæ sunt uuæ eius. Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & uindemiauit uineam terræ, & misit in lacum iræ dei magnū: & calcatus est lacus extra ciuitatē, & exiuit sanguis de lacu usq; ad frenos equorū per stadia mille sexcenta.



T uidi, & ecce agnus stabat supra montem Zion.] Visionem hanc ad recapitulationem pertinere putant, nimirum ad tempus liberationis populi dei ab Aegyptiaca seruitute, quando cœpit agnus in typo imolari, cuius sanguine postes filiorū Israel illinebantur, percussisq; Aegyptiorum primogenitis salui euaserunt, ac mari transito, submersis hostilibus copijs, cum agno uictore stantes in littore, uictoriale carnem læti concinūt. Quanquam eadem ratione ad sæculi primordia referrī potest, quando in sacrificio patrū, præcipue Abelis iusti, qui de adipibus gregis sui obtulit deo meliorē hostiam, ad quā deus respexisse legitur, in typo cœpit imolari agnus ille dei, & in sanctis pro pietate aduersus sathanicam impietatē, ad mortem usq; certantibus, uictor euadere. Nam tum mox ipsi primis parentibus, ne in illo certamine animum desponderent, promissum est semen illud benedictum, quod serpentis maligni esset contritum caput, Gen. 3. Atq; tum quidē cœpit agnus ille stare supra montem Zion, qui ecclesiæ credentium gerit typum, qui & tum cœpit super omnes montes & colles subinde attolli, ut est in Esa. cap. 2. Stat uero agnus, & supra montem stat, quibus inuicta illius significatur potentia, qua opem suis laturus, paratus ad stare uidetur à Iohanne.

Et cum illo centum quadraginta quatuor millia.] Numerus iste filiorum Israel, promissiones respicit cum Adæ tum Abrahamo factas, Gen. 3. & 22. cap. ac Dauidi repetitas 2. Samuelis cap. 7. Nimirum in uno Christo consequendæ salutis. Neque in eo sitam, quod filij Abrahami essent secundum carnem, sed iuxta promissionem, quemadmodum Iohannes baptista Matth. 3. & Paulus Rom. 9. Porro duodenarius filiorum Iacob numerus, decies reductus 120. efficit. Qui si rursus decies fuerit repetitus, fiunt 1200. Is iterum per decem multiplicatus, 12000. resultant. Quem si iuxta duodecim tribus duodecies replicaueris, numerum hic & supra cap. 7. positum, nempe 144000. habebis.

Habentes nomen eius & nomen patris eius scriptum &c.] Per nomen patris, euidenter conuincitur agnum esse filium dei patris. Habent igitur scriptum electi nomen patris & nomen filij: & utique digito dei scriptum, quo spiritus sanctus in scriptura significatur. Habes igitur mysterium unius ac ueri dei, nimirum patris & filij & spiritus sancti pulchre adumbratum.

In frontibus suis.] Per hoc significatur publica unius ac ueri dei cum oris tum religione à deo accepta, coram perditio mundo protestatio. Id quod ueteres sub hac confessione qua deum Abraham, deum Isaac & deum Iacob inuocabant, protestati sunt.

Et audiui uocem de cælo tanquam aquarum multarum.] Hoc ad legis dationem in Horeb referunt, quando solennis & publica unius dei ab omni multitudine facta fuit protestatio, & scriptis mandari cœpta. Quæ quidem uox dei loquentis, et legem suam populo promulgantis, rudis adhuc, adeoque carnali populo, recte uoci aquarum multarum tonitruique magni similis uisa est: quemadmodum adparet Exo. 19. & 20. cap. Item Psal. 18. Et intonuuit de cælo dominus &c.

Et uocem quam audiui sicut Cytharædoꝝ.] Malis quidem terribilis uox legis, ut 1. Timo. 1. Iustis non est lex posita. Contra uero bonis, dulcis et amabilis, qui etiam ingentis beneficii loco ducunt legem à deo datam, iuxta illud Psal. Quæ dulcia faucibus meis eloquia tua &c. Hinc & deum super hoc legis datæ beneficium mirum deprædicant, & in confessione laudis ipsius, fortiter, etiam inter ipsa mortis tormenta, perstant.

Et cantabant quasi canticum nouum.] Nouum utique canticum est, inter ipsa mortis tormenta, & pro ipsis adeo tormentis, dei laudes decantare. Id quod olim tres pueri in camino ignis apud Daniele, & post Christum passum innumera cum Iudæorum tum gentium multitudo, grauiam pro fide Christi perpeffa tormenta, in laudibus ipsius perdurauit. Quasi nouum: non enim reuera noua fuit fides Christi mediatoris, iuxta illud 1. Iohan. 2. Non mandatum nouum scribo uobis &c. Iterum mandatum nouum scribo uobis &c. iuxta quod in Hiere. cap. 31. pollicetur: Feriam, inquit, domui Israel et domui Iuda foedus nouum &c. Quemadmodum pulchre explanat autor epistolæ Heb. cap. 8. & 10.

Et nemo poterat dicere canticum.] Quia nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto, 1. Cor. 12. Et hunc mundus non potest accipere, Iohan. 14. cap. Sed soli electi quos à mundo segregauit Christus.

Hij sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.] Hoc est alienigenas non duxerunt in coniugium, iuxta domini prohibitionem Deut. 7. Qua in re peccauit Salomon 2. Reg. 13. cap. Hinc scissum regnum, & tanta mala in populum dei inducta. Item impius Achab, qui impiissimam Iezabelem sibi coniugem accepit, quæ cultum Baal in populum dei inuexit, & prophetas domini occidit, & innumera patrauit mala. Quæ uero propter scortationem populi cum Midianitarum puellis

puellis, mala sequuta sunt, legis Num. 25. cap. Nam carnis scortationē contrā dei præceptum patratam, sequitur mentis scortatio & appostasia à deo: de qua frequenter deus queritur apud prophetas. Merito igitur commendantur, qui obaudiētes uerbo domini, cum huiusmodi alienigenis carnaliter non sunt commixti, quo simul & animo deo cohærent.

Virgines enim sunt.] Nimirū ij qui se ab hac labe seruauerunt, iuxta Paulum 2. Corinth. 11.

Hij empti sunt de terra, Sequuntur agnum, Empti sunt ex hominibus primitiæ.] Quatuor sanctorum illorum præconia in medium adfert, Duo priora, nimirum qd empti sunt de terra, & ex hominibus empti sunt primitiæ deo & agno, gratiam redemptoris prædicant. Nam alioqui & ipsi quoq; natura filij iræ sunt sicut & ceteri, teste Paulo Ephes. 2. Tertium uero, nempe quod cum mulieribus nō sunt coinquinati, studiosæ fuit obedientiæ et effectus gratiæ. Porro quartum, uidelicet quod sequuntur agnum quocumq; ierit, studij ac laboris præmium est, eo quod collata redemptoris gratia, tanquā frugi serui probe usi sunt, hic in præfenti uita sequendo agni cum doctrinam tum uitæ exemplum.

Hij empti sunt &c.] Hoc repetitis uicibus dicitur, ne tantam redemptoris gratiam, ulla unquam debeat obliuio.

De terra & ex hominibus.] Idem est atq; dicat, Ex fece illa, ex massa filiorū Adam perdita, iuxta Apostolum Rom. 9. cap. Ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: quos & uocauit, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Porro primitiæ uel ex eo gratæ sunt deo, quod tanquam præcocia animum illius magis oblectent, quando sine exemplo, spiritus ductu, ipsi alij exemplum fiunt. De primitijs habes Leuit. 2. cap. & Augustinus pulchre in sermone quodam, De paruulis ab Herode interemptis.

Et in ore eorū non inuentum mendacium.] Mendacium, hoc est, appostasia à deo, iuxta illud, In ueritate nō stetit, quia mendax est & pater eius. Itē illud Psal. Filij alieni mentiti sunt ei. Igitur non est inuentū in ore eorū mendaciū, id est, non curuauerūt genua sua ante Baal: ut eadem sit laus, non esse inuentū in ore eorum mendaciū, & cum mulieribus non esse coinquinatos: sicut & hoc quod sequitur.

Sine macula sunt.] Cōtra de Salomone in Eccle. cap. 47. dicit, Dedisti maculam in gloria tua: nimirū propter alienigenas ductas uxores, et idolorū cultum.

Vidi alterū angelum de cælo habentem Euangelium æternū.] Hactenus à principio illius cap. de ecclesia, ex uno Iudæorum populo, nunc de ecclesia post exaltatū Christum, ex oībus totius orbis gentibus, Apostolorū prædicatione congregata. Porro alter angelus ad priorem quempiā angelū referrī uideēt, nimirū ad agnū illum magni cōsiliij angelū, à quo alij qd nuncient accipiūt, Iohan. 1. et 3.

Volantem per mediū cælum.] Significat publicā & intrepidam Euangelij prædicationē iuxta illud, Quod in aure et in cubiculo auditis, prædicare super tecta, Matt. 10. cap. Porro qd uolabat, alacritatem & sedulitatem Christi Euangelij annunciandi significat. Id qd rectissime de sanctis apostolis dici potest, iuxta illud, Velociter currit sermo eius: & illud Rom. 10. ex Psal. In omnē terrā exiuit sonus eorū. Nam adhuc uiuente Paulo, Euangelij ferē per orbē uniuersum iam fuerat euulgatum, ut adparet Rom. 1. & 5. Item Coloss. 1. Aeternū autem dicitur Euangelium, quia iuxta Paulū non est aliud expectandū, ne ab angelo quidem è cælo.

Sedentibus super terram.] Hoc est, afflictis, & opem à deo præstolantibus, iuxta illud, Populus qui sedebat in tenebris, uidit lucē magnā. Item, In mendacitate & ferro. Huc pertinet qd in cantico Zach. Luc. 1. Ad illucescendū hīs qui in tenebris &c. Id qd uel ipse saluator ex propheta Esa. 61. de seipso testat. Luc. 4.

Et super omnem gentē.] Hæc est uocatio gentiū ad cultū unius ac ueri dei, per Christi fidem iuxta promissionē Abrahæ factam, Gen. 22. & prophetiam Iacob, Gen. 49. ac subsequēter in multis Psalmis ac prophetis. Vnde Christus mitans discipulos, Prædicate, inquit, Euangeliū omni creaturæ. Item, Docete omnes gentes, &c. De qua uocatione multis agit Apostolus Rom. 9. 10. 11. & Ephes. 2. Timete dominum.] Initiū enim sapientiæ timor domini. Quanc̄p̄ haud absurde pro cultu ac religione accipitur hoc loco, quemadmodum & sæpe aliās in scriptura. Vnde sequitur.

Et adorare eum qui fecit cœlum &c.] Sic prædicanda erat maiestas & omnium conditrix unius dei uirtus gentibus idololatri, quorum omnium nihil posunt præstare uana illa idola. Vanum igitur est ea colere. Hoc pacto apostoli gentes à uanis idolis ad unius dei cultum reuocarunt.

Et alius angelus sequutus est dicens, Cecidit cecidit Bab.] Mundi huius uanitatem breui periturā nunciānt apostoli, Paulus 1. Cor. 7. Præterit figura huius mundi. Item 1. Iohan. 2. Nolite diligere mundum & ea quæ sunt in mundo &c. Item, Mundus transit & cōcupiscentia eius. Item Petrus, Obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos &c. Cœpit igit̄ tum cadere iudicio dei condemnata, agnita in cordibus credentium illius uanitate. Hinc ait Christus, Confidite, ego uici mundum. Item, Nunc princeps mundi huius eijcietur foras.

Ciuitas illa magna.] Quod magnitudo ac multitudo scelerum illius obtinuit in omnibus gentibus.

Quia à uino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.] Ex quo adparet iram dei esse, quod Babylon illa foeda meretrix prostitutam suam religionem in omnes gentes potuerit profundere, ut illam tam auide potarent.

Et tertius sequutus est eos dicēs: Si quis adorauerit bestia.] Primus angelus, ad cultū unius ac ueri dei uocauit orbem. Secundus, interitū Babylonis, quo illā territi deserāt, nūciauit. Tertius uero à cultu bestia, quæ futura erat, cauendū admonet. De q̄ bestia et imagine, noīe, numero, & caractere uisum est ea, præcedēti.

Et hic bibet de uino iræ dei.] Quanc̄p̄ Christi nomen uenerent̄ & prædicēt Mahumetici, & Euangeliū Christi prætexāt mali Christiani, & ipsi tamē unā cum ueteribus idololatri bibent calicem iræ dei, hoc est, iudiciū damnationis ferēt: de quibus dixit, Cecidit Bab. &c. Porrò metaphora calicis iræ dei frequens est cum in Psalmis tum in prophetis, à quibus et Christus mutuatus est. Hoc loco Iohannes illam pro æternis ac nunq̄ finituris usurpat cruciatibus, ne quis pro temporarijs adeo pœnis, q̄lis fuit eorū qui in diluuiō, in Sodomis, adeoq̄ qui in deserto cōcupiscentes & murmurantes, demū qui cum Sencherib & aliās frequenter, iudicio dei in aliorū exemplum perierunt, generaliter putet in scriptura accipiendū.

Et cruciabitur igne & sulphure in cōspectu angelorum sanctorum.] Hæc omnia miram habent auxesim ad explicandam ineluctabilis ac iusti iudicij cum seueritate tum tormentorum grauitatem ineffabilem. Hinc ait, Cruciabitur igne & sulphure. Deinde addit, In cōspectu angelorum sanctorum. Quasi dicat, Ne sanctis quidē angelis miserescantibus aut iram iudicis flectentibus. Deniq̄ qd plus est subiūgit, Et ante cōspectum agni. Quasi dicat, Imò ne ipse agnus, alioqui natura mansuetissimus, & ad miserendum propensus, tum flecti poterit. Quis igitur tum misericordiæ locus futurus, ubi ne agnus quidē misericordiarū memor erit? Igitur & hoc superaddit, Et fumus tormentorum &c. Neq̄ hoc contentus quin adhuc adijciat, Nec habent requiem die ac nocte. Atq̄ hæc est iudiciorum dei abyssus multa, quod is cuius natura est misereri & parcere, misereri nesciat. Quam nō intelligentes olim Origenistæ, & nostrorum temporum Cata- baptistæ,

baptistæ, dum nimiam seueritatē deo ascribere uerentur, & misericordem facere contendunt, mendacem facere non timent eum qui dixit, Et ibunt hij in supplicium æternū &c. At sancti probe intelligunt, quo pacto deus simul & misericors & seuerus est, ex apostolo Rom. 9.

Hic patientia sanctorū est.] Id est, satius ducunt sancti seueritatem bestię, quàm iudicis agni interim ferre.

Hic qui custodiunt mandata & fidem Iesu.] Hic in primis uigilandum, hic sudandum ubi urserit bestia pro sua religione amplectenda, ne mandata & fidem Iesu deseramus. Melius est enī incidere in manus hominū quàm peccare in conspectu dei. Nolite, inqt Christus, timere eos qui occidūt corpus &c. Hinc sequit̃.

Scribe, Beati mortui qui in domino moriuntur ammodo.] Ad horum præcipue consolationē puto referri, quos contradicentes occisura est bestia. Quasi dicat, Non est formidanda mors, quā pro domino quis oppetit: siquidem mox beati futuri sunt, qui sic occūbunt, post hac omnium laborum expertes, adeoq̃ cum Christo requiem habituri sempiternam.

Opera enim illorū sequunt̃ illos.] Apud piētissimū herū, quemadmodū dici solet, præmium suum sequit̃ laborem. Id q̃d apud deum ita habet, non quidem ex merito operis, sed ex benignitate pollicentis. Siquidem iuxta Augustinum deus sua dona coronat in nobis.

Super nubem sedentem similem filio hominis.] Frequens est in scripturis dominum inequitare nubes. Quo significatur eum inspectorem omnium, & celeriter adesse suis laturū opem aduersus impios. Similem filio hominis dicit, quod cum foris quidem homo adpareat, uirtute tamen deus sit. Præterea quem paulō ante propter immolationis typum agnum ostenderat, nūc propter incarnationis mysterium hominem facit.

Habentē in capite suo coronā auream et in manu sua falcem acutā.] Quod nubem insidet, diuinā in eo significat maiestatem. Corona aurea potestatis uere regiæ insigne est. Falx in manu ad iudicis seueritatem pertinet.

Mitte falcem tuam quoniam aruit messis terræ.] De ineluctabili iudicio aduersus incredulos Iudæos primum, deinde & aduersus incredulas gentes, post longam dei patientiam, quemadmodum sequentia magis manifestant.

Et alius angelus exiuit de altari &c. Mitte falcem & uindemiā botros.] Ad excissionem Iudaicæ gentis hæc pertinere satis adparet, quod templi, altaris, & ignis meminit, item uindemiæ & uineæ, si huc adduxeris locos Exo. 32. quod in die ultionis uisitaturus sit peccatum uituli, simul cum alijs eorum peccatis. Item Num. 16. de igne qui uorauit castra. Item Deut. 32. Matth. 21. & 23. de uinea Sodomorum. Item, Implete mensuram patrum uestrorum.

Vindemiā uineā terræ.] Id q̃ per Ro. Cæsares factū cōstat ex Iosephi hist.

Et calcatus est lacus extra ciuitatē.] Propterea quod aiunt, Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. & negant eum corā præside dicentes, Non habemus regem nisi Cæsarem. Item, Sanguis eius super nos &c. Idcirco & ipse illos negat, iuxta Dan. 9. cap. Abstulit ab eis regnum dei, Matth. 21. & eiecit foras, Matth. 8. Et calcatus est lacus extra ciuitatem per militem Romanum, obsidentem per gymnasium urbem, quemadmodum & ipsum extra ciuitatem eijcientes, crucifixerunt.

Et exiuit sanguis de lacu usq̃ ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.] Quidam annotant ordinem uerborū esse, Et calcatus est lacus extra ciuitatē per stadia mille sexcēta, & exiuit sanguis de lacu usq̃ ad frenos equorū: ut coniungas stadia cum lacu & frenos cum sanguine. Videntur aut̃ mille sexcenta stadia, ad uniuersam Iudaici regni amplitudinem pertinere, quæ misere ante urbis obsidio-

nem mutuis cædibus diuexata, deinde per Romanum militem uastatis ac populatis per circuitum urbibus & arcibus, multum undiq; cruoris effusum fuit. Est igitur hyperbolicos dictum, per mille sexcenta stadia, et usq; ad frenos equorum. Cum enim haud potuerit Iohan. satis exaggerare cædis magnitudinē, hyperbole usus est. Haftenus aliorum sententiam, quæ tamen nobis admodum probabilis uisa, nunc ea propius ad Antichristiana tempora accomodabimus.

[ET VIDI, & ecce agnus stabat supra montē Zion.] Hic rursus Iohannes inter sæuissimas afflictiones, ne tot aduersis frangatur pijs, læta adnunciat. Nam proxime præcedenti capite utriusq; bestię potestatem magnā retulit, quam admiratur & adorat uniuersus orbis, quæ & bellum facit cum sanctis, & uincit eos: quibus omnibus putares actum esse de regno Christi, ac neminem piorū superesse, quæ sunt nostra tempora, quibus ad summum ferē euecta fastigium est impietas, cum in oriente per Mahumetanam successionē, tum in occidente per Romanum pontificē, qui sub idem tempus ambo coeperūt, nempe Phoca Cæsare imperante, a quo Bonifacius tertius impetrauit principatum omnium ecclesiarum totius orbis, circiter annum domini 625. Atq; tum cœpta est Romanorū pontificum tyrannis, ut pro suo arbitrio leges conderent, & illas sub anathematis ultione, orbi seruandas obtruderēt, satis esse rati dixisse, Volumus, lubemus. Phocæ autem successit in imperio Cæsar Heraclius, cuius miles fuit Mahumetes, Pestis illa orbis, circiter annum domini 632. Vniuersum igitur diuinæ religionis cultū hodie uideamus toti orbi, nō ab Euāgelio Christi, sed ab hijs duobus præscribi. Qui in hoc alterutq; subsamulantur, qd uterq; modis omnibus cauet, ne omnino regnet Christus, ac ne deus ad suum colatur institutum. Solatur ergo Iohannes afflictas ob hoc mentes, contestans, maximam interea multitudinem ab agno stare, qui eos seruet & tutetur, quos suo redemerit sanguine: quemadmodum ait in Iohanne de suis ouibus, Non rapiet eas quisquam de manu mea. Sic quoq; diuinū responsum prophetam Heliam solabatur olim, quādo putabat se solum reliquū ex uniuerso Israele, qui nō concessisset in cultum Baal, adhuc septem millia esse reliqua, qui nō curuassent genua ante Baal: hoc est ingentem populi dei superesse multitudinem, quibus ex corde doleret cultus ille, et mala quæ fiebant sub impio rege Achab, 1. lib. Reg. cap. 19. Sic & apud Ezechielem cap. 9.

[Supra montem Zion.] Mons Zion typum regni Christi, quod est ecclesia, gerit. Ut est illud Psalmi, Qui confidunt in domino sicut mons Zion &c. Et Esa. 2. Erunt in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium &c. De Zion exhibit lex &c. Id quod pulchre explanat Paulus apostolus in Galat. 4. capite. Illa autem quæ sursum est Ierusalem &c. Attende uero draconem supra cap. 12. stare in arena maris, hic uero agnum supra montem Zion, qui est in uertice montium, iuxta Esa. uaticinium; hoc est superius erit omnibus mundi regnis, regnum Christi.

[Et cum eo centum quadraginta quatuor millia.] Peculiaris electorum numerus est, etiam supra cap. 7. finitus scilicet pro infinito, more scripturarum: duo decies enim duodecim millia, hunc numerum efficiunt. Est autem numerus duodenarius, ceu supra diximus, uniuersitatis adeoq; perfectionis numerus, quam obrem electorum multitudinē recte congruit.

[Habentia nomen patris eius scriptū in frontibus suis.] Pij cū sermone tum toto uitæ habitu nomen dei patris sanctificant, & publice profitentur, atq; Iesum Christū uerum ac unicum illius filium testantur: quemadmodum impij uicarium sathanæ, ipsum antichristū & ore prædicant & morū improbitate exprimunt.

[Et audiui uocem de cælo tanquam uocem aquarum multarum & tanquam uocem

uocem tonitruū magni.] Huiusmodi uoces impijs qui deo non fidunt terrorem incutiunt, cum etiā ad cadentis de arbore folij strepitum soleant subinde trepidare, quod male sibi conscij sunt. Sic uox hæc citharæ ac noui cantici, quanquam amœna & iucunda, uictis tamen uelut impetus inundantium aquarum & uelut horrendum tonitru sonat.

Et uox quam audiui sicut citharæ dorum.] Non classicum, sed parta iam uictoria, triumphale & gratulatorium canebant carmen: quale populus dei post transitum maris rubri, submersis Aegyptijs, decantabant.

Et cantabant quasi canticum nouum.] Nouum beneficium, noua uictoria hijs uerbis commendatur & prædicatur. Quid si hodiernam renascentis ecclesiæ faciem præuiderit Iohannes: quando noua, propter docendi puritatem ac feruorem, uideretur Euangelica prædicatio, nouus restitutæ cœnæ cultus, nouus plebis promiscuæ in cōmune psallendi ritus: et id genus alia, ex quibus spes est, Christo qui cœpit ferente opem, breui in uniuersum casuram impietatis Babylonem, uel saltem bona parte.

Et nemo poterat discere canticum nisi illa centum quadraginta.] Quidam hoc ita accipiunt, ac si non omnes sancti electi dei hoc possint canticum discere, sed tantum selectiores quidam inter eos. Hinc quidam ad solas uirgines, hoc est, Venereæ uoluptatis inexpertes mares ac fœminas: alij ad solos martyres, hoc est, qui sanguinis sui effusione fidē Christi testificati sunt, detorquent. Nos uero post Augustinum uirgines hoc loco non solum corpore castos intelligamus, sed maxime omnem ecclesiā, quæ fidem puram tenet, sicut dicit Apostolus, Desponsauit enim uos unū uiro uirginem castam exhibere Christo, nulla adulterina hæreticorum commixtione pollutam, nec in male blandis & mortiferis huius mundi uoluptatibus, usq; ad exitum uitæ suæ, absq; remedio pœnitentiæ, infœlici perseuerantia colligatam. Hæc Augustinus in hunc locum. Et post pauca super illud, In ore ipsorum non est inuentū mendacium, sic scribit: Nam aut per baptismum, aut per pœnitentiā possumus in interiori homine & uirgines effici, & sine mendacio. Hinc ergo colligitur, ad incredulos referēdum esse, adeoq; ad omnes præpostere Christianos, qui quamlibet titulotenus & nominetenus Christum præferant, factis tamen negant, desertores namq; sunt, et in Antichristi militant castris, adeoq; canticum illud, quod non tam ore, quam corde canitur, discere nequeunt, iuxta illud Pauli Rom. 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Et illud 1. Cor. 12. Nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto.

Qui empti sunt de terra.] Ad primitias legis alludit, quæ præ cæteris oblationibus deo charæ & gratæ. Ita hijs, qui seipso per sui abnegationem, crucisq; mortificationem, totos deo consecrarunt, sequuti agnum qui deo patri obediens fuit usq; ad mortem crucis. 1. Pet. 2. Rom. 12. Philp. 2.

Hijs sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.] Hunc locum Papistæ suo impuro cœlibatui, aduersus legitimum coniugium patrocinari arbitrantur: quasi uero nō sit longe fœdior spiritalis illa scortatio, qua à uero dei cultu fit apostasia, quam corporis coinquinatio, quemadmodū paulò supra ex apostoli Pauli 2. Corint. cap. 11. etiā ad stipulante Augustino docuimus. Quod si omnino contendat de Venereæ libidine accipiendum, discant primum quid scriptura uocet cum mulieribus coinquinari, & uidebunt suum impurum ac fœdum cœlibatum hic potius notari, quando nulli fœdæ libidinis generi non sunt obnoxij, contra uero honorabile inter omnes coniugium, & cubile impollutum, Heb. 13.

Hijs empti sunt ex hominibus.] Idem est cum illo qd paulò supra, Hijs empti

sunt de terra, iuxta illud, Ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Quod uero ait, Empti sunt, illud est quod Petrus ait, Non corruptibilibus &c. Et Paulus, Empti estis precio magno &c. Ne glorietur ulla caro.

Et in ore eorum non est inuentum mendacium.] Hoc est ueritatem Euangelij simplicem, spiritu doctore, magis dilexerunt quam Antichristi & pseudoapostolorum eius fucata mendacia. Contra uero ij, de quibus Paulus 2. Tess. 2.

Sine macula sunt ante tronum dei.] Iuxta illud Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet eam sibi gloriosam ecclesiam, non habentem neq; maculam neq; rugam. Et illud Rom. 8. Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Quamlibet interim ab Antichristi sanctulis iudicentur omnium pessimi, & quos terra uiuos absorbeat digni. Sic enim fecerunt patres eorum cum prophetis tum Christo & apostolis.

Et uidi alterum angelum uolantem per medium cœlum habentem Euangelium.] Sicut supra cap. 11. de duobus testibus, ita hic de altero angelo intelligendum puto; nam Alter relatiuū ad aliquem priorem est. Significat ergo unum & alterum, hoc est paucos quosdam cœlesti numine agitados, tempore Antichristianæ persecutionis uolare, hoc est alacriter discurrere, ac sedulo prædicationi illius æterni Euangelij instare, cohortando pios, ut nullis unquam siue promissis siue minis ab hoc Euangelio patiantur se auelli, quo pseudoprophetarum Antichristi abominationibus subscribant. Porrò æternum Euangelium uocat, quod iuxta Pauli apostoli sententiam Rom. 1. multo ante promissum sit per prophetas in scripturis sanctis, & quod iuxta eundem apostolū, non sit aliud expectandum, Gal. 1. Quandoquidem non est alius expectandus Christus, Matth. 24. Et quod regni eius nullus omnino sit finis, Luc. 1. & 1. Corinth. 15. Siquidem in spiritu & ueritate, nō externum est, iuxta illud Psal. Omnis gloria eius filix regis ab intus. Antichristi uero regnum cōtra externum est, in magnis ac preciosis templorum structuris, campanis, organis, statuis, ac simulachris, cæreis, immensis auri atq; argenti massis, luxu uestium, ac magno equitatu & numerosa familia, omnia instar summorum principum. Vt facile adpareat omnibus pijs, hunc non Christi (quod iactitat) sed plane sathanæ esse uicariū, adeoq; non posse diu durare regnū eius. Ex quo simul adparet, apertam esse blasphemiam, quando dicunt Papistæ, ecclesiam Euangelio Christi non posse regi, sed opus esse canonibus pontificijs, cum omnino uerissimum sit, ecclesiam perpetuo stabiliri, ideo quod per uerbum Christi in spiritu sancto regitur. Proinde certissimū quoq; est, nihil minus quam ecclesiam Christi esse, quicumq; pontificem Romanum magis quam Christum uerent adorantq; , quicumq; pluris pontificios canones quam Euangelium Christi faciunt: sed sunt semen quod cecidit in uiam, super petram, inter spinas: sunt zizania inter triticum, sunt putres pisces, ac stultæ uirgines, & tandem exeunt, sues ad uolutabrum, & canes ad uomitum reuersi, adeoq; synagoga sathanæ.

Vt euangelizaret sedentibus super terrā.] Metaphora est. In terra namq; sedere, afflictorum & animum præ calamitatibus ac abominationibus undiq; grassantibus ferme despondentium est. Quo simul intelligi datur, admodum dolere pios, uerbum dei, adeoq; uerum illius cultum contemni, detestandasq; abominationes, nomine diuini cultus obtrudi simplicibus, tanto luxu, tanto fastu, tamq; inaudita sæuitie dominari in populū dei, eos præsertim qui se Christi iactitant uicarios, apostolorum successores, seruatorū dei seruos, atq; id genus alia. Huiusmodi ergo afflictis nunciatur Euangelium æternum &c.

Et omni genti & tribui & linguæ & populo,] Ad reuelationem Antichristi per

sti pertinet hæc annunciatio. Nam reuelato per Euangelij prædicationē Christo, & eius regno in spiritu, hoc ipso iam uelut luce manifestantur errorum tenebræ, ac ueritate mendacium depræhendit: ita & Antichristi regnū proditur 2. Tess. 2. cap. Item Matth. 24. cap. Prædicabitur hoc Euangelium in toto orbe, & tūc ueniet consummatio. Id quod non tam ad nascentem tempore apostolorum, quam ad renascentem hac nostra tempestate ecclesiam, pertinere crediderim.

Dicens uoce magna.] Magno & ardenti adfectu, magna adseueratione, magnaq; scripturarum attestatione aggrediendus Antichristus, regnumq; illius demoliendum, postquam altas adeo misit radices. Hic opus, hic labor, ut tandem efficaci persuasionē persuasi principes orbis, mundi sapientes, simul cum populo simplici, quo speciosum hunc cultū intelligant sathanæ esse imposturam, adeoq; abominationem coram deo. Quemadmodū difficile olim fuit persuadere Iudæis, uanum esse cultum legis Mosaicæ, post Christum exaltatum: gentibus uero haud admodum difficile fuit persuadere, uanum esse cultum idolorum.

Timete deum.] Deum inquam uerum qui omnia nouit, omnia potest, omnia creat, gubernat, seruat: non Antichristum. Timere autē est suspicere, colere, adorare. Sic Helias ad populum, Si dominus est deus, sequimini eum, & relinquitte Baal. Et Christus, Ne timeatis eos qui occidunt corpus &c. Ita & hoc loco componit Christum cum Antichristo, secundum efficaciam uirtutis, quæ relucet in operibus creationis, gubernationis, & consummationis.

Et date illi honorem.] Iuxta illud Deut. 6. & Matth. 4. Dominum deum tuū adorabis, & illi soli serues. Sathanica uox est ad mulierē, Obaudi uoci meæ, non domini: deus mentitur, ego ueritatem dico: deus uestris inuidet commodis, ego contra faueo, si commederitis, eritis sicut dii &c. Item Sathanicum est, Deus finit te inedia confici, contemni, abijci, perire, frustra igitur illum suspicis, colis, adoras: Si me colueris, faciam te opulentum, clarum, ac toti orbi suspiciendum. Ecquid aliud hodie in ore habet Antichristus, quam huiusmodi sathanicas uoces, quibus muliebres animos à Christo auocat, & ad sui cultū pellicit? Fac, inquiunt adulescentes eius, ut Christus pingue tibi donet beneficiū, præclaram dignitatem, qualia pontifex Romanus, si illius potestatem, si illius gratiā agnosceres, & prædicares, illumq; coleres, tribueret. Atq; id genus alia.

Quia uenit hora iudicij eius.] In quo nimirum re ipsa atq; opere manifesto declarabit, se deum dominum ac iudicem orbis, dum horrendo impetu, spiritu labiorum suorū interficiet impiū, Esa. 11. 2. Theff. 2. dum seruum illum nequam scindet mediū &c. Atq; huiusmodi sedula ac seria uerbi prædicatione, uidetur ante alterum Christi iudicis aduentū præmittenda, qua pii confortentur seducti uero qui sanabiles sunt, territi resipiscant: pertinaces item & obstinati inexcusabiles fiant.

Adorate eum qui fecit cœlum & terram mare & fontes.] Quasi dicat: Quid demiramini factum hominis istius? Quid illum timetis & ei supplices facti estis? Quando prorsus nihil harum rerum præstare potest, imò ne uermiculum quidem, imò ne flosculum exiguum efficere ualeat. Sic & ipsi prophetae ab operibus, dei potentiam, ac contra falsorum deorum imbecillitatem, ob oculos ponūt, & animis infigunt.

Et alius angelus sequutus est dicens, Cecidit cecidit Babylon illa ma.] Cecidit dixit, qd ineluctabili dei sententia definitum sit stato tempore casuram. Porrò uerbi geminatio certitudinem ac irreuocabilis sententiæ firmitatem in scripturis subinde significat. Hoc autem nuncio non tam solantur pii, quam uel maxime

admonentur ij qui sanabiles in illa sunt, ut quantotius inde fugiant, nimirum doctrinam eorum ac mores detestando, ne simul pereant. Nam quando ciuitas illa magna toto orbe diffusa est, longe lateq; regnate impietate, oportebat uel e mundo exire qui loco illam uellet declinare.

Quæ a uino iræ fornicationis potauit omnes gentes.] Hic uides ira dei, & quidē iusta, factum, ut in orbe uniuerso apud omnes gentes obtineret impietas, quo pij interim exercerentur & probarentur, quo illorū fides, uel auro esset probator, & esset sponsa Christi uelut rosa undiq; spinis obsita, ut est in Canticis. Porro de uino fornicationis fufius infra cap. 17.

Et tertius angelus sequutus est illos dicens uoce magna, Si quis adorauerit] De hoc satis dictum est cap. præcedenti, & supra hoc cap. ubi aliorū sententiam recensuimus.

Et hic bibet de uino iræ dei, quod mixtum est mero in calice.] Metaphora calicis crebra est in scriptura, tam in bono quā in malo. In malo quidē, ut Psal. 11. & 75. Ignis, sulphur, spiritus procellarū pars calicis eorum. Minatur enim impijs horribilem, uelut Sodomorum, interitum. Item calix in manu domini uini meri plenus mixto, Et inclinauit ex hoc in hoc, bibēt omnes peccatores terræ. Et apud Esa. cap. 51. Eleuare eleuare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu domini calicem iræ eius. Vsq; ad fundum calicis saporis bibisti, & potasti usq; ad feces. Item Hiere. 25. Sume calicem uini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus &c. Et propinaui cunctis gentibus &c. Hierusalem & ciuitatibus Iuda, & regibus & principibus eius &c. Deinde regibus & populis per circuitum, dicens: Hæc dicit dominus exercituum, Bibentes bibetis, quia ecce in ciuitate in qua inuocatū est nomen meū, ego incipio affligere, & uos quasi innocentes et immunes eritis? Non eritis immunes. Atq; hanc metaphoram usq; ad cap. 51. quibusdam interpositis, continuat Hieremias. Sic et apud Ezech. cap. 9. A sanctuario meo, inquit, incipite. Hinc Petrus in priore cap. 4. Iudicium a domo domini incipit. Et Christus, Si in uiridi hoc faciunt, in arido quid fiet? Bibunt igitur electi peccantes de calice iræ domini, sed meracius: Impij uero feces ad fundum usq; Die grund supp. Sic & Christus calicem quem propinauit illi pater, bibit, quando pro peccatis nostris adficius, in quo omnium nostrum posuit iniquitates. Sic & ad discipulos, Calicem, inquit, meum bibetis &c. Quod uero ait, Et hic bibet, significat etiam alios bibituros, cū quibus & hic quoq; qui Antichristo nomē dederit, bibiturus sit, quamlibet sese Christiano uendat titulo, æque tamen atq; idololatrias gentes pœnas daturum.

Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu sanctorum angelorum.] Per cruciatum ignis, grauissimos quosq; cruciatus scriptura significare solet. Per sulphur autem, quod materia incendij, alluditur ad loca sulphurea perpetuo ardentia, qualis est mōs Ethna in Sicilia. Quo significatur, ignem illum esse inextinguibilem, qualem Baptista uocat, & saluator gehennæ nominæ subinde nominare consueuit. Porro in conspectu sanctorū angelorum, Auxesis est: multum namq; doloris addit, cruciari in conspectu eorum quorum consilia sumus aspernati antea, & quos uehementissime persequuti sumus. Huiusmodi uero pœnas manere illos, qui deserta fide Christi sub bestia stipendia merent, Euangelij æterni annunciant præcones, quo territi aliquando resipiscant.

Et fumus tormenti eorum ascendit in sæcula sæculorum.] Per hoc euidenter conuincitur, quod nullum sit finem habiturus illorum cruciatus, ceu paulo ante diximus. Quanquam Anabaptistarum quidam, antiquam Origenistarum hæresim

hæresim reducentes, In sæcula sæculorū, ac similes dictiones, pro longo tempore exponūt, qđ alicubi in scriptura sic accipiuntur, adeoq; dæmonibus & alijs damnatis impijs, ut Iudæ proditori, & quamlibet deploratis peccatoribus, tandem salutē pollicentur. Quibus hoc obiter responderim, Eadem ratione, non posse ex similibus locis, uitam sine fine duraturam sperare. Vt uerbi gratia, quando Christus ait, Ibunt hī in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternā. Vtrobique enim æternū ponitur. Quæ igitur poterit esse ratio, ut primum æternum finem, alterum uero nullum sit habiturum? Præterea eidem periculo & Christū regnantem, imò & deum ipsum uiuentem subiicient, qui in æternum, item in sæcula sæculorum & regnare & uiuere perhibentur. Iam quid respōdebunt ad illos locos, ubi simpliciter & absolute negatur finis pœnarum, absq; huiusmodi dictionibus, in sæcula sæculorum, iugiter, perpetuum, æternum, sempiternum, & si quæ sunt aliæ eiusdem significati? Quemadmodū est apud Esa. ul. cap. Ignis eorum nō extinguetur, & uermis eorum non morietur. Item, In ignem inextinguibilem proijcietur. Item, Scortatores & adulteri regnū dei non possidebunt. Modo quod aliquando, etiam post quantumcunq; tempus, extinguitur, inextinguibile dici nequit. Et qui aliquando possessuri sunt regnū dei, etiam post quantumcunq; tempus, non potest de illis simpliciter dici, quod non sint possessuri. Atq; in hunc modum de similibus locis in scriptura. Porrò quod ait, Fumus tormenti eorum, emphasim habet, nam alioqui amœnitatem ignis lucidus præfert.

Nec habent requiem die ac nocte.] Hoc rursus æternū duraturos illorum affirmat cruciatus. Et est antithesis ad sequentiā, ubi spiritus dicit, requieturos pios à laboribus suis. Contra hic, nullam habituros requiem, die ac nocte, impios dicitur.

Qui adorauerūt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit chara.] Quibusdam exigui momenti res olim uidebat, si quis adactus thuris aliquot grana in focum proijceret, uitam suam per hoc redempturus: id quod persuasus Papa Marcellinus fecisse legitur. Ita & hodie fortasse nihil uel parum referre uidetur, si qui Papam, Christi uicarium, sanctissimum ac beatissimum patrem fateantur, Missæ intersint, panem Eucharistiæ inclusum, ac diuorum statuas uenerabundè adorent, ac reliquis Papisticis ceremonijs, quo cum suæ cuticulæ tum rebus suis consulant, in speciem utantur, modo corde Christum credant, nullamq; in illis fiduciam ponant, atq; hunc in modum malint Nicodemos agere, quàm cum periculo capitis, aut rerum suarum, Christum palam confiteri, huiusmodi ceremonias contemnendo aut dānando. Quasi uero non dicat Christus, Qui me confessus fuerit, & uerba mea in generatione ista adultera & peccatrice &c. Atq; Paulus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quod si ita liceret in Christianismo simulare, potuissent utiq; primeui Christiani, uita & rebus saluis Christum colere. Verum, qui istis omnibus propter Christum nō resignauerit, non potest illius esse discipulus: omnino ingenua, ardua, adeoq; rara res est, Christianum esse. Ideo uidetur mihi hæc sæpius inculcare Iohannes, adeoq; subiungere, Hic patientiam sanctorum esse, quod multi hic impingant.

Hic patientia sanctorum est.] Sic & præcedenti capite admonuit, Quasi dicat, Nunc animis opus, nūc pectore firmo, Ne Christum erubescamus coram hominibus, uolentes huius uitæ declinare incommoda, æternas pœnas incidamus, iuxta illud:

Incidit in Scillam, uolens uitare Caribdim. Et illud Hiob 6. capite, Qui timent pruinam, irruit super eos nix. Item, Qui uult animam suam saluam

facere. Vidimus quosdam diuites ac potentes modis omnibus cauere ne quam Euangelij causa iacturam paterentur, & tamen misere perire.

Et audiui uocem de cœlo &c. Beati mortui qui in domino moriuntur] Beati-
ficantur in cœlo, qui pro Christo moriuntur in terra. Nam scriptum est, Preciosa
in conspectu domini, mors sanctorum eius. Porro in domino moriuntur, quicumque
ob contemptam & damnatam à se Papæ aut Mahumeti religionem, trucidan-
tur: haud secus atque olim illi qui uel Iudæorum uel idolorum religionem post exal-
tatum Christum contemnebant.

Ammodo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.] Piorum labo-
res hic breui finiuntur, hos sequitur æterna requies: Contra, impij finituros ti-
ment, & æternos inuenient. Pugnatur hic locus cum papistico, ut uides, purgatorio,
quando requiem pijs ab omnibus laborum incommodis, mox ab illa hora qua in
domino moriuntur, idest ex hac uita constantes in fide Christi demigrant, spiritus
sanctus pollicetur, quemadmodum & ipse Christus Iohan. 5. cap. Qui sermonem
meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnatio-
nem non ueniet, sed transit de morte in uitam. Item, Vbi ego sum, illic & mini-
ster meus erit. Præterea ab angelis portatur Lazarus in sinum Abrahamæ. Et, Hodie
mecum eris in paradiso. Et quod Apostolus, Cupio dissolui & esse cum Christo.
Et quæ oro insania est istorum hominum? Poterunt hoc præstare uenialia ponti-
ficis diplomata, ut qui potiuntur ijs, mox ad cœlum euolent, non experturi pur-
gatorias pœnas, id quod pollicentur, & non poterit hoc omnipotens uirtus Chri-
sti: Hæc omnia cum similibus locis, non tam sunt contra papisticum purgatorium,
quàm etiam contra eos, qui putant animas simul cum corporibus interire, aut so-
piri, & demum cum corporibus exuscitari, Contra quos est etiam illud, Non est
deus mortuorum, sed uiuorum. Viuunt igitur sancti iuxta animam potiore[m] sui
partem, corpus uero ad futuram regenerationem, uelut granum ad messem, in-
terim terra seruetur & disponitur, 1. Cor. 15.

Opera enim illorum sequuntur illos.] Metonymia est opera pro mercede,
quemadmodum & Paulus ait, Quæ seminauerit homo, hæc et metet. Item ut referat
unusquisque propria corporis, pro ut gessit, siue bonum siue malum. Et tamẽ cum ope-
ra, tum merces, gratiæ dei potius dona, quàm meriti humani debitum, Rom. 4. cap.

Et uidi & ecce nubem candidam, & super nubem.] Christum uictorem,
regem ac iudicem significat. Est autem frequens, cum in Psalmis tum in propheta-
tis, dominum inequitare nubes, tanquam supremæ ac prorsus diuinæ maiestatis
iudicium. Hæc igitur dicendi figura Iohannes diuinam in Christo ostendit maie-
statem. Quale est etiã illud, Ammodo uidebitis filium hominis uenientem in nubibus
cœli &c. Item illud in Actis, Nubes suscepit eum in oculis eorum. Sic ueniet &c.

Coronam auream.] Regiæ maiestatis, adeoque uictoriæ insigne est.

Et in manu sua falcem acutam.] Personam iudicis ad ferendam excisionis
sententiam parati, sub hac imagine describi, uel ex Esa. cap. 18. & Iohelis 3. satis
adparet. Sed & saluator ipse, iudicium messi comparat Matth. 13.

Et alius angelus exiuit de templo clamans uoce magna ad sedentem super nu-
bem.] Ex hoc loco, ut & aliàs frequenter, cum in hoc libro tum in alijs scripturæ
locis adparet, quo adfectu quæue sedulitate cœlestes illi spiritus salutem creden-
tium erga Christum seruatorem cupiunt promotam. Hinc angelus inducitur, ue-
lut efflagitans, tempus persecutionis adbreuiari, ne impij diutius deum blasphe-
ment, & in electos eius sæuiant. Vnde & ipsi angeli Matth. 13. cap. messores in-
ducuntur. Quanquam sunt qui hoc ad ecclesiæ præfectos referant, pro electorum
liberatione ad Christum clamantes.

Et alius angelus exiuit de altari qui habebat potestatem supra ignem.] Hoc est potestatem infligendi quolibet maxima tormentorum genera, quod ignis tormentum uehementissimum sit, & quod maxima quæq; iudicia per ignem exerauerit, ut in Sodomis, in deserto, Numeri 11. & 16. cap. & alias. Item orbis incendium futurum, 2. Pet. 3. & gehennale incendium, Matth. 25.

Mitte falcem tuam acutam, & uindemia botros terræ, quoniã &c.] Duobus similibus, nimirũ messis & uindemiæ, excisionem regni Antichristi ob oculos ponit. Quæ similitudines crebræ sunt in prophetis, ubi loquuntur de Iudicio iræ dei aduersus peccatores. Comparatur namq; populus segeti ac uineæ, proinde ubi gladio, fame, peste, ac modis alijs conficitur, propter scelera, demeti ac uindemiari dicitur.

Quoniam maturæ sunt uuæ eius.] Hoc est, culmen adepta est impietas, ad summũ euasit iniquitas, & quemadmodũ scriptura de Amorrhæis loquitur, Consumata sunt peccata eorum. Et Christus ad scribas ac pharisæos, Implete, inquit, mensuram patrum uestrorum, cum idem significare uellet.

Et uindemiauit uineam terræ, & misit in lacum iræ dei.] Lacum iræ dei magnum, dixit immensam uim, & profundissimũ pelagus afflictionum ac tormentorum, unde nemo possit enatare, aut quoquo pacto emergere, Luc. 16.

Et calcatus est lacus extra ciuitatem.] Perstat in similitudine uindemiantium & torcular calcantiũ, Esa. 63. Porro extra ciuitatem, iuxta saluatorem pro tenebris extimis accipiendum uidetur.

Et exiuit sanguis usq; ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.] Infinitam Antichristiani exercitus multitudinẽ per quatuor orbis partes longe lateq; interituram significat: id quo per numerum stadiorum intelligi puto. Quater enim quadringenta, mille sexcenta efficiunt, ut tam quo ad multitudinẽ pereuntium quàm ad pœnarum atrocitatem, maiorem intelligas cladem quàm illa fuerit quæ à Christo Iudæis prædicta erat Matth. 23. Veniet super uos omnis sanguis &c. Et Luc. 19. Sunt enim cõparationes ac similitudines hyperbolica, quibus pro magnitudine rei explicanda utitur Iohannes.

Usq; ad frenos equorũ.] Vel hyperbole est, ut iam diximus: uel iuxta alios Metonymia est, frenum equorum, pro rectoribus populorum, nimirum pro ipso rege Antichristo & electis eius principibus. Postremo in hoc cap. animaduerte, septem angelorum fieri mentionem, quo curam & sollicitudinem cum Christi regis tum sanctorum angelorum erga electos intelligamus.

C A P V T X V.

Uidi aliud signum in coelo magnum & mirabile: angelos septem, habentes plagas septem nouissimas, quoniam in illis consummata est ira dei. Et uidi tãquam mare uitreum mistum igne, & eos qui uicerunt bestiam & imaginem eius & numerum nominis eius stantes super mare uitreum, habentes citharas dei: & cantantes canticum Moyse serui dei, & canticum agni, dicentes, Magna & mirabilia sunt opera tua domine deus omnipotens: iustæ & ueræ sunt uia tuae rex seculorum. Quis non timebit te domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es, quoniam omnes gentes uenient, & adorabunt in cõspectu tuo, quoniã iudicia tua manifesta sunt. Et post hæc uidi, & ecce apertum

est templum tabernaculi testimonij in caelo: & exierunt septē angeli, habentes septē plagas, de templo: uestiti lapide mundo & candido, & praecincti circa pectora zonis aureis. Et unum de quatuor animalibus, dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiae dei uiuentis in secula saeculorum. Et impletum est templum dei fumo à maiestate dei, & de uirtute eius: & nemo poterat introire in templū donec consummaretur septem plagae septem angelorum.



T uidi aliud signum in caelo magnū & mirabile.] Qui messem ac uindemiam capite praecedenti ad Iudaeorum referunt excidionem, ij septem angelos cum septem phialis, praedicatores Euangelicos faciunt, qui orbem uniuersum scientia domini repleuerunt. Porro mare uitreum igni mixtum, baptismatis sacramentū faciunt: quo uelut immenso mari, peccatorum innumera multitudo absorbetur, et igni spiritus repurgat. Simulq; alludit Iohan. ad mysterium maris rubri, quo baptismus Christi figuratur, iuxta Apostolum 1. Cor. 10. Vitreum uero ideo dici mare illud, quod ea quae patribus ac rudi adhuc populo in mysterio & sub typis contigerunt, in regno Christi aperte & reipsa geruntur, iuxta Apostolum 2. Cor. 3. Ideo dixerunt ueteres, nosse imbutos, quid nostris sacramentis geratur, ut Augustinus 3. lib. de doctrina Christiana, cap. 9. ac iuxta spiritalem intelligentiam, idem esse canticū Mosi serui dei, quod cantabant qui manus persecutiū copiarum mari superato euaserunt, & agni, quod canunt qui redempti à domino, de baptismatis lauacro ascendunt. Vtriq; enim dei beneficio bestiam uicerūt & imaginem eius, iam quod de templo exeunt angeli, significat templū cum sacerdotio, ac uniuersis carnalibus legis ceremonijs abolenda. Hoc factum fuit, quando apostoli excutientes puluerem pedum suorum, incredulos Iudaeos relinquunt, & ad gentes demigrant, Act. 13. cap. Praedicantibus uero apostolis, carnales legis ceremonias relinquendas, Iudaeos suo furore, uelut fumo, excacatos, tantā Christi maiestatem ac uirtutem nō potuisse perferre.

Et uidi aliud signum in caelo magnum & mirabile &c.] Hanc quintam huius libri putant uisionem, in qua easdem quidem nouissime persecutionis plagas, sub alijs tamen enarrari typis perhibent. Porro ubi signum magnum & mirabile dixit, intentos uult auditores.

Angelos septem habentes septem plagas nouissimas.] Ex hoc adparet ad nouissimā Antichristi persecutionem hanc uisionem pertinere, quae haud tam exiguo tempore, ut quidam putauerunt, nimirum tribus annis usualibus cum dimidio, duratura est: ut adparet consideranti regni cum Mahumeti tum pontificis Rom. initia, incrementa & finem. Non enim repente in tantam euaserunt potentiam, neque repente adeo ubi etiam agniti fuerint, regno destituentur.

Quoniam in illis consummata est ira dei.] Ethologia est, reddit enim causam, cur nouissimas illas uocarit: nimirum quod in illis consummata sit ira dei, occiso Antichristo cum exercitu suo. Porro septem plagas, uniuersa plagarū genera, quibus deus perdere malos consueuit, more scripturarū dixit, ut in Leuitico adparet. Et percutiam uos septem plagis, inquit. Ministerio autem angelorum nonnunquam huiusmodi plagas inferri, historia sacra tradit, ut in Sodomis, mari rubro, Sencherib, & alijs frequenter: tamen crebro etiam hominū ministerio, tam bonorum quam malorum ad hoc utatur.

Et uidi tanquam mare uitreum mixtum igni.] De quo fusius dictū est supra cap. 4. Porro mare uitreum mixtum igni, uidetur mihi hoc loco typum praeferre

ferre ingentium calamitatum & afflictionum, quas ab Antichristiano exercitu p̄i perferunt, quibus carnalium adfectuum scoriæ, spiritu Christi autore, deputata atq; uelut aurū igni repurgata, ad plenum tandem mudentur, iuxta illud, Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigeriū. Ad quod etiam nos baptismus hortatur, iuxta Paulum Rom. 6, 1, Cor. 10, Col. 2, & 3, cap. Alludit uero ad transitum maris rubri, Exod. 14.

Et eos qui uictoriam reportarant de bestia,] Nimirum qui cultum illius externum haud usque adeo demirati sunt, aut mendacibus signis persuasi, quo illius impietati, præ Christi religione, fidem haberent.

Habentes cytharas dei, & cantant canticū Mosis serui.] Ex hoc adparet Iohannem per mare uitreum, ceu iam iam diximus, alludere ad transitum maris rubri, quo etiam in typum, iuxta Apostolum, baptizati sunt. Perinde igitur est atq; dicat, Quemadmodum olim uetus ille populus dei, trāsito mari rubro, submersis hostilibus copijs in littore salui deambulantes Epinicion domino seruatori decantabant: ita & hī, superatis in uniuersum aduersarijs potestatibus, unanimis uotis Christum seruatorem prædicant, dicentes:

Magna & mirabilia, &c.] Omnipotentiam dei in primis prædicant, non tam in operibus creationis, quam multo maxime gubernationis, quo iustitiam suam ac ueritatem, mundum iudicando, manifestat. Proinde omnes gentes per orbem uniuersum inuitant ad timorem illius, ac nominis ipsius confessionem.

Et post hæc uidi, & ecce apertū est templum tabernaculi.] Cœperat in principio cap. sermonem de septem angelis septem phialas habentibus, quo intermisso, digreditur, & prius læta illa quæ simul uiderat, de mari uitreo & electis psallentibus enarrans, ad cœptū redit sermonem. Alludit uero ad tabernaculum uetus, unde responsa petebantur de rebus agendis in populo dei, hoc quod umbra fuit gerendarum rerum in regno Christi, Heb. 8. & 9.

Et exierunt septem angeli habentes septē plagas de templo.] Hoc est e conspectu & præsentia regis ac iudicis Christi, à regio inq; tribunali, ubi iugiter astant attentī & paratī ad dei iussa quantotius perficienda missi, ut supra cap. 5. De templo itaq; dei omnipotentis procedit iudicium illud irreuocabile aduersus impiū Antichristum, & qui illi eadem impietate iuncti sunt.

Vestiti lino mundo, &c. & præcincti.] Alacritatem & strenuitatem in exequendis dei mandatis significat: deinde ut uel hoc ipso exteriori habitu se nuncios summi regis ac æterni iudicis cōprobent, cuius opus exequuturi adsint, iam ut uel ipso uestitu uictoriam de impijs polliceri uideantur.

Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis, &c.] Per hoc animal, iuxta superius cap. 4. & 5. de quatuor animalibus dicta, intelligo quempiam ex superiori ordine angelum. Porrò supra cap. 5. leguntur phialæ odoramentis plenæ, quas ipse Iohannes ibidem orationes sanctorum interpretatur: hic uero scribuntur iræ dei plenæ, id quod ex priori sequi uidetur. Nam perpetuum piorū uotum est, ut deus gloriam suam aduersus impios, qui eam sibi uendicant, tueatur, iuxta illud, Gloriam meam alteri non dabo: & ut se liberet e manibus persequentium, iuxta illud Psal. 79. & supra 6. Vsq; quo domine sanctus & uerus non iudicas, & non uindicas sanguinem nostrum, &c. Quādo uero deus promissorum memor, non possit piorum iustas preces non exaudire, consequitur, ut orationes illorum ad uindicandum deum prouocent: hinc plenas iracundiæ dei describit phialas. Efficaces namq; esse piorum aduersus impios preces. Id quod exemplo Helix ac Helizei & alijs in scripturis sanctis ostenditur.

COMMENTARIUS IN

Impletum est templum fumo.] Suffitum ex precationibus sanctorū coram deo ascendentibus, intelligo: inde uero iram dei ad uindictam impiorū exarsisse. Nemo poterat introire in templum.] Peracto iudicio, ubi deletis in uniuersum impijs, & cum suo principe ad tartareas pœnas ablegatis, tum pij athereas cum Christo rege suo possidebunt mansiones, Matth. 24.

CAPVT XVI.



ST audiui uocem magnam de templo, dicentem septem angelis, Ite, & effundite septem phialas irę dei in terram. Et abiit primus angelus, & effudit phialam suam in terram, & factum est uulnus sæuum & pessimum in homines qui habebant characterem bestię: & in eos qui adorauerunt bestiam et imaginem eius. Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima uiuens, mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suam super flumina & super fontes aquarum: & factus est sanguis. Et audiui angelum aquarum dicentem, Iustus es domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hoc iudicasti: quia sanguinem sanctorum & prophetarū effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere digni enim sunt. Et audiui alterum dicentem, Etiam domine deus omnipotēs uera & iusta iudicia tua. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines & igni, & æstuauerunt homines æstu magno, et blasphemauerunt nomen dei habentis potestatem super has plagas, neque egerūt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestię: & factum est regnum eius tenebrosum, & commandauerunt linguas suas præ dolore: & blasphemauerunt deū cæli præ doloribus & uulneribus suis, & non egerunt pœnitentiã ex operibus suis. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Eufraten: & siccauit aquã eius, ut præpararetur uia regibus ab ortu solis. Et uidi de ore draconis, & de ore bestię, & de ore pseudoprophetę exire spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terrę congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis dei. Ecce uenio sicut fur. Beatus qui uigilat & custodit uestimēta sua, ne nudus ambulet, & uideāt turpitudinem eius. Et congregabit illos in locum qui uocatur Hebraice Armageddon. Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem: et exiuit uox magna de templo à throno, dicens, Factum est. Et facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram talis terræmotus sic magnus. Et facta est ciuitas magna in tres partes: & ciuitates gentium ceciderunt, Et Babylon magna uenit in memoriam ante deum: dare illi calicem uini

uini indignationis iræ eius. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inuenti. Et grando magna sicut talentum, descendit de cælo in homines: & blasphemauerunt deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est uehementer.

ET audiui uocem magnam de templo: Ite effundite.] Iam prosequitur septem phialas, de quibus cap. præcedenti proposuerat. Porro angelorum ministerio, ut paulò ante diximus, quemadmodum in ueteri testamento magnifica dei opera aduersus impios, ita & ea quæ hic prædicuntur complenda putamus. Si cui uero magis uideatur post Bedam ad ecclesiarum præfectos referenda, haud reluctabor. Siquidem & Mose ac Aharone regi obstinato prædicantibus, signa illa magnifica ministerio angelorum facta competentum habemus: atque in eundem quoque modum prædicantibus Noah, Loth, & Helia obstinatis hominibus factum constat. Ecquis nõ uidet etiam hac ipsa nostra tempestate, qua hæc scribimus, apertissimam dei irã grassari, ob contemptam à mundo Euangelij prædicationem? Id quod et impij fateri coguntur, & quotidie anxie queruntur scire supra modum dei iram: quanquàm hoc haud contempto, id quod res est, sed prædicato Euangelio tribuunt. Ad hanc expositionem facit quod prædicatores uerbi iudicium iræ dei interminando impijs sæpe prædicunt: quemadmodum uidere est in multis Psalmis ac Prophetis: item in euangelio Matt. 23. 24. Luc. 19. & 2. Pet. 3. cap.

Et abiit primus angelus, &c. & factum est uulnus sauum.] Uulnus hoc sauum & noxiũ potest intelligi uel pestis, quæ hisce nostris temporibus ab aliquot iam annis multo sauius quàm ante grassatur: uel uulnus illud, quod primum appellabant malum Neapolitanũ, quo exercitus Caroli Gallorum regis ex regno Neapolitano rediens infectus erat: unde & à nostris postea morbus Gallicus appellatur usque hodie: quo morbo non solum uulgi promiscuum, sed & multi ecclesiarum praelati, summi quoque principes ac magnates, aut misere fœdati, aut prostrati consumpti sunt. Durauit hic morbus iam ad quadraginta ferme annos, antea incognitus: hinc & uaria eius morbi à medicis & chirurgicis excogitata sunt remedia, quæ fere pluribus exitio quàm saluti fuerunt. Durat quæ in hodiernum diem morbus ille, nisi quod iam inter alios pro assueto habetur. Ita & alij indies noui & inauditi insurgunt morbi: qualis fuit sudor ille Anglicus, sic appellatus, quod ex Angliã primum in Germaniam anno proxime superiori, nempe 1530. irrepserit, quo intra paucos dies, quibus in Germania durauit, multi interierunt, ita ut intra uiginti quatuor horas sani & mortui essent. Et haud dubium restant longe peiores morbi, gliscente indies ob Euangelij prædicationem sauitia tyrannorum, ac omnis generis impietate.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mari, & factus est sanguis.] Recte qui sanguinem innoxium sitiunt, & uelut aquam fundunt, sanguine potantur, quo pœna delicto respondeat: quemadmodum & Thamyris Parthorum regina Cyri Persarum regis caput præcisum in utrem sanguinis plenum mergens, uicto illi dicens, Sanguinem sitiisti, sanguinem bibe.

Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum.] Similis pœna est proxime præcedenti. Significat autem impijs mortifera facta, quæ alioqui frugi ac usui sunt pijs. Porro alludit ad pœnas in Aegypto, ob contemptum dei uerbum inflictas.

Et audiui angelum dicentem, Iustus es domine, &c.] Inducuntur sancti

angeli iudicia domini iusta prædicantes, ut nos itidem facere commoneant.
 Et quartus angelus effudit phialam suam in solem.] Significat in sueto solis æstu cruciandos homines: quo contra pñs pollicetur infra dicens, Non cadet super illos sol neq; ullus æstus. Qualis uero sit ille cruciatus conijcere possunt ij, qui regiones orientales ac meridionales inhabitant, uel aliquando perambulant. Nam contra huiusmodi æstum populo dei fuit columna illa nubis per diem, de qua in Exodo legimus.

Et æstuaerunt homines æstu magno & blasphemauerunt.] Blasphemando pereunt, & pereundo blasphemant impij, nec flagellis ad pœnitentiam adduci possunt: quemadmodum in Pharaone adparet.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiae.] Tenebrarum Antichristi cum Mahumeti tum pontificis Romani regnum, omnis lucis ac ueritatis diuinæ expers, erroribus adeoq; abominationibus plenum, ut prorsus ignorent quid de deo, de uera pietate, de iustificatione impij, de sacramētis, de uirtute & uitijs, & tandē de salute statuāt. Omnia apud illos incerta & philosophicis cōcertationibus plena, iuxta illud 2. Theff. 2. Mittet illis deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, &c. Præterea cumulat malis quæ hic prædicuntur, tanta infelicitate regnū suum premi conspiciens, omnis expers consilij, quo se uerrat ignorabit: turbabitur ergo regnum illius, tumultuabitur, ac prorsus insaniet: uerū omnia frustra, iuxta quod Sapientia suis cōtemptoribus minatur Prover. 1. c. ubi omnis splendor & potentia Antichristiani regni simul peribit.

Et commandauerunt linguas suas præ dolore.] Hoc tropo mentis insaniam, præ maximo dolore, scriptura significat. Porrò iusto dei iudicio fit, ut suas linguas commanduent, quibus in deum & seruos illius infandas loquuti sunt blasphemias, iuxta illud, Per quæ quis peccat, &c.

Et conuictijs affecerunt.] Tantum abest, ut ad percutientem se reuertantur, ut dent illi gloriam, hoc est ut sese agnoscant peccatores: deum uero iustum, qui meritas irroget pœnas, & ut illas pro sua benignitate mitiget, precentur.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen.] Videtur mihi Iohannes per huiusmodi plagas, ceu diximus, ad pœnas Aegyptiacas, ob uolentiam populo dei illatam, alludere: quæcunq; tandem pœnæ illæ fuerint, quibus impium Antichristi regnum conterendum est. Nam aquas diluuij, interitū Sodomorum, plagas quibus dominus Aegyptum olim percussit, mersumq; Pharaonem cum electis principibus suis, frequenter solet scriptura in exemplū quarumlibet grauis simarū pœnarum adducere. Præterea pœnas hic interminatas ego simpliciter intelligo. Nēpe tellurē ipsam cū hijs quæ producit, mare, flumina, aquarū fontes: itē solē & astra cœli, & ut uno uerbo dicā, supera atq; inferna oīa, illis esse noxia atq; lætifera, iuxta illud Sap. 7. Armabit creaturā ad ultionē inimicorū. Item, Pugnabit cū illo orbis terrarum contra insensatos. Per siccātū flumen Euphraten, intelligo è medio tolli omnia illa, quæcunq; possint esse obstaculo, quo minus aduersus electos uniuersi orbis tyranni, sub Antichristi signis merentes, in suā ipsorū perniciem congregentur. Quando uero increduli & carnales huiusmodi pœnas corporales maxime exhorrescūt. Idcirco illas scriptura eis præcipue minatur, post quas tamen sequentur ineffabiles nullis unq; temporibus finiendæ. Porrò per primam phialam effusam in terrā, satis adparet significari morbos pestilentes, seu ulcera, scabiem & tabes insanabiles. Per secundam & tertiam effusas in mare et flumina, significari puto immanissima et atrocissima bella, quibus tantum sanguinis effundatur, ut & maria & flumina ex sanguinum torrentibus in cruorem uertantur: qualia

qualia uisimus nostra ætate frequentia, cum à Mahumetanis tum à pontifice Romano patrata: quod si quis nobis credere noluerit, consulat historias, & uidebit nos uera narrare. Dicuntur uero hæc omnia ad magnitudinem rei ineffabilis per hyperbolen explicandam. Per quartam phialam in solem effusam, ingens æstus significatur: hinc ingens siccitas, adeoq; terræ sterilitas, ac rei frumentariæ insolita difficultas, ardorisq; sitis intolerabilis, cum in hominibus tum in iumentis: qualem populus in deserto patiebatur. De quinta uero & sexta phialis satis dictum puto.

Et uidi ex ore draconis, & ex ore bestiae, & ex ore pseudo.] Solito more, prætermisso septimo angelo, ab origine paucis recapitulat. Quibusdam draco, bestia, & pseudopropheta idem uidentur. Equidē per draconem ipsum sathanam, per bestiam Antichristū cum suo corpore, per pseudoprophetam quoslibet falsos Antichristiani regni doctores intellexerim. Videtur autē alludere ad ranas, quas & magi Pharaonis magicis artibus produxerūt. Porrò cū imbellis alioqui bestia sit rana, miro tamē & horrendo oris strepitu subinde ualet, adeo ut si incognita tibi foret, horrendā ac prægrandem admodum putares beluā ubi uocem eius audires: hinc & à poetis proprio epitheto clamose rane uocari subinde solent. Ita & minæ tyrannorum sola uoce terribiles sunt, re ipsa haud admodum possunt nocere pijs. An non ranis adsimiles sunt oratores illi loquacissimi, ac uocalissimi legati à latere ad reges ac orbis principes, potentiam ac uim armorum Pontificis maximi ampullosis ac minacibus uerbis detonantes, quò illos ad expeditionem sanctissimæ cruciatæ, ut uocant, aduersus hæreticos, aut alioqui aduersus reges sanctæ Romanæ ecclesie inobedientes permoueant? Qualis Iulianus cardinalis erat, qui superioribus annis Sigismundum imperatorē, ac reliquos Germaniæ principes ad Cruciatam aduersus Bohæmiæ regnū cōcitauit. Item Campegius, qui hac nostra tempestate Carolum Cæsarem alioqui piū ac frugi principem aliosq; Christianos principes ad arma aduersus Lutheranos malos hæreticos instigare nō cessat. Deinde ranæ sunt theologi sophistæ, qui clamorosis disputationibus Romani pontificis potestatem omnium maximam esse in cœlo & in terra & sub terra uociferantur. Iam et declamatores illi facundissimi, qui magnis uocibus sanctitatem reliquasq; beatissimi illius patris egregias uirtutes & portentosa miracula pro suggestu deprædicant, quò ad obedientiam pariter ac reuerentiā eius permoueant uniuersos.

Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.] Nimirum iuxta apostolum Paulum mendacia. Qualia fuerūt illa, quæ per fratres Dominicastrum apud Bernam Helueticorum, & uirgo illa apud Augustam Vindelicorum, quæ hominibus eius urbis alioqui callidissimis ac prudentissimis sese absque ullo corporalis cibi adminiculo uitam degere persuasit. Et similia quædam, quæ in Annalibus temporum hinc inde uidere est.

Ut procedant ad reges totius terræ ad congregandū illos in prælium.] Mirum efficaces sunt in hac re efficienda sanctuli illi, qui regum ac reginarum audiunt confessiones. Hinc solet illos pontifex Romanus motu proprio & ad nullius instantiam haud spernendis dignitatibus ecclesiasticis cumulare & cohonestare, quò sibi eos huiusmodi beneficijs obstrictos reddat, & per eos ad potentissimorum regum secreta cordium penetret.

In prælium diei illius magnæ dei omnipotentis.] Dies domini magnus in scripturis dicitur, quo magno aliquo & stupendo miraculo suā exerit potentiam, atq; se unum esse deum orbi uniuerso manifestum facit, dum pios malis eripit, im-

pios uerò diris cruciatibus perdit: qualia multa sacra tradit historia, & prophetæ subinde memorant. Mire uero solatur pios nihil posse uniuersos orbis reges aduersus Christum.

Ecce uenio sicut fur.] Christus aduentū suū furi comparat, id quod & apostoli post ipsum faciunt, hac quidem ratione, quod ne cogitantibus quidē impijs quicquam de eo, præsto adsit. Pij uero inuigilant, & ad signa quæ Christus prædixit coniecturas faciunt haud longe abesse, & ad excipiendum illum, ita uiam suam attemperant, ut in omnē momentum futurum expectent. Adhicit uero per parenthesim, quo ad spem & uigiliam hortetur pios, priusquam ceptum de Antichristi interitu sermonem finiat.

Beatus qui uigilat & custodit uestimenta sua.] Vigilantiam in hoc nobis summopere commendant, cum Christus tum apostoli, quò impiorum caueamus errores: ne abiecto timore domini, fidutiā in deum, innocentia ac beneficentia erga proximos, nudī subinde in aduentu domini adpareamus. Porro turpitudine uidentur mihi ipsa praua cordis studia atq; consilia, quibus cum contra deū tum contra proximum machinati sunt, quæ tum omnibus patebunt, 1. Cor. 4. cap.

Et congregauit illos in locum qui dicitur Hebraicè Armageddon.] Ex in signi aliquo siue etiam ex infami euentu loca in scripturis nomina sortiuntur. Sic est קברות התאווה Sepulchra concupiscentiæ, Numeri 11. cap. & מרי מריבחה Aquæ contradictionis, eiusdem 20. cap. & similia in scripturis: ita hoc loco per anticipationem חרמגרון quod fortassis uerti potest, Exercitus uastationis, siue interfectionis, uel ipso infami nomine præ se ferens quid tandem Antichristianis copijs euenturum sit. D. Hierony. quem imitatur Aurigallus, in locis Hebraicis חרמגרון interpretantes montem quendā in quo castra Israëlitica figi solita. Videtur autem scribendum esse חרמגרון, sed posteritas ut in multis alijs priorum uocem aspiratione exiit, posteriorem item contraxit. Hoc uidere est de priorum uoce, Numer. 21. de loco in quo uicerunt Israëlitæ Chanaanum, quem uocauerunt חרמגרון. Et quanquam huiusmodi Antichristiani exercitus copiarum per orbem uniuersum imminet. Verisimile tamen est aliquam uehementer insignem futuram stragem, in qua Antichristus ipse cum omnibus copijs delendus sit: id quod etiam apud Danielem sub finem cap. 11. innuī uidetur.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aërem.] Hunc locum declarat Paulus apostolus Ephe. 6. Non est, inquit, nobis lucta aduersus sanguinem & carnē, &c. Quibus uerbis ostendit Antichristū cum suis copijs à sathana aduersus pios impelli, adeoque nobis in hac palestra negotium esse haud cum hominibus quos uidemus, sed uel maxime cum ipsissimo sathana huius mundi principe, ac deo huius sæculi quem non uidemus. Dicuntur uero dæmones à Christo Potestas tenebrarum, & à Paulo Rectores tenebrarum, quod suis mendacijs & imposturis incautos homines in uarios abducant errores, ac densissimas tenebras, in quibus usq; uersantes ueritatis lumen haud agnoscant. Quamobrem & Apostolus scelera atque flagitia opera tenebrarum, hoc est, ignorantia dei, uocat. Item & ipsos quoque incredulos tenebras appellat. Eratis, inquit, aliquando tenebræ, &c. Et Christus, Dilexerunt, inquit, magis tenebras quàm lucem. Porro spiritalis astutias in cœlestibus uocat, quod aërem interim caliginosum inhabitent ad exercendū homines, donec unā cum impijs infernū, hoc est, in locum quempiam damnatorum, quem Gehennam Christus appellare consueuit, Lucas euangelista Abyssum, Iohannes noster supra cap. 9. Puteum abyssi, Petrus Tartarum, 2. cap. 2. ablegentur. Finem igitur sathanici regni adesse nunciat hic septimus angelus

angelus, iuxta etiam illud 1. Corint. 15. Cum aboleuerit, &c. Et quemadmodum supra 10. cap. iureiurando angelus pollicetur. Vnde subiungit.

Factum est.] Nimirum Christo & deo regnum, abolita in uniuersum aduersaria potestate, iuxta quod in sanctis scripturis prædictum fuit, & ab æterno definitum.

Et facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terramotus.] Huiuscemodi rebus mire concuti solent ij qui deum non agnoscunt, adeoq; parum illi fidunt. Quemadmodum uidimus, ubi hæc fiunt, ut cõsternati animo fluctuent, ut expallescant, ut ue trepident, nescientes quo fugiant, quidq; consilij capiant, desperationi pene proximi. Quid igitur facturi sunt omnes impij, ubi hæc supra humanam æstimationem, qualia nunquam antea à condito mundo horrende apparebunt, ubi tota orbis concutietur machina, iam iam unã cum impijs collapsura. De quibus Matth. 24. 2. Pet. 3. cap. Porro omni fulgure magis horrenda erit impijs apparentis Christi iudicis maiestas, Matth. 25. Voces autem & tonitrua sunt uox ipsa Christi terribilis, qua interficiet impium, Esa. 11. 2. Tess. 2. et Exod. 20. Ne forte moriamur, &c.

Et facta est ciuitas magna in tres partes.] Hac scissione, sicut & hijs quæ proxime dicta sunt, maximam illam totius orbis rerumq; omnium immutationem significat; quemadmodum ubi dominus descendit in montem Sinai legem daturus, dicuntur montes præterrore ut arietes exiliisse, & apud Zach. cap. ult. ubi dominus pro ecclesia aduersus Antichristum pugnaturus in monte Oliuarum steterit, medium montem scindendum fore. Ita & hoc loco ciuitatem magnam, hoc est, ipsum orbem, in tres partes scindendum prænunciat.

Et ciuitates gentium ceciderunt.] Id est, omne robur fiduciaq; gentium simul in uniuersum periit. Porro gentium nomine quoscunque intelligit, qui gentium in morem deserto uero unius dei cultu, ad uanũ ac supersticiosum cultum, iuxta adinventiones uanissimorum hominum, prolapsi sunt.

Et Babylon magna uenit in memoriam.] Hæc est ciuitas illa magna, quæ præ opibus ac magnitudine potentia suæ, omnium securissima agere uidebatur, & prorsus impossibile fore putabat, quod unq; casura esset, adeoq; pro libidine grassabatur in pios quoslibet, quasi deus illud non uideret, aut oblitus esset. Ideo inquit, Venit in memoriam, nimirum quando de impietate illius uindictam sumit.

Omnis insula fugit & montes non sunt inuenti.] Nam quemadmodum paulo ante diximus, ita horrende tota mundi machina quatietur, ut mōtes quicq; altissimi per medium scissi ruituri sint: sic & marinæ insulae collapsæ, marinis fluctibus absorbebuntur. Per hoc autem significat nullum impijs patere effugij locum, quo se à furore uenientis iudicis abscondant. Nam alioqui solent diuites ac potentes, ubi bellici ingruunt tumultus, aut pestis grassatur, ad recessiores maris insulas montesq; abruptiores sese recipere.

Et grando magna sicut talentũ descendit.] Quemadmodũ grando ingens sub diuo uersantes nullo impedimento grauissime percutit: ita irati iudicis sententia, nemine tamen resistente, aut mediũ se interponente, uno ictu simul omnes impios comminuit, iuxta illud Mat. 21. Super quem ceciderit lapis ille, conteret eum. Alludit uero Iohannes ad grandinem Aegypti.

Et blasphemauerunt deum propter plagam grandinis.] Obstationem impiorum exaggerat. Quasi dicat, Ne tum quidem, quãdo impij certissimis experimentis exploratam habuerunt Christi iudicis maiestatem ac inuictam potentiam, illum ut decebat glorificauerunt, sed obstinati in suis blasphemijs perstiterunt.

Id quod in impio Pharaone ostensum fuit, qui flagellis dei magis ac magis subinde induruit, tantum abfuit, ut iuxta dei imperium populum dimitteret, donec in mari rubro persequens illum, undis opertus, periit.

Propter plagam grandinis, quoniam magna facta est plaga eius ue.] Mira uerborum auxesis est. Primū dixit grandinem magnam: deinde sicut talentum: & addit de coelo in homines: postea plagam uocat, & magnam, & tandem uehementer magnam

CAPVT XVII.

ET uenit unus de septem angelis qui habebant septem phialas, & locutus est mecū, dicens, Veni, & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terre, & inebriati sunt qui inhabitabant terrā de uino prostitutionis eius. Et abstulit me in spiritu in desertū. Et uidi mulierem sedentem super bestiam coccineā, plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide precioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis suæ. Et in fronte eius nomen scriptum mysteriū: Babylon magna, mater fornicationum & abominationū terræ. Et uidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Et miratus sum cum uiderē illam, admiratione magna. Et dixit mihi angelus, Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestię quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem. Bestia quā uidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abyssu, & in interitū ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorū non sunt scripta nomina in libro uitæ à constitutione mundi) uidentes bestiam quæ erat & non est. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt. Quinq; ceciderūt, unus est, & alius nondum uenit, et cum tulerit, oportet illum breue tempus manere. Et bestia quæ erat et non est: & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitū uadit. Et decem cornua quæ uidisti: decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipiēt post bestiam. Hi unum consiliū habent: & uirtutem, & potestatem suam bestię tradent. Hi cum agno pugnabunt: & agnus uincet illos, quoniam dominus dominorum est, & rex regum, & qui cum illo sunt uocati: & electi & fideles. Et dixit mihi, Aquæ quas uidisti ubi meretrix sedet: populi sunt, et gentes, & linguæ. Et decem cornua quæ uidisti in bestia: hi odient fornicariam, et desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. Deus enim dedit in corda eorū, ut faciant quod placitū est illi: ut dent regnum suum bestię, donec consummentur uerba dei. Et mulier quā uidisti: est ciuitas magna, quæ habet regnū super reges terræ.

T uenit unus de septem angelis qui habebant sep.] Quoniam supra cap. 14. & precedenti cap. mentionem fecerat ciuitatis magnæ, quæ Babylonem uocat, mysticâ sequutus rationem, de qua in superioribus auditum fuit, igitur nunc graphice illam describit, & suis (quod aiunt) depingit coloribus.

Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ.] Scortationem scriptura Apostasiam à deo uocare solet, cui unice fidere oportebat, quem super oia diligere conueniebat, in quo uiuimus, mouemur, & sumus, ad res frivolas, ac uana idola, quæ iuuare, ubi necessitas ingruerit, non possunt. Sic habes Iud. 8. Auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt cū Baalim, percusseruntq; cū Baal fœdus, ut esset eis in deū, nec recordati sunt dñi dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorū suorum omnium per circuitum. Sic Esa. 1. de Hierosolyma, Quomodo, inquit, facta est meretrix ciuitas fidelis? Et Hiere. 2. Sub omni ligno frōdoso tu prosternebaris meretrix. Item eius. 3. ca. Fornicata es cū amatoribus multis. Item Ezech. 16. Multiplicasti fornicationes tuas. Quando igitur hoc loco meretricem magnam uocat Iohannes, uidetur mihi præcipue impudentiam & ingratitude eorū traducere, qui post agnitam Euangelicam ueritatē, post tanta seruatoris Christi beneficia, postq; in supremam dignitatem ab illo sese euectos esse gloriantur, nō modo ipsi ab eo desciscunt, sed etiā inter primos ipsum impugnant; ut magnam meretricem non tã ad apostatantium multitudinem, quàm ad magnam impudentiam ac ingratitude referamus. Quanq; non nego ad omnes omnino impios per totū orbem referri, sed tamen potissimū ad istos, qui sub nomine uicariatus Christi, ac summi apostolatus, alijsq; id genus nominibus, modis omnibus Christum ecclesia sua eijcere satagūt.

Quæ sedet super aquas multas.] Hoc est regnis & populis multis imperat. Quemadmodum namq; aquæ fluuiales fluunt & refluunt, ita generatio præterit & generatio aduenit. Item elegantissime urbes ad fluminum ripas construuntur.

Cum qua scortati sunt reges terræ.] Hoc est falsa illius religione et cultu uehementer oblectati sunt. Nam mirum in modū arridet carni cultus ille externus ac splendidus, quo putat deo satisfactum, manente tamen cordis impietate ac omnium flagitiorum immanitate.

Et inebriati sunt qui inhabitant terram de uino prosti, &c.] Hoc est falsa illius religione, qui carnem sapiūt, uelut uino optimo delectati sunt, et de illa usq; ad ebrietatē biberunt. An non uidetur magna ebrietas, quando totus orbis abominabilissimas abominationes manibus ac pedibus amplexatus est? Atque hoc ab homine haud admodum idoneo, sed plerūq; ebrioso, furioso, percussore, uoluptario, rapaci, arrogante, ne quid fœdius interim dicā. Adde qd contra tam apertissimas scripturas orbis illas recepit; quales sunt missa cum suo apparatu, diuorum cultus & inuocatio, statuarum sumptus & ueneratio, ueniarū pompæ, mortuorum suffragia, impurus ac fœdus cœlibatus, contemptus honesti coniugij, legitimorū coniugiorum diuortia; in summa, quicquid ausus est impij cultus apponere, hoc totum sitibundi & cum uehementi desiderio, usque ad fundum hausimus. Hinc omnium flagitiorum genera in orbem inundarunt, Rom. 1. Hinc leui ex causa, imò crebro absq; causa, inter Pontificem & reges suscepta bella, cædes & homicidia impune patrata; hinc scortationes & adulteria sine ullo pudore commissa; præterea rapinæ, usurarum fraudes, fœderum uiolatio; ecquid tandem flagitiorum ab huiusmodi ebrijs patratum non fuit?

Et abstulit me in spiritu in desertum.] Desertum uidetur mihi uocare regna & populos, quæ uel Christum aperte abiecerunt, ut Mahumetani, uel

titulum Christianitatis & ecclesie præ se ferunt, cum tamen nihil minus sint.

Et uidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.] Scitum est mulierum ac puellarum nomine ciuitates in scriptura designari: deinde ciuitatum nomine non tam populum quam eos qui in illis præsentem intelligi. Quando igitur hoc loco potissimum de religione agitur, ij præcipue mulieris nomine accipiendi sunt, qui in religione impia præsentem. Porro bestia mihi uidentur ij, qui meretrici ab officio sunt, iussa illius faciunt, eamque in sublime uehant. De quibus apud Daniele cap. 11. Et faciet præsidij fortissimis cum deo alieno. Quales sunt principes, episcopi, abbates, doctores, qui uel gladio, uel opibus, aut scriptis Papisticam adiuuant & conseruant impietatem.

Coccineam.] Hoc est martyrum sanguine cruentam. Nam cum meretrix ipsa, tum bestia cui insidet, piorum sanguinem sitiunt: quorum subinde desiderium brachium seculare exequitur. Sic impietas cum Mahumetana tum Papistica gladio se defendit. Hinc Pontifex Rom. imperium primum à Grecis ad Gallos, deinde à Gallis ad Germanos, quos uidebat ualere armis, transfudit, triplicis coronæ minister.

Plenam nominibus blasphemie.] Qualia sunt illa, Pontifex maximus, beatissimus, sanctissimus, clementissimus pater, uicarius Christi, clauiger cœli, Papa, hoc est, pater patriæ. Deinde reuerendissimi cardinales, archipræsules, patriarchæ, primates, prepositi, decani, canonici, archipresbyteri, archidiaconi, abbates, priores, magistri, præceptores, commendatores. Nam quemamodum ipse Antichristus sua habet nomina blasphemie, ita & ij qui illi ab officio sunt, & iureiurando obstricti sua, quæ scriptura prorsus ignorat. Habuit enim primitiua ecclesia ministros, dispensatores, presbyteros, episcopos, apostolos, euangelistas, prophetas, pastores, doctores, quæ officij ac laboris non arrogantia nomina sunt. Sic autem dimus & sacrosanctam sedem, sacrosanctos canones, sacrosanctas indulgentias, in summa, omnia illorum sacrosancta appellari, quales quales ipsi interim sint.

Habentem capita septem & cornua decem.] De quibus cap. 12. diximus. Circundata purpura & coccino.] Vel ex ipso habitu & ornatu externo facile conijcies mores & studia meretricis illius. Videtur autem alludere Iohannes ad falsam doctrinam siue mundanã sapientiam, quam uera, hoc est diuina sapientia, sub typo fucata meretricis inducit, Prouer. 5. & 7. cap. Purpura autem eminentiam præfert regiam dignitatem, coccino uero sitim cruoris.

Inaurata auro & lapide precioso & margaritis.] Hypocritam & fictam significat sanctitatem, quibus suas abominationes occulere satagit, quo facilius incautos fallat, & in sui admirationem pariter & amorem pertrahat, iuxta illud, Sepulchra dealbata, &c. Vel si mauis iuxta Daniele, Studium diuitiarum, diuini cultus pretextu, Dominabitur, inquit, thesauris auri & argenti, & omnibus concupiscibilibus, &c. Id quod in nostro Antichristo, ut de Mahumetana successione interim taceamus, satis clarum, qui auro & argento regum omnium Christiani nominis potentissimus ac ditissimus habetur. Sed rogas unde tantas potuerit corraderes opes. Respondeo, facile id liquere si perpendas: Primum uenditionem omnium beneficiorum ecclesiasticorum in mense Papali per uniuersum Christianum orbem. Deinde perpetuam pinguiorum beneficiorum in ecclesijs cathedralibus & collegiatis reservationem. Tertio annatarum exactiorem. Quarto pallia & confirmationes episcoporum, abbatum, ac prælatorum ecclesiasticorum. Quinto deuolutionem ac reuocationem omnium causarum ad illorum consistoria. Sexto excommunicationem in infinitis casibus tam à iure quam ab homine, & rursus absolutionem,

solutionem. Septimo annuas omnium proventuum decimas. Octavo indulgentias omnium peccatorum plenarias, etiam pro mortuis in purgatorio. Nono diuorum canonizationem. Decimo decimas decimarum in subsidium sanctae Cruciatæ. Undecimo casuum pro libitu reservationem. Duodecimo dispensationem in gradibus prohibitis, bathardis, cibis, uotis cum claustralibus tum communibus, et peregrinationibus. Decimotertio cōsecrationes multarum rerum. Decimoquarto mortuaria & sepulturas. Decimoquinto legata ad pias causas. Decimosexto missas & oblationes. Decimoseptimo sacramentalia. Decimooctauo donaria ad diuorum statuas & tumulos. Decimonono fraternitates. Vigesimo exactiones et imposturas quæstionariorum. Vigesimo primo incertorum restitutiones. Vigesimo secundo successionem in hæreditatem eorum qui legitimos hæredes non habent. Vigesimo tertio quod ipsi clerici cōsanguineis in hereditate succedunt, non contra. Vigesimo quarto emunitatem ab oneribus ciuilibus. Vigesimo quinto bonorum pauperum ac omnium ecclesiarum administrationem. Vigesimo sexto legitimorum coniugiorum prohibitionem ac scortorum permissionem. Vigesimo septimo duorum episcopatum unionem, & unius in duos diuisionem: id quod Iohannes eius nominis uigesimalis secundus sapius fecisse legitur, qui & ingentem thesaurum reliquit, nempe aurearum drachmarum 25. millia, hoc est millies 25. millia: quod scripsisse arduum quippe uidetur, nec legitur alijs temporibus Ecclesia Romana fuisse locupletior: lege in fine Chronicorum Eusebii, hoc est in Matthei Palmerij Florentini Chronicorum post Euse. Postremo regulam, Quod semel deo dicatum est, &c. per quam se omnium rerum, quæ deo dicantur, dominos constituunt. Quando uero uasa ecclesiarum aurea & argentea deo dicata putentur, non amplius in potestate laicorum sunt, sed clericorum, ut de illis, quod libuerit, statuunt. Idem de statu aureis atque argenteis, crucibus ac reliquijs, auro, argento & lapidibus preciosis uestitis, atque omnino de censibus & dotibus ecclesiarum. In his omnibus reperierunt sibi copiosissimas auri & argenti mineras, quando tamen omnia hæc pauperum Christi sunt: & cum Hieronymus tum Ambrosius ea necessitatis tempore in pauperes distrahenda censent, illi contra in scorta & Ganymedes suos, in canes uenaticos, equos cataphractos, & armatas copias profudunt. Et cum tantas possideant opes, adhuc tamen illis, quas nondum habent, inhiant. Adde super hæc omnia ementitam illam Constantini Cæsaris donationem, quam iactant: nimirum urbes, oppida, castra nobilissima, quæ potius à Gallorum regibus, post defectionem pontificis Romani à Cæsare, quæ ab ipso Constantino donationis titulo possident, ut uerius merces proditiōis, quam donatio dici mereatur. Atque hic impudentem attende blasphemiam, quando audet hæc patrimonium Christi iactare, uel Christo cōtradiciente, Vulpes, inquit, foueas habent, &c. Aut si Petri patrimonium uocare uoluerit (nam utrumque illorum iactat) cōtradicit Petrus, Argentum, inquit, & aurum non est mihi. Et si unquam Romam uenit, in baculo euenit. Item Papa ingentibus armatorum copijs pro patrimonio apostolorum beligeratur, cum Paulus dicat, Arma nostræ militiæ non carnalia sunt, &c. Et tamen usque se Vicarios Christi gloriantur, cum nihil minus quam iussa Christi persequantur, id quod Vicariorum erat. Gloriantur se Apostolicos, hoc est apostolorum in ministerio successores, cum Apostatici potius dicendi erant.

Habens poculum aureum in manu sua plenum abomina. De immunda Mahumeti lege & abominabili doctrina, non est quod nos plura adferamus, quando noster Antichristus, aduersus quem nobis certamen est, haud multo pauciores & tolerabiliores in suis Decretalibus propinat: quamquam in poculo aureo illas propi

nat, nempe sub nomine Vicariatus Christi, sub specie doctrinæ Euangelicæ, & id genus speciosis nominibus, quod omnia ex instinctu spiritus sancti, & quod non possit errare, &c.

Et in fronte eius nomen scriptum, *Mysterium: Babylon mater.*] Non quidem aperte & sub hijs uerbis, sed in mysterio hunc titulum præfert, quem tamen pij spiritu illustrati, in fronte meretricis legere & intelligere possunt; quemadmodum supra de nominibus blasphemæ, quæ impijs speciosa & sancta uidentur, dictum est. Notum uero est Romam ab antiquo se matrem & dominam aliarum urbium totius orbis iactasse; id quod quidam Ecclesiastici etiam tempore Hieronymi iactare cœperunt, ut in epistola illius ad Euagrium est uidere. Item, Cum in Babylone uersarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritum uirum, uolui garrere aliquid de spiritu sancto, & cœptum opusculum eiusdem urbis pontifici dedicare. Et ecce olla illa quæ in Hieremia post baculum cernitur, à facie Aquilonis cœpit ardere, & pharisæorum cōclamauit senatus, & nullus scriba uel fictus, sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum aduersum me imperitiæ factio coniurauit. Hanc egregiam Romæ sui temporis laudem, Hierony. in præfatione libri *Didimi de Spiritu sancto*, adfert. Quid de illa nostra Roma, si reuisceret uir sanctus, diciturum putas? Eadem etiam blasphemia inscripserunt ei titulum Romæ æternæ, quod putarint regnum illius æternum duraturum; id quod simili blasphemia de sua sacrosancta sede iactat pontifex Romanus. Porro hic uides spiritu sancto traduce, qualis sit mater; nempe omnium scortationum & abominacionum cum in doctrina tum in uita, unde ceu è sentina in orbem Christianum demanant.

Ebriam de sanguine sanctorum.] Manifestum est æquè Papam atque Romanos Cæsares olim, & Turcam hodie gladio suam factitiam tueri religionem.

Ego dicam tibi mysterium mulieris & bestię. Bestia quam uidisti.] Romani imperij monarchia iam tum propter ciuilia & intestina bella concuti & labefactari cœperat, adeoq; prope interitū erat; quemadmodum & Paulus in 2. *Thess.* subindicare uidetur. Huic successit Alcoranum & Papatus, in quibus ea monarchia redintegratur, ut supra ca. 13. uisum fuit. Hæc igitur titulotenus iactata orbis monarchia, post scissum & ablatum Rom. imperium, ascensura erat in locū eius, à paruis primum initijs; quid enim piscatore & gregario milite humilius; quæ & ipsa tamen interibit, nec æternum, ut iactat, durabit.

Et mirabuntur inhabitantes terrā.] Quis oro non miraretur Alexandros, Iulios, Clemētes, de eiectis regibus, de recuperatis ecclesiæ terris, de superatis Florentinis, atq; alijs id genus uictorijs triumphantes; ut interim Turcarum obmittamus triūphos. Quid si daretur ueris agere; hoc est si uere, quod iactant, orbis monarchiæ essent Rom. pontifices. Tū profecto Iulij Cæsaris uideres triumphos, imò lōge magnificentiores. Verum ij tantum mirabuntur, quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ agni, hoc est toti caro sunt, spiritus omnino expertes.

Videntes bestiam quæ erat & non est.] Hoc est, uidentes Romā illam ueterem atq; collapsam in Pontificis & curiæ illius arrogantissimo fastu quodammo do reuixisse; neq; tamen reuera ea est, quam se simulat & iactat; hoc est quamlibet sese iactat Caput, matrem, dominam orbis, & omnium supremam in terris habere potestatem, multis tamen numeris ab illa ueteris Romæ abest potestate.

Et hic est mens quæ habet sapientiam.] Id est, hic mente, hic sapientia opus est, ne quis & meretricem & ipsam bestiam adeo demiretur, ut putet id esse quod iactant.

Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges sep.] Videtur sub mysterio ad Romā septicollē alludere, quæ tū orbi, hoc est uniuersis regibus dominabatur. Hic uides fortissima illa præsidia, quibus meretrix, hoc est falsa religio, ipsa ecclesia malignantium, ipsa Sathanæ synagoga nititur ab initio. Quinq; ceciderunt, unus est, & alius nondū uenit, & cū uenerit oportet il.] In re admodū obscura, qualis nedū præsens locus, sed ferè totus liber quē tractandum suscepimus, probabilibus utendū est coniecturis. Porrò suprā c. 12. septē regna mundi ostendimus, quæ ferè ab ipsiſ Abrahamæ tēporibus, parturienti ecclesie, & subinde illius proli ad finē mundi usq; insidiātur, & aperto quoq; Marte incelsi sunt. Nempe primū Aegyptiorum, sub quo et Chananeorū reges ueniunt. Secundum impiorum Israel & Iuda regum, sub quibus Syriæ reges, qui simul cū impijs regibus Israel infensi fuerunt populo dei. Tertium Babyloniorum iunctū Assyrijs. Quartum Persarū ac Medorum. Quintū Græcorū qd & Macedonum. Sextū Romanorum. Septimū Mahumetanum et Pontificiū qd Antichristi est. Verum sunt qui hunc in modum septem siue octo (ut hic dicitur) regna computent. Primum à Cain qui monarchiā sibi uindicauit, in cuius regni caput ciuitatē Hanoch extruxit, qui unā cum omni sua posteritate diluuiō perijt, Gen. 5. et sequentibus tribus. 2. Nymroth qui de posteritate Cham per Chus descendens, cuius regni caput Babel in terra Sennear, quorum superbiam altissimus stupendo illo linguarum miraculo castigauit, Gene. 10. & 11. 3. ab Assur qui ædificauit Niniuen, à quo deinde regnū Assyriorum, qd sequenti tempore Babylonico Chaldeoꝝ coniunctū fuit, ut est uidere in sacra histo. Gen. 10. & 2. lib. Reg. sub q̄ intelliguntur Aegypti, ac Syriæ, Israelis & Iudæ regna, quæ populum dei, hoc est uere pios mire adflixerunt, testibus historijs sacris. 4. Persarū ac Medorum, ut in Esa. & Dan. Quæ uero & qualia sub illis tulerit populus dei mala, Esræ ac Neemiæ docet historia. 5. Græcorū siue Macedonū, sub q̄ grauiā passi sunt Iudæi, à Ptolemæis Aegypti, & ab Antiochis Syriæ regibus, quemadmodū in Machabæorum historia leges. 6. Romanorum, de quo partim in Machabæorum, partim in Euangelica ac plenè in Iosephi historia habetur, quantū ad Iudaicum attinet populum: quantū uerò ad Christianum, in Ecclesiastica historia Eusebij. 7. Antichristi, ex quo adparet qd adueniente Antichristo Rom. imperium extinctum iri oporteret. Hæc sunt septē capita in Bestia suprā c. 13. Septem mōtes & septem reges ut in præsentī ca. ex quibus quinq; tū, quando Iohannes hæc scribebat, præcesserant. Sextus uerò, hoc est Romanus Cæsar tum erat, hoc est imperium tenebat orbis. Septimum uerò, nimirū Antichristi, qd Romano imperio erat successurum, nondū aduenerat, cuius initium Mahumetanum puto intelligendum. Porrò Bestia, quæ hoc loco Papisticam ecclesiam simul cum capite suo mihi referre uidet, octaua est, & de septē est. Nam simul cum Mahumeto extinctam illam Rom. imperij monarchiam redintegrant. Quanc̄ sunt, qui octauum ad gētes Gog & Magog putent referendū: nos tamen ideo de Rom. pontifice intelligendū putamus, quod ille quis ante Mahumeti imperium tyrannidē in religione supra alias orbis ecclesias sibi uindicarit, longe tamen postea illā brachio sæculari tueri cœpit, donec tandem in tātā euasit potentiam, ut ipsi Cæsari quoq; suo tutori, armis sit factus potentior, adeoq; formidabilis. Illius ergo tyrannis ad regnorum mundi pertinet numerū, ideo ait Iohannes, De septem est. Propter tamen singularem nequitia operationem, suo etiam continetur ordine, & ideo ait Iohannes, Et ipse octauus est.

Et cum uenerit oportet illū breue tēpus manere.] Cum Antichristus, quem admodū ex præcedentibus adparet, iam annis circiter mille regnarit, breue illud

tempus, de quo hic Iohannes & aliàs sæpe scriptura meminit, eò referendū puto, quod iuxta apostolorū doctrinam, totū illud tempus à Christo passo, breue ac nouissimū dicatur. Item qđ impj̄ dies suos breuiare dicuntur, & qđ in medio cursu sistuntur, repente & inopinato superuenturū illis interitū: ac similia ad piorū consolationem, & quod dñs adfuturus sit illis in tempore opportuno, cū tamen iubentur esse lōganimes, & præstolari dñm si moram fecerit, &c. id genus. Quia tamen p̄sens locus, ceu diximus, admodū obscurus & difficilis, placet ut August. quoq; expositionē, lectori gratificaturi adferamus, quanq̄ mihi generalior uideatur, q̄ ut huic loco propriē quadret. Sic uerò exponit, Bestia fuit & nō est, &c. Hoc, inquit, intelligit, qđ ex populo malo, nascatur populus malus, & possit dici Bestia ex bestia, Abyssus de abyssso. Quid est bestia ex bestia, nisi populus malus nascēs ex populo malo? Hoc fit dū filij mali parētes pessimos imitant, ac sic dū alijs moriētibus succedunt alijs, nunq̄ desunt siue in paucis siue in multis, siue occultē siue apertē, qui non ab initio semper insidient ecclesiæ. Huius exemplū ponit paulo antē iam dicta uerba de pharisæis, q̄s Christus Matt. 23. dicit lapidasse Zach. prophetā, cum tamen ipsi hoc nō fecerint, sed quia p̄nepotes erant illorū parricidarū, qui hoc scelus patrauerāt, illos fecisse dixit, & idē illi in Christo & apostolis paraturi erant.

Et decē cornua q̄ uidiſti decē reges sunt qui regnū nondum ac.] Hoc puto uel ad uniuersos oīno Cæsares Latinos post Carolū cognomento magnū referendum, postq̄ facti sunt Ro. p̄rifici iureiurando obstricti, cū antea Cæsaris suffragio & auctoritate Ro. pontifex inauguraretur. Aut si mauis referre ad reges, qui sub Rom. sunt orbe, satis ad numerū denariū quadrare uideť qđ hic dicit Iohan. Nam est Neapolitanus, Portugalia, Hispaniarū, Gallus, Anglus, Dacus, Suedus, Polonus, Vngarus, Bohœmus. Hos em̄ occidens siue Christianus orbis hodie habet reges, p̄ quos et alijs principes intelligunt. Nec multū aberrarit, qui ad archiepiscopos hæc retulerit, quales plures habet Italia, Hispania, Gallia, Itē qualis in Anglia Eboracensis, Cantuarien̄. In Hungaria Strygoniēsis. In Germania Magdenbur. Coloniaen̄. Moguntin̄. Saltzburgen̄. atq; alijs plures quos longū foret enarrare, qui ferē oēs regū ac summorū principū æquant, modo non superent etiā, potestātē, ut interim trāseamus cardinales, patriarchas, primates, abbates, p̄ceptores sancti spiritus & S. Anthonij, ac Valentini, cōmendatores militum D. Iohannis, Teutoniorū, S. Georgij, ac aliorū censu potentissimos, & satrapas planē referentes. Hij oēs potestātē suā cū bestia, postq̄ cœpit haberi deus quidā, hoc est post scissum imperium cōmunicant, & sedulo subfamulantur, ubi illos cōtra quos uoluerit inuocarit. Idcirco Iohannes dixisse uideatur, Potestātē tanq; reges accipient, qđ nō proprio suo, sed Antichristi illius regant arbitrio, adeoq; haud ueri reges, sed tanq; reges. Iam uero in Mahumetano siue Turcico imperio, rem similiter habere, & omnes principes unī regi subfamulari, suprā quoque ostensum est.

Hij unum consiliū habent & uirtutem & pote. &c.] Nam sunt illi hominibus obstricti, pedes exosculātur, et beluā proni adorant, iussis obaudiūt, legibusq; illius obtēperant; & in summa, uno cōsilio, uno studio, Christi euangelio p̄ Antichristi dogmatis aduersantur, persuasi illum solū habere scripturarū clauem ac sensum Christi, & spiritū Christi in pectus illius demigrasse, imò deū quendā esse.

Hij cum agno pugnabunt, & agnus uincet illos.] Hic uides ut illi omnes unā aduersus agnū pugnent, cui tamen se inseruire uel iactant, uel etiam putant. Porrò mirabile certamen, mirabilior item uictoria. Solent enim in theatris truces inuicem committi feræ, nō agnus cum leone; in hoc uero certamine agnus cum septemcipiti omnium ferarum atrocissima committitur. Pugnatur igitur Agnus cum

cum Dracone & uincit: uincit uero sola mansuetudine & patientia, 1. Pet. 2. Sic pugnant & electi cum bestia, quam & ipsi mansuetudine ac uerbo dei uincunt, permittentes se illi qui iuste iudicat. Sciant ergo cuncti electi, hanc non suam, sed Agni esse pugnam, cuius & uictoria quoque erit, ipse et pugnat & uincit in electis, quamlibet illi, ceu uicti, trucidentur. Ne igitur terreantur, ne locum cedant, hic fortiter occumbere, uincere est.

Quoniam dominus dominorum est & rex regum.] Causa est cur uincet agnus. Nam ponet illi pater inimicos eius scabellum pedum suorum, cui dedit omnem potestatem in caelo & in terra, quem constituit iudicem uiuorum ac mortuorum, solus ille habet imperium rex saeculorum immortalis. Porro dominus dominorum & rex regum dicitur, quod ex ipso & per ipsum illi regnant, hoc est quantum ille concedit: quorum & cor in manu eius, qui illos in medio diiudicat, & spiritum eorum ubi uoluerit aufert.

Et qui cum illo sunt uocati & electi & fideles.] Subaudiendum est, simul uincant. Porro apostolus Paulus nos in illo electos & uocatos testatur Ephe. 1. Perinde igitur est atque dicit: Non solum agnus uincet bestiam, sed etiam electi & uocati in illo uincant, ut fideles permaneant. Id quod demum uincere est, si perdurauerimus, quicquid temptationis, quicquid aduersi tandem acciderit.

Et dicit mihi, Aquae quas uidisti ubi meretrix sedet, populi.] Hic uides haud uno loco, aut uni genti, aut linguae tantum dominari Antichristum, sed omnibus omnino gentibus ac populis & linguis, id quod religione potissimum fit. Porro hii populi falsa religione seducti, cum fide ac metu dei uacui sint, grauissimo impetu, fluminum instar rupto aggere, in quaeruis feruntur flagitia.

Et decem cornua quae uidisti in bestia: ij odio prosequuntur mer.] Hinc fore arbitror, ut olim agnitis per Euangelij praedicationem abominationibus, & reuelato Antichristo, tandem hos reges osuros meretricem, ab ea desciscituros & contempuros illius auctoritatem, terras, quas dolo ac tyrannide occupauerat, ablaturus, tributa & seruitutes, de quibus supra diximus, negaturos, eamque nudam omnique auxilio destituturos. Quam sunt qui impletum hoc partim existiment, ubi Romani Caesares deserto idolorum cultu, Christi Euangelium receperunt. Item alij de tyrannis intelligunt, qui pulcherrimas ciuitates, et locupletum multitudines gentium, quibus imperabant, nunquam in pace sua florere permiserint, bellis omnia uastantes. Id quod uel de ipso Nerone adparet, qui in Romaniam urbem omni honeste crudelior fuisse proditur ab historiographis.

Et carnes eius comedent, & ipsam igne concremabunt.] Ipsam sic deserentes & contemptui habentes, miris adficient cruciatibus: id quod est carnes illius comedere et igne concremare, *Dañ sy ist zart erzogen/ vnd thut jr die schmach weesy hat sinen nitt gewont.* Et si quis perpendere uelit, hodie nemo plus nocet ecclesiasticis, atque ij ipsi qui defensionem eorum susceperunt: nam egregie deglubunt eos, quo uel sic tandem nudati, forte pacem amplectentur quidam ex eis.

Deus enim dedit in corda eorum, &c. ut dent regnum suum bestiae.] Voluntate, inquit, dei fit, si miraris qui fiat ut reges Bestiae faueant, qui impij magis ac magis tanta foelicitate excaecentur, pii uero malorum persecutione exercentur, ne mundum ament, sed totis animi uotis ad deum suspirent, ut e manu impiorum se liberet, gloriam suam de ipsis uindicando. Sic uoluntate dei cor Pharaonis induratur, & uoluntate dei sacerdotes Iudaorum in Christum fauiunt. Et quemadmodum Paulus ait, Mittet illis deus efficaciam illusionis, &c. Quam sunt qui relativum Illi, non ad deum, sed ad bestiam putent referendum, ut subaudiatur bestia, in hunc modum, Ut faciant quod illi, subaudi bestiae, placitum est. Verum de hoc lector iudicet.

Debet igitur nos ad tolerantiam quarumlibet grauissimarum persecutionum animare, quod sciamus omnia uoluntate patris fieri ad gloriam ipsius ac nostram salutem.

Et mulier quam uidisti, Est ciuitas magna, quae habet regnum super reges. Ciuitas illa magna est, ubi praesidet falsa religio, undeque, ceu egyptina, ad uniuersos reges, principes ac populos demanat, siue illam Babylonem siue Romam libeat appellare: nam utraque illarum propter falsam religionem qua sunt imbutae semper ferunt populum dei impugnant. Sic Hierosolyma typum habet ecclesiae, & ciuitatis dei, unde cum tandem uerbum dei ad gentes demanat, iuxta illud Esa. 2. De Zion exibit lex, &c.

CAPITULUM XVIII.

ET post haec uidi alium angelum descendentem de caelo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est a gloria eius. Et exclamauit in fortitudine dicens, Cecidit cecidit Babylon magna: & facta est habitatio daemoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis uolucris immundae & odibilis. quia de uino irae fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terrae cum illa fornicati sunt: & mercatores terrae de uirtute deliciarum eius diuites facti sunt. Et audiui aliam uocem de caelo, dicentem, Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quonia perueniunt peccata eius usque ad caelum, & recordatus est dominus iniquitatum eius. Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis: & duplicate duplicia secundum opera eius. In poculo quo miscuit uobis, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum et luctum: quia in corde suo dicit, Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo. Ideo in una die uenient plaga eius, mors, et luctus & fames, et igne comburetur: quia fortis est deus qui iudicabit illam. Et flebunt, et plangent se super illam reges terrae, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis uixerunt, cum uiderint fumum incendii eius: longe stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes, Vae uae ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quam una hora uenit iudicium tuum. Et negociatores terrae flebunt, & lugebunt super illam: quam merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti & lapidis preciosi, & margaritae, & byssi, & purpurae, & serici, & cocci, & omne lignum thymum, & omnia uasa eboris, & omnia uasa de lapide precioso & aramento, & ferro, et marmore, et cinamomum, & amomum, & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & uini, & olei, & simile, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum. Et poma desiderii anime tuae discesserunt a te: & omnia pingua & praecleara perierunt a te, & amplius illa iam non inuenient mercatores horum: qui diuites facti sunt: ab ea longe stabunt, propter timorem tormentorum eius, flentes, ac lugentes, & dicentes, Vae uae ciuitas illa magna, quae amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide precioso, & margaritis: quonia

am una hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ : & omnis gubernator, & omnes qui in lacum nauigant, & nauitæ, & qui in mari operantur, longè steterunt, & clamauerunt uidentes locum incendiij eius, dicentes, Quæ similis ciuitati huic magnæ: Et miserunt puluerem super capita sua: & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes, Væ uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes qui habebant naues in mari de pretijs eius: quoniam una hora desolata est. Exulta super eam cœlum & sancti apostoli & prophetæ: quoniam iudicauit deus iudicium uestrum de illa. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens, Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna: & ultra iam non inuenietur. Et uox citharæ & musicorum & tibia canentiũ & tuba, non audietur in te amplius: & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius, & uox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te amplius, & uox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in ueneficijs tuis errauerunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarũ & sanctorum inuentus est: & omnium qui interfecti sunt in terrâ.

H post hæc uidi alium angelum descendentem de cœlo.] Hæc est sexta huius libri uisio, in qua sub typo Babylonis describitur iudicium ecclesie malignantiũ, hoc est Antichristi & regni illius excidiũ. Hoc itaq; descripturus, Primum inducit angelos qui hoc annuncient, et ad prope ram fugã in habitates urgeant. Secundo inducit eosdẽ angelos ad pœnarum atrocitatem electos, quasi malorũ tortores, instigantes. Tertio fingit reges terræ, negotiatores & naucleros super illius excidione quasi threnos cõcinẽtes. Quarto piorum ac coeliturũ super eadem excidione epinicion. Porro hæc omnia mira amplificatione & ὑποτύπωσι rem ita oculis subiicit, ut corã geri uideatur. Sic etiam apud prophetam Esa. cap. 13. & 14. & Hiere. cap. 50. & 51.

Habentem potestatem magnam, & terra illuminata est.] Beda, post quẽ & alij quidã, hunc angelum Christũ intelligunt, qui æqualẽ patri habet potestatem. Verum nihil impedit, quin et aliũ quempiam ex sanctis illis spiritibus administratorijs, qui sententiã illam de impia ciuitate latam propalet, intelligamus. Atque ob id magnam habere potestatem dicatur, quod seuiissimũ illud & horrendissimum de magna ciuitate, hoc est de regno Antichristi, iudicium annunciet. Porro Babilonicæ ciuitatis originem, studia & mores eorum, qui illam primum extruxerunt, hoc est mundi amatorum, habes Gen. 11. cap. & Psal. 55.

Cecidit cecidit Babylon magna & facta est habitatio dæmo.] Hoc nũcio solantur ac roborantur pij, ne in persecutione Antichristi animis defatigati frangantur. Alludit uero ad 13. c. Esa. ubi terrenã illam Babylonẽ uastandam, & monstris solitudinũ perpetuò inhabitandã uaticinatur. Id quod Iohannes hoc loco de spiritali Babylone, quæ perpetua dæmonum facta sit habitatio, exponit, hoc est qd in medio dæmonum, quorum studia in præsentia uita imitata est, perpetuò sit obuersatura. Præterea apud eundem Esa. 21. ubi de iudicio terrenæ Babylonis eandem sententiã totidem uerbis habet Propheta: quos duos locos in unum Iohannes hic coniunxisse uidetur. Porro geminatio hæc, & uerbum præteriti temporis, ut

etiam supra monuimus, firmitatem & certitudinem subitæ uastationis significat. Quia de uino iræ scortationis eius biberunt oēs gentes.] Sic & Hier. 51. de illa legis. Est autē sensus, Huius perditæ urbis, cū doctrinæ instituto tū falsæ religionis exēplo, à uero unius deī cultu ac pietate apostatatae sunt omnes gētes, hoc est ex uniuersis orbis gētibus bona pars: hinc in reprobū sensum dati, omnigenis flagitijs prorsus immerſi sunt. Sic & Apostolus Ro. 1. omnigena gentium idololatrarum immanissima scelera in falsam religionē, tanq̄ in ipsissimam causam reijcit.

Et reges terræ cum illa scortati sunt.] Doctrina & exemplo eorū, qui supremae perfectionis statū præ se ferunt, deum, pietatē, omnemq̄ uitæ honestatē possiderunt. Quis quæso docuit reges ac principes friuolas ob causas, nonnunq̄ propter uanos titulos belligerari et multos innocentes occidere? Ro. pontifices, qui itidem nunq̄ nō solent. Quis sacrosanctam iurisiurandi prophanauit religionem, & irritam prorsus atq̄ contemptam reddidit? Summi pontifices. Vnde didicerunt fastum gentilium Cæsarū, & luxum plusq̄ Asiaticū Christiani principes? A Christi uicarijs, archiepiscopis, atq̄ abbatibus. A quo tandē insatiabilem habendi cupiditatem, qualibet undecunq̄ per phas & nephas corradendi, q̄ à simoniacis illis, sacrilegis, usurarijs, fraudulentis, ac pauperum raptoribus, nempe sanctissimis, reuerendissimis, ac religiosis patribus, qui pauperem Christum, & apostolos illius nobis referunt? Præterea quis adulteria, incestus, stupra, scortationes (ne quid foedius interim dicam) in aulas principum & opulentas urbes inuexit, & ut publice & impune passim committerentur, effecit? Coelibes illi & castrati patres, qui castitatem, dum sacris inītiantur, iureiurando pollicentur. Atq̄ hunc in modum de multis alijs flagitijs, quæ ab hijs, ceu è sentina in orbem Christianū demanant, dici poterat. Quis enim sibi persuaderi patietur, huiusmodi quæ iam dicta sunt deo displicere, ubi uiderit deuotissimos illos patres primos in hijs esse? Hinc uulgo iactatum est, Clericos exploratum habere, nullū omnino esse infernū, idq̄ ex illorum constare uita. Præterea si nasutulum quempiam super huiusmodi flagitijs corripueris, mox respōdebit, Num sibi liceat in hijs quoq̄ uersari, in quibus sancti illi patres tā sedulo uersentur. Porro autor libri cui titulus est Onus ecclesiæ, ca. 38. exponit hunc locum de principibus, nobilibus, ac potētibus, qui filios suos in beneficia ecclesiastica, & monasteria opulenta intrudunt, diuitiarum consequendarum non ministerij causa: indeq̄ natum adagiū siue ænigma, quod inter clericos circumfertur, Religionem peperisse diuitias, & filiam rursus deuorasse matrem suam. Et profectò uerissimum est, nullam perniciosiorem pestem contigisse ecclesiæ Christi, q̄ ubi diuitias nacta est. Tū enim q̄sita sunt opes, non ministeriū, tum coeptū est indignos præfici ecclesiæ per potentiam, tum coeperūt uendi ministeria, sicut est hodierna dies, & qui non poterant ex paternis bonis, ex ecclesiasticis principem referunt. Vnde eiusdem libri autor prædicit cap. 16. Ecclesiam in sexto mundi statu reformandam, atq̄ id per despoliationem bonorū Ecclesiæ, quibus clerici pessimè abutuntur. Scripserunt de reformanda Ecclesia, hoc est ecclesiasticis ordinibus, præcipuè pontificis Romani et eius curia, quos ego sciam grauissimi uiri Bern. abbas Clareuallis, libros de Consideratione ad Eugenium, ex monacho suo factum pontificem Romanum, Iohannes Gerson cancellarius Parisien. Petrus de Aliaco Cameracensis, Vbertinus de Casali, Nicolaus de Cleinangis, Michaël de Cesena, Gulielmus de Ockam minorita, Iohannes Salesbariensis Anglicus in Polycratico, Rodericus in Speculo humanæ uitæ, Iohannes Huss Bohæmus, Iohannes de Vuesalia Germanus: ac nostra ætate plura in diuersis operibus suis Erasmus Roterodamus, Martinus Luther, Iohannes Oecolampadius

lampadius, Martinus Bucerus, Vuolfgangus Capito Germani, ac alij plures eū ex ueteribus quā neotericis, quorum scripta uel ad manus meas nondum uenerunt, uel iam scribenti non occurrunt. Tentauerunt rem hanc p̄j aliquot Cæsares: præterea & generalia concilia, nimirum Constantiense & Basiliense, sed infœliciter, quod hæcenus semper impietas ex regibus & principibus suos sibi inuenit defensores. Neque id mirum alicui uideri debet: nam nulli hæc quā unī Christo seruatori debetur uictoria, is bestiam illam conficiet, & caput illius conteret, is Ecclesiam suam reformabit extincto impio. Oportuit olim regem Aegypti cum electis principibus undis marinis demergi, frustra hortantibus illos Mose & Aharone. Item oportuit sacerdotes Iudæorum unā cum populo ultrices dare pœnas, cum etiam Christum prophetam habuissent. Sic & isti in suis pergent sceleribus, donec definitum ultionis tempus repente aderit, iuxta Prouer. 1. & Lu. 17. & 21. cap.

Et mercatores de uirtute deliciarum eius diuites facti sunt.] Compertum est, mercatores quosdam beneficia Ecclesiastica & indulgentias per plures diœceses à meretrice illa emisse, & rursus uendidisse alijs. Præterea quicquid usquā in extremo orbe deliciarum est, aduehunt & purpuratæ ac auro diuiti copiam illarum faciunt, iuxta adagium, *Was gut ist gehört in die pfaffen:* & hi tamen alijs multa præcipiunt ieiunia.

Exite de illa populus, ut ne participes sitis delictorum eius.] Simile habetur Hier. 51. Esa. 48. Zach. 2. atq; alijs locis in prophetis. Nam omtino properam esse uolunt nostrā ē Babylone fugam. Qualem uero hanc esse oporteat, alijs quoque locis docet scriptura. Ait namq; Christus, Venite ad me omnes qui laboratis, Matth. 11. cap. Item Paulus 1. Cor. 5. Ne cōmiscemini fornicarijs, &c. & eiusdem 7. ca. Qui utuntur hoc mundo tanq̄ nō utantur. Præterit enim figura huius mundi. Itē 1. Pet. 2. Obsecro uos tanq̄ aduenas & peregrinos, &c. Et 1. Iohan. 2. Ne diligatis mundum, neq; ea quæ sunt in mundo: quoniā mundus transit & concupiscentia eius. Itaq; oportet animo interim de Babylone, hoc est de impiorum cōfortio discedere. Nam cum totus mundus sit repletus impiorum colluie, oportebat prorsus ē mundo exire, si quis loco illos declinare uellet. Est autem animo secedere, malignæ illius ciuitatis religionem, superstitionem, studia, mores, uitā, breuiter omnia detestari, ac prorsus damnare. Id quod mihi Iohannes presenti loco hñs uerbis significare uidetur. Et ne participes sitis delictorum eius, id est ne illa uobis placeant, ne probetis, neq; in huiusmodi eis cōmunicetis. Quem in modū & Apostolus Cor. 6. Nolite iugū ducere cum infidelibus, &c. Itē 1. Pet. 4. Sat enim est nobis, quod antea cō uita tempore uoluntatem gentium patrauerimus, &c. Porro causā prope huius fugę adfert, ubi ait, Et de plagis eius nō accipiatis. Solemus nāq; urbes pestilentes, aut bello adoriēdas, q̄totius, ubi p̄sentiscimus, fugere, &c.

Quoniam peruenerunt peccata eius usq; ad cœlū, & recordatus est dominus iniquitatum eius.] Exaggerat scriptura hoc tropo scelerum magnitudinē etiam alijs locis, Clamor, inquit, Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus est, &c. Gen. 18. Item, Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, &c. Exod. 3. Et Hier. 51. Peruenit usq; ad cœlos iudicium eius, & eleuatum est usq; ad nubes. Præterea recordari dicitur dominus iniquitatum, quas antea (dum non puniret) uidebatur aut nescire aut oblitus esse, quando iam uindictam de illis sumit.

Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate illi duplicia.] Similis comminatio est apud Hierem. cap. 50. & apud Abdiam, item Luc. 6. Eadem mensura. Porro duplicia dicuntur, propter pœnarum cum grauitatem tum diuturni-

tatē. Significatur quoq; his uerbis qua parte potissimū peccarint Babylonij; nimirum qd̄ populum dei religionis causa trucidarint, quos ideo iudices habituri sint.

In poculo quo miscuit uobis, miscete illi duplum.] Poculo amarulento ad afflictiones comparantur in scriptura; de quo supra cap. 14. fufius.

Quantum glorificauit se & in delitijs fuit.] Glorificauit se utramq; sibi uen dicando potestatem, nimirum sacerdotalem & regiam, quibus tamen in delitijs foedē abusa est.

In corde suo dicit, Sedeo regina.] Eodem modo de terrena Babylone legi- tur Esa. 47. Exprobrat uero hic Iohannes ecclesiae impiorum uanā securitatem; quam sibi ob religionem simul & potentiam pollicetur. Sic impius Psal. 10. dicit, Non moueboꝝ in æternum. Item 24. cap. apud Matth. Moram facit dominus me- us uenire, &c. Et 2. Pet. ul. Vbi est pollicitatio? Ita enim dicunt in corde suo pro- speritatibus huius sæculi obcæcati. Contra uero pijs sciunt se non habere hic ma- nentem ciuitatem, sed futuram inquirunt, adeoq; nullam sibi in hoc sæculo secu- ritatem pollicentur; præterea sciunt sibi continuo certamen esse cum aduersarijs potestatibus; item sciunt quod totus mundus in maligno positus sit; quam ergo si bi securitatem pollicerentur?

Ideo in una die uenient plagæ eius.] Id est, simul omnia calamitatum gene- ra, quas per illas quæ hic recensentur intelligit, nempe mortem, famem, pestem, ignem, & fortasse de cælo qualem in Sodomos pluit dominus, indeq; luctum in- consolabilem. Et aduerte pœnarum ad luxū antitheses, iuxta illud Luc. 6. Vt uo- bis diuitibus, &c. quæ sequuntur ibidem, Possunt autem hæc tam ad præsentis q̄ ad futuræ uitæ pœnas suo modo referri.

Quia fortis est dominus qui iudicabit illam.] Tacite cogitationi respondet, qua quis forte obijceret, Et quomodo poterit regnum tam ualidū deiici, idq; uno die? Huic itaq; respondet, Fortis est dominus, qui iudicabit illam. Nec precibus flecti, nec ui cuiusquam retineri poterit, quin iudicium suum de illa seueriter exe- quatur, iuxta illud Prouer. 6. cap. Quia zelus & furor uiri non parcat in die uin- dictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redēptione dona plu- rima. Loquitur Salo. de deo ad modum legitimi mariti deprehendētis adulterum cū uxore sua. Simile habes Ezech. 14. cap. Et si fuerint tres uiri isti in medio eius Noe, Daniel & Hiob, &c.

Et flebunt super illam & plangent se super illa reges terræ.] Fingit Iohan- nes, quo horrendū illud Babylonici regni excidiū magis ob oculos ponat, ut ceu coram geri uideantur omnia, regni proceres lugubre canere, itidē & negociato- res simul cum naucleris; nam hij potissimum cum Babylonica meretrice scortati sunt. Præterea eodem schemate fingit illos uidere fumum incendiij, à lōge stare & deplorare ruinā eius repentinā & inopinatā. Iam quoq; inducit ipsos reges ceu amissas delitias deplorantes. Negociatores uero & naucleros, amissa sua lucra, quibus simul illorum qui in Babylone uersantur & cū ea scortantur studia & mo- res traducit. Primum nanq; luxum illorum in ornatu uestimentorū describit. De- inde in ædificijs, uasis, escarijs atq; potorijs. Tertio in pigmentis & odoramentis. Quarto in escis ac poculis. Quinto in uarijs iumentorum ac uehiculorum generi- bus, inter quæ & animas hominum adnumerat, quod impudentes illi nebulones haud secus hominibus atq; bestijs abuti soleant; id quod coram hodie cernimus, ubi Papa selectorum quorundam, quos Paraphernarios uocant, humeris in subli- mi gestatur, neque id pro ualeudine, ut putares, sed pro maiestate dumtaxat, ue- teres Rom. Cæsares hac ipsa sua maiestate referens. Sexto in musicis instrumētis. Et

Et miserunt puluere super capita sua.] Hic uides serā & extortā adeoq; in-
fructuosam impiorū poenitentia: qualis fuit Pharaonis, qualis & Esau, Antiochi,
Iude proditoris, & illorū de quibus Sap. 5. & Saluator Mat. 24. Hoc uero minime
prætereundum, quos nam præcipue inducat Iohannes ad celebrandum Babylo-
nici luctum interitus: nimirum reges, hoc est tyrannos, negociatores & naucler-
os, non itē qui pastoriam et rus exercent, quod huiusmodi magis necessario usui
quam superflua cupiditati famulentur, & simplicioris uitæ officia sint.

Exulta super eam cœlum, & sancti apostoli & propheta, quoniam iudicauit
deus iudicium.] Dubiū est cuius sit hæc uox ad gratulationem inuitantis pios,
angeli scilicet loquentis, an eorū qui luctum celebrant. Mithi uidetur ad angelum
loquentē referenda. Verum si quis putet ad eos qui luctū celebrant referendam,
quod illi ipsi ueritate cōuicti, uel inuiti dent gloriam deo, quemadmodum & coa-
cti poenitent & confitentur, ut supra diximus, cum hoc non contendero.

Exulta super eam cœlum.] Per cœlum, uel cœlestia intelligit numina, uel
more scripturarū ad magnitudinem gaudij exprimendam, per Hyperbolen, mu-
ta atq; inanima inuitat.

Et sancti apostoli & propheta.] Per hos tanq; præstantiores, & reliquam
electorum intelligit multitudinem, qui omnes de iusto dei iudicio & impiorū per-
ditione mirum in modum exultabunt, iuxta illud Psal. Latabitur iustus cum ui-
derit uindictam, &c.

Quoniam iudicauit deus iudicium uestrum de illa.] Id quod supra cap. 6.
anxie precantur dicentes, Usq; quo domine non iudicas, &c.

Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem.] Hac comparatio-
ne subitam ac irreparabilem Babylonici regni ruīnam ob oculos ponit. Forte aspe-
xit ad illud Hier. 51. cap. Ascendit super Babylonē mare, multitudine fluctuum
eius operta est. Et sub finem eiusdem cap. Cumq; compleueris legere librū istum,
ligabis ad eum lapidem, & proicies illum in mediū Euphraten, & dices, Sic sub-
mergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco super
eam, & dissoluetur.

Et uox citharædorum & musicorum, &c.] Per huiusmodi perpetua deso-
latio in scripturis significari solet, ut est uidere apud Esa. 24. & Ezech. 26. cap.

Quia mercatores tui erant principes terræ.] Tres præcipuas uastationis
Babylonici regni causas ponit: nimirum insatiabilem habendi cupiditatem, qua-
lem hodie experimur imo patimur: nā multi sunt mercatores, qui opibus magnos
superant principes. Secunda causa sunt ueneficia, per quæ uidetur mihi significa-
re superstitiosam religionem, & dæmonicis artibus facta prodigia, 2. Thess. ca. 2.
quemadmodum supra cap. 13. de imagine Bestiæ quædam memorauimus. Porro
tertia causa est effusio sanguinis innocentis, nimirum religionis ac diuitiarū cau-
sa, propter quæ Romanus pontifex frequenter belligeratur ipse, et alios ad bellige-
randum excitat. Hinc audituri sunt illud Matth. 23. Veniet super uos omnis san-
guis iustus, &c.

C A P V T X I X .

Post hæc audiui quasi uocem turbarum multarum in cœlo dicen-
tium, Alleluia. Laus & gloria, & uirtus deo nostro est: quia ue-
ra et iusta iudicia sunt eius qui iudicauit de meritrice magna, quæ
corruptit terram in prostitutione sua, & uindicauit sanguinē seruorū suo-
rum de manibus eius. Et iterum dixerunt Alleluia. Et fumus eius ascen-

Salus & honor.] Carmen hoc triumphale & gratulatoriū in superioribus expositum est. Videtur autem mihi triplicem laudantium ordinem insinuare. Primum eorum qui sanguinis sui effusione Christi fidem, aduersus magnæ meretricis superstitiosas prostitutiones, testificati sunt, qui supra cap. 6. clamare inducuntur, Vsq̄ue quo domine uerus & sanctus, &c. Deinde cœlestium spirituum, quos quatuor animalium nomine significari puto, ut supra cap. 4. unā cum uigintiquatuor senioribus, quorum nomine uniuersos reipub. Christianę præfectos, suo muneri sedulo inseruientes accipimus. Tertio omnes omnino superstites post occisum Antichristum, adeoq̄ damnationem meretricis magnæ, quos uox cœlestis tanq̄ segniores ad gratulandū cohortatur. Porro dū inter laudandum oēm honorem & gloriā uirtutū dei transcribunt, qua una salutem sibi partā depredicant, se ipsos nihili, ac contra dei erga se miserationes magnas, ingenuē adeo fatentur.

Quæ corruptit terram prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum.] Hic rursus causam damnationis meretricis magnæ commemorat. Nempe quod superstitiosa adeoq̄ pestifera doctrina, item & pessimę uitæ exemplo, terram prostituerit: adde quod innoxium sanguinem instar aquæ fuderit.

Et fumus ascendit in sæcula sæculorū.] Hoc loquendi genere scriptura perpetuos reprobatorum exprimit cruciatus: de quo supra cap. 14. fufius.

Et ceciderunt uigintiquatuor seniores, &c. dicentes, Amen.] Amen confirmantis est hoc loco, ut ad prædictum uictoriale martyrum carmen respondeat.

Et uox de throno exiuit dicens, Laudem dicite, &c.] Sancti angeli inducuntur, quasi cohortantes eos qui superstites, deletis impijs, relictī sunt, ut unā cum cœlitibus deum collaudent.

Et audiui uocem turbæ multæ.] Iam inducit superstites Epinicion uictoriae regni dei canentes: quam quidem uocem sonitibus aquarum multarum & tonitruorum de longe resonantium, subinde comparat.

Venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparauit se.] Nimirum uehementi desiderio sponsi sui cupiens frui amplexibus, quemadmodum in Canticis canticorum. Huc pertinent quæ habes Esa. 52. 54. 65. & 66.

Datum est illi ut cooperiat se byssino.] Datum est illi, inquam. Nam neq̄ ex natura sua, neq̄ ex meritis suis habet, sed ex dei miseratione sponso suo Christo illam gratuito sanguine suo repurgante, Ephe. 5. & supra cap. 14. Videtur uero mihi loqui de stola immortalitatis, qua sancti electi in resurrectione superuestientur, 2. Cor. cap. 5.

Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.] Diximus aliquoties in superioribus, byssinum colorem innocentia, uictoria, adeoq̄ consecuta iam fœlicitati conuenire.

Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni uocati sunt.] Cœna ultimum diei conuiuium est. Solebant autem ueteribus lautiores iucundioresq̄ esse cœnæ, q̄d iam exanclatis laboribus, & sepositis curis quieti sese darent. Præterea & nuptiarum conuiuia, deliciarum ac rerum omnium copia solent esse refertissima, & omnimodæ iucunditatis plena. Electorum igitur fœlicitas, qua fruituri sunt olim, cœnæ comparatur, & quidem nuptiali cœnæ, adde & Agni: quæ omnia miram habent auxesim. Attende uerò quod angelus qui hoc loco loquitur Iohanni, uidetur esse ille, qui supra cap. 17. sub initium dicebat Iohanni, Veni ostendam tibi damnationē meretricis magnæ: & quæ eodē cap. sequuntur. Porro cap. 18. introducit alius angelus clamans uoce magna, Cécidit cécidit Baby. &c. Item & alia uox dicens, Exite de il. &c. quæ eodē c. 18. sequuntur fere usq̄ ad finē. Sub finem

uero ca. 18. introducitur angelus, qui lapidem molarem coniecit in mare, dicens, Hoc impetu, &c. Indeque consecuta est uox citharædorum & uoces laudantium deum, usque ad hunc 19. cap. locum, Et dicit mihi, Scribe, Beati qui ad cœnā nuptiarum, &c. Videtur igitur ille idem angelus, qui ostenderat Iohanni meretricē magnam, hæc quoque dicere, & Iohanni sponfam agni quoque ostendere. Huius igitur angeli sermonem supra 18. cap. intermissum, ad alia quædam narrationis ordine digressus, hic repetere mihi uidetur, id quod & alij quidam ante nos adnotarunt.

Et dicit mihi, Hæc uerba dei uera sunt.] Nimirum ea quæ iam iam dixi ut scriberes, Beati qui ad cœnam, &c. Perinde atque dicat angelus, Hæc non mea, sed dei uerba sunt, adeoque uerissima certissimaque esse oportet. Siquidem uerissime beati ter quaterque foelices sunt, qui ad cœnam illam Agni æternum duraturam admittuntur. De qua in Psal. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos, quia apud te est fons uitæ, &c.

Et cecidi ante pedes eius ut adorarem eum.] Non permittit se angelus à Iohanne adorari, duplicem huius adferens causam, Vnam, non licere seruum à conseruo suo adorari. Alteram solo deo hunc deberi cultum. Sic haud ferunt apostoli Paulus & Barnabas sibi diuinos deferri honores, Act. 14. cap. Nec Petrus patitur se adorari à Cornelio. Antichristus Romanus, non modo fert, imò cogit se adorari, ad pedes suos procumbere, illosque deo seculari etiam supremi ordinis antistites, imò etiam summos principes. Præterea & indulgentias largitur ihs, qui diuorum tumulos & statuas supplices uenerantur; nec est quod per suam distinctionem, Latriæ, Hyperdulie & Dulie, ut loquuntur, idololatriæ impietatem queant euadere, quando scriptura huiusmodi nomina, & argutas illas distinctiones prorsus ignorat.

Habentium testimonium Iesu: testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.] Et hic quoque locus ad commendationem prophetiæ huius libri facit, quando Iohannem in numero ac albo fratrum prophetarum reponit. Est autem spiritus, qui testificatur de domino Iesu in lege et prophetis; unde & Christus ait, Ille testimonium perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis, &c. Qui igitur testificatur de domino Iesu, spiritum prophetiæ habent, iuxta illud Pauli 1. Cor. ca. 12. Nemo potest dicere dominum Iesum nisi per spiritum sanctum. Et dicuntur angeli prophetarum ac testium Iesu conserui, quod & ipsi eum dominum agnoscunt, prædicant, & colunt, atque itidem faciendum docent & testificantur; qua de re Iohan. 1. Ephe. 1. Coloff. 1. Heb. 1. & alias in histo. Euangelica.

Et uidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum.] Dominum Iesum Christum significat. Quemadmodum ex descriptione supra cap. 1. & 6. adparet. Ille solus uictor, id quod equus albus significat. Ille solus fidelis et uerax in promissis, Ille unus iuste iudicat, pugnat & uincit. Hactenus autem de ruina Babylonis dictum, ab hinc uero de gloria Hierusalem futura fit sermo.

Oculi eius sicut flamma ignis.] Irati aduersus impios ludicis & uel ipso uultu uindictam præferentis indicium est.

In capite eius diademata multa.] Rex sæculorum Christus est, omnium ergo regnorum iura, adeoque omnium regum uictoria in manu illius sunt. Præterea ipse est qui coronat electos, in misericordia & miserationibus multis, iuxta Psal.

Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.] Hoc est, nemini iure debetur nisi ipsi, ne angelis quidem Hebr. 1. Cui enim angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu? &c. Præterea nemo plene adsequitur huius nominis maiestatem & excellentiam, nisi ipse solus, Phil. 2. Dedit illi nomen quod est super omne nomen.

nomen. Item, Quicumque inuocauerit nomen domini saluus erit: quæ illius nominis uirtus est, exponente Petro Acto. 4. Nec est aliud, inquit, nomen sub cælo in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Vel, Nemo nouit nisi ipse, et cui uoluerit ipse reuelare, Matth. 11. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, Mat. 16. Item 1. Cor. 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.

Et uestitus erat ueste tincta sanguine.] Recte quidem monet Beda uestem Christi pro locis intelligi debere. Et quanquam ipsi uidetur hoc loco opus passionis indicare, quando tamen Iohannes hic agit de impiorum cæde per Christum patrandam, uidetur mihi accipiendum quemadmodum apud Esa. ca. 63. id quod & sequentia indicant. Comparat enim Christum fortissimo Heroi in acie aduersus hostes strenuè pugnantem, & ita hostes cædentem, ut illorum sanguine uestes eius undique commaculentur. Item comparat illum uuas in torculari calcanti, cuius uestes musto subinde aspergantur.

Et uocatur nomen eius sermo dei.] Qui erat in principio apud deum, qui & ipse deus, & in tempore definito caro factus: nec per hoc desijt esse uirtus dei omnipotens, per quæ cuncta condidit & moderatur, cui nemo resistere præualet.

Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis.] Quamobrem uocatur in scripturis Adonai zebaoth, dominus exercituum, quod illi omnis cælestis militia ad nutum subfamuletur, ut supra cap. 5. & Dan. 7. cap. Huiusmodi exercitus uidit puer Helizei 2. Reg. 6. Porro equi albi & uestitus byssinus uictoriæ insigne est.

Et ex ore eius procedit gladius ex utraq; parte acutus.] Robur & uirtus bellica qua iustam sententiã exequi ualeat, indicatur: id quod nonnunquam deest iustis alioqui iudicibus. De hoc fufius supra cap. 1. ubi eadem sententia habetur. Porro gentes intelligit quoscunq; gentium more in uita sua uersantes.

Et ipse reget eas uirga ferrea.] Per uirgam ferream significatur regni Christi sceptrum inoblignabile & prorsus inflexibile, cui omnino non liceat contraire aduersariam potestatem, Psal. 2. & 45. & 110.

Et habet in uestimento & in scemore suo nomen scriptum, Rex re.] Unus Christus rex sæculorũ, ac orbis totius monarcha est. Hactenus frustra, quotquot tentarunt & posthac tentabunt, hunc titulum sibi uendicarunt & uendicabunt. Porro in scemore hunc titulum scriptum habet, quod monarchiã regni sui adsequi debet longam posteritatem prolaturus sit. Nam per scemur posteritas notatur in scripturis, Gene. 24. Paulus apostolus hunc titulum deo patri uidetur tribuere, 1. Timoth. 6. cap. Ex quo colligitur & Christum uerum esse deum, cui iisdem omnino tituli cum deo patre tribuuntur.

Et uidi unum angelum stantem in sole.] Loquuturũ angelum cunctis aurbus cæli, hoc est quæ in aère uersantur, congruè fingit stare in sole, hoc est in medio hemisphærio, quo commodius ab uniuersis audiri queat.

Venite & congregamini ad cœnam magni dei, ut edatis.] Huc pertinent ea quæ apud Esa. cap. 63. sub typo Aedom, Ezech. 38. & 39. de Gog & Magog, Dan. 11. de rege Aquilonis, Et Zacha. cap. ultimo, Nam omnes hij loci consentiunt de cæde illa Antichristiani exercitus maxima, de cuius manu regnum suũ uindicabit Christus. Huiusmodi uero profopopœia horrendam illam ac omnium multo maximam cædem, ita ob oculos ponit, ut coram geri uideatur.

Et uidi bestiam & reges terræ, &c. ad faciendum prælium cum illo qui.] Hic uides conflictum illum, Christo dño duce, angelica stipato militia, geri, cuius & uictoria propria erit, ut frustra ad hanc cædem nostros præparemus gladios,

præter gladium spiritus, qui est uerbum dei, iuxta Paulum apostolum. Quo & illud supra capite decimotertio, in primis spectare uidetur, Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem uadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Id quod, pro dolor, & nostra uiderunt sæcula, ubi qui de Euangelio gloriabantur, armis & multitudine freti, dum alios adoriuntur, ipsi cæsi sunt. Igitur quem admodum in Esaia capit. 30. dicitur, In silentio & spe erit fortitudo nostra, domino pro nobis pugnante.

Et apprehensa est Bestia & cum illa pseudopropheta.] Equidem Bestiam ipsum regem Antichristum, unam cum electis satrapis suis, quibus cõnõitur, acceperim. Porro Pseudopropheta, regni ac potestatis illius pcones, q̄s sup. memorauimus.

Uiuu coniecti sunt hi duo in stagnum ardens sulphure.] Hoc mihi ad exagerandam Antichristi & pseudoprophetae excidionem dici uidetur, quod horrenda admodum res sit, uiuentes ita discruciarì, quam simpliciter gladio cædi. Atque id iuste quidem, quod illi prudentes & scientes Christo aduersati sint, & scripturas apertissimas de regno Christi ad propriam cum gloriam tum utilitatem detorserint. Allusit autem ad Choritarum interitum.

Et ceteri occisi sunt gladio sedentis super equum.] Hoc est mitioris sententia, quod uel seducti uel metu coacti poenas dederunt.

Et omnes aues saturatae sunt carnibus eorum.] Et hoc ipso cæforum multitudinem significat.

CAPVT XX.

T uidi angelum descendente de coelo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. & post hoc oportet illum solui modico tempore. Et uidi sedes: et sederunt super eas, & iudicium datum est illis, et animas decollatorum propter testimonium IESU, & propter uerbum dei, & qui non adorauerunt bestiam nec imaginem eius, nec acceperunt caractèrem eius in frontibus aut in manibus suis, & uixerunt & regnauerunt cum CHRISTO mille annis. Ceteri mortuorum non uixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes dei & CHRISTI: & regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exibat & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra sanctorum & ciuitatem dilectam. Et descendit ignis à deo de coelo, & deuorauit eos: & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Et uidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu

specu fugit terra & coelum, & locus nō est inuentus eis. Et uidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est uitæ: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorū. et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro uitæ scriptus: missus est in stagnum ignis.

I T uidi angelum descendentem de cœlo habentem clauem Abyssi.] In hoc cap. agitur de uictoria sathanæ ultima, quāquam ab exortu regni Christi recapitulat. Porro angelum istum post August. 20. li. de Ci. cap. 7. Christum regem intelligo, qui est fortis ille Heros, de quo Matt. 12. Si fortior superuenerit, &c. Per Clauem uero abyssi & Catheram potestatem inferni. Vnde uictor ad superos concesserat, & perpetuis uinculis hostes mancipandi

Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus.] Quid sibi putas uult infamium hæc nominum congeries? Nimirum ut huiusmodi uocabulis, malorum dæmonum uim, studium & conatus quoslibet perdendi exprimat. Draco namq; dicitur propter nocendi malitiam, quemadmodum ex 12. cap. supra adparet. Deinde Serpēs propter fallendi astutiam. Est enim serpens natura omnium animantium callidissimus, Gen. 3. cap. Vnde & Christus iubet nos serpentinam imitari prudentiam. Iam additur Antiquus, quod illi ob multarum rerum usum & experientiam, præter genuinam illam, plurimum calliditatis continuè accrescit. Porro Diabolus Græcè, Calumniator dicitur Latine, quod itidē ex 12. cap. supra adparet. Postremo Sathan Hebraicè, quod Latine Aduersarium sonat: nimirum quod per omnia Christo aduersetur.

Et ligauit eū per annos mille.] Mille annos uariè interpretantur. Primum fuerunt Chiliastra, qui cum ex præsentibus tum ex alijs nonnullis prophetarum locis tradiderunt, quod completis sex annorum millibus à mundo condito, perdendus sit Antichristus cum omni regno suo, hoc est impijs. Deinde quod per septimum annorum millenarium Christus cum electis regnum pacatissimum super terram sit habiturus: quo millenario completo, rursus modico tempore ante iudicium sathanas soluendus sit, ac paulò post Christus uenturus ad iudicium extremum celebrandum. Verum hunc errorem satis explosum effecerunt patres, tum ipsa temporum ratio uanum hominum fuisse commentum declarauit. Deinde Augustin. 20. de Ciui. dei lib. cap. 7. post quem Beda, intelligunt, Vel reliquias sexti millenarij in quo Christus natus est. Siquidem natus perhibetur anno à mundo condito, 5199. restabant igitur de sexto illo millenario anni 801. atq; illos per synecdochen hic dici mille annos, in quibus Ecclesia ligato sathana, sub apostolicis uiris & sanctis patribus, ad iustum promouerit incrementum: Vel omnes annos, quibus ab eo tempore quo sathan per Christum alligatus, hoc sæculum peragetur. Iohannes Viterbiensis theologus, ad Sixtum eius nominis quartū Romanum pontificem, super Apocal. pollicetur Pontifici ac Cæsari Romano uictoriam ex Sarracenis, ac omnium Ecclesiarum orbis reformationem & obedientiam sub Romano pontifice, mille annis duraturam. Deinde rursus soluto Sathana, reliquias Sarracensium, qui confugerant ad gentes Gog & Magog, ubi in magnam multitudinem

rursus excreuerint, tandem erupturas, quemadmodum infra in hoc cap. de illis dicitur. Porro iam dictam de gente Sarracenicā uictoriā pollicetur idem Viterbiē. ab anno domini 1481. sub septimo Turcomanorum Imperatore, qui tum rerum Turcicarum potiebatur, perficiendam, atq; eum septimum regem putat de quo Iohannes supra cap. 17. quod ubi uenerit oporteat eum breui tempore manere. Verum rei euentus docuit hunc Viterbiensem falsum fuisse prophetam, & sua somnia tradidisse, quare & omnia quæ consequenter de hac retradidit, uana sunt. Præterea fuerunt qui Angelum habentem clauem abyssi, in præsentī cap. fecerunt Calixtum eius nominis secundum Romanum pontificē, & Draconem Heinricum Cæsarem, eius nominis quintum, ut Lyra, alij quartū scribunt, quem coegerit Calixtus sub interminatione anathematis, ut renunciaret consuetudinibus nimirum inuestiendi episcopos & abbates, qua usi fuerant Imperatores trecentis annis & amplius, nempe à tempore Caroli magni, quæ potestas ei concessa fuerat ab Adriano Papa in cōcilio Romæ celebrato, ut in Chronica Sigisberti. Item fuerunt qui fecerunt Angelum illum Papam Innocentium, eius nominis tertium, qui approbarit ordines Dominici ac Francisci, per quorum uitam & doctrinam potestas diaboli sit ligata usque ad tempus Antichristi. Vide Nicolaum de Lyra in præsentī cap. Ego uero mille annos puto accipiendos, à Christi regni exortu, nimirum ab apostolorum prædicatione, per quam Christi Euangelium per orbem uniuersum increbuit, quemadmodum Roman. 15. Colossen. 1. & ex apostolorum Actis adparet, usque ad ea tempora, quibus cum Mahumetanum tum Romani pontificis imperium, pro suis legibus ac institutis aduersus Christi Euangelium, adeoq; aduersus pios quoslibet aperto Marte fauere cœperunt: id quod iam ab annis quingentis circiter, tam ab orientis quàm ab occidentis Antichristo factum constat. Nam antea, tametsi fauissent Cæsares, tamen sub ea persecutione, ligato adhuc Sathana, mirū creuit pietas, ut non potuerit illorum animus à Christi Euangelio auelli. Sed nec postea diuersis ingruentibus hæresibus neq; etiam sub initium utriusq; Antichristi tyrannidis, donec gliscente hominum malitia iusta dei indignatione solutus Sathan, fides deficere & charitas refrigescere cœpit, ut tandē uix tenuis quædam umbella earundem uirtutū reliqua sit, sicut est dies hodierna. Porro auctor libri, cui Onus Ecclesiæ titulum fecit, cap. 62. triplicem Christi distinguit aduentum. Primus fuit in carnem, quando homo factus mundo apparuit. Secundus erit in uirtute & efficacia spiritali, ad interficiendum Antichristum magnum, & Ecclesiam reformandum. Tertius quando in maiestate sua iuxta consummationem sæculi ad iudicandum mundum ueniet. Primus fuit in sexta mundi ætate ad iudicandum ueterem Synagogam. Secundus erit iuxta finem sexti status mundi, ad iudicandum Antichristum magnum. Tertius erit in fine septimi status mundi & ultimi millenarij: nam septem mundi status & septem millenarij facit, quando ueniet ad iudicandum uniuersum orbem. De primo aduentu intelligitur illud Petri, Tu es Christus filius dei uiui, qui in hunc mundum uenisti. De secundo illud ubi quærunt discipuli, Quod signum aduentus tui? De tertio illud, quod additur ibidem, Et consummationis sæculi. Primi aduentus præcursores remoti, fuerunt prophetae, proximus Iohannes Baptista. Secundi aduentus præcursores facit Bernhardum, Franciscum, Dominicum, & consimiles, sed remotiores, proximos uero Enoch & Heliam. De secundo aduentu adducit autoritates, Esaiæ 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium. Hiere. 25. Suscitabo Dauid germen iustū, &c. Dan. 7. Aspiciebam in uisione noctis & ecce in nubibus cœli, Item illud Mat. 10. Non consummabitis ciuitates

ciuitates Israel donec ueniat filius hominis. Item quęcunq; in Paulo & apostolicis literis de propinquo Christi aduentu mentionem facere uidentur: quale est etiam illud 1. Cor. 15. Cum aboleuerit omnem principatum, &c. Post occisum Antichristum & regnum eius abolitum, pax dabitur Ecclesie, & sathan rursus alligabitur, pij primas obtinebunt super terrā, & quiete agent, Iudæi ad Christum per Enoch & Heliam conuertentur. Erit magna scientia domini in terris, Prophetę & apocalypses tunc intelligentur. Huc applicat scripturas Esa. 2. Erit in nouissimis diebus, &c. de pace magna. Similiter Esa. 35. cap. Item Hier. 30. Non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient domino deo suo, & Dauid regi suo, quem suscitabo eis, &c. Item eiusdem 31. Non docebit uir fratrem suum, &c. Item illud supra cap. 8. Factum est silentium in cęlo quasi dimidia hora. Item illud supra 18. cap. Terra illuminata est a gloria eius. Post quietem illam septimi & ultimi status mundi & millenarij durabit usq; ad persecutionem gentium Gog & Magog, quas Antichristi magni caudam facit. Gentes uero Gog & Magog putat x. tribus, quas Salmanner rex Assyriorum trans flumen transtulit in terram aliā, e qua per angustos fluminis Euphratis introitus, deo faciente illis uiam, in aliam longinquam regionem demigrarint, quas in nouissimo tempore dominus reducturus sit, quemadmodum in 4. libro Ezrę cap. 13. Atq; tunc rursus soluendum sathanam ac persecutionem fore maximam, quanquam breui duraturam. De hac gente exponit illud supra cap. 12. Væ mari & terrę, quia descendit diabolus, scilicet per Gog, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Item illud supra cap. 17. Et bestia quę erat & non est, & ipse octauus est, & de septem est, & in interitū uadit. Et tunc decē illos reges uenturos, qui regnū nondū acceperūt, sed potestatem tanq; reges una hora accepturos, & uno consilio cum agno pugnatos, ut supra ca. 17. dicitur. Tunc reliquias ex populo Israel ad dñm conuersas consecrandas, et complendum illum numerū supra ca. 7. & 14. Post deuictas gētes Gog, & occisos decem reges, iuxta ultimi finē millenarij, totum mundū ante finale iudiciū putat ad Christum cōuertendum, & in summa pace acturum. Huc adducit autoritates scripturę de pace Israelis promissa. Item unū ouile & unus pastor, Iohan. 10. Et ille status erit cęlum nouum & terra noua infra ca. 21. & in posteriori epist. Pet. Item ciuitas noua Ierusalem, de cęlo descendens. Atq; huc pertinere totum libri Apocalypsis finem, nō ad futuram beatitudinem, quę describi nequeat, iuxta Esa. 64. & 1. Cor. 2. Item in hoc statu putat sathanam prorsus eijciendū, non tantum ligandum ut antea, iuxta illud Ezech. 28. Eieci te de monte dei. Item Iohan. 12. Princeps mundi eijcietur foras. Et infra in præsenti 20. cap. Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris. Durabit status ille usq; ad finale iudicium per Christum celebrandum, cuius præcursores facit Iohannem euangelistam: meminīt quoq; signorum iudicium præcedentium, quę in annalibus Iudeorum contineri perhibentur: de quibus & Lyra, super Luc. cap. 21. meminīt. Hęc ex prædicti autoris libro, cui Onus ecclesię titulus, per compendium, a ca. 61. usq; ad eius libri finem, placuit recensere propter præsentem locum, de quibus lector cogitet. Ego ut illa non reprobo, ita neq; probō. Nam ex hijs quę hætenus iuxta nostras cogitationes exposuimus, & infra exponemus, adparebit quę sit mens nostra. Verum de pace illa & securitate quam pollicetur ipse, cum de medio Christi aduentu tum ante iudicium finale post interitum gentium Gog ac decem regum, hoc dico, Vtinam tam firmiter, ad stipulātibus scripturis, id sperare liceret, quam optabile omnino est quod tradunt. Sunt enim plaręq; scripture quę huic opinioni aperte aduersari uidentur, ut Dan. 12. Donec completa fuerit dispersio manus

populi sancti. Ecce dispersionem populi sancti, & non congregationem, qualem ille cum nonnullis alijs pollicetur. Deinde etiam consummationem manus, hoc est potentiae ac roboris, & tunc complebuntur uniuersa haec, nepe resurrectio & iudicium. Vide Oecolamp. in dicto c. 12. Dan. Praeterea parabolę illa Mat. 13. docet mixtos inter bonos etiam malos futuros, & in iudicio demum separandos. Itē Mat. 24. Statim post tribulationem dierum istorum sol obscurabitur, &c. Et tunc uidebunt filium hominis, &c. Igitur nullum tale tempus pacis medium intercedet, nisi forte 45. illi dies, ut quidam tradunt, simplicioribus post Antichristiani regni excidium ad poenitentiam concessis. De quibus in Daniele cap. 12. Beatus, inquit, qui expectat & peruenit usque ad dies 1335. quem numerum 45. dies additi diebus 1290. quibus duratura dicitur Antichristi prosequutio, efficiunt. Item Matthei 24. comparat Christus diem iudicii diebus Noe & Loth, in quibus edebant & bibebant, &c. omnino carnalem uitam praeter ullam poenitentiae cogitationem ducentes; igitur adhuc inueniet impios quosdam dies illa. Item Luc. 18. Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Videtur autem loqui de aduentu suo ad iudicium. Si igitur tam rara fides, quomodo soli pii exterminatis impijs uniuersis tum regnabunt? Item Luc. 21. Erunt signa in sole & in terris pressura gentium arescentibus hominibus praetimore. Hic timor utique malorum erit; nam pii leuabunt capita sua, hoc est gaudebunt, scientes quod eorum appropinquat redemptio; igitur mali supererunt. Item huc quoque facit illud Matt. 24. Tunc duo erunt in agro & unus assumetur, & unus relinquetur, &c. quae sequuntur. Ex hijs atque similibus locis adparet, haud satis firma esse, quae illi de medio aduentu & quiete intermedia commentantur; loci uero quos ipsi de pace populi dei, & de aduentu Christi adducunt, uel de pace interim in regno Christi electorum inter se, uel de futura beatitudine accipiendi sunt. Quae uero de medio aduentu loqui uidentur scripturae, accipiendae sunt de iudicijs particularibus regnorum, urbium, tyrannorum, quibus Christus interim, donec ad iudicandum uniuersaliter mundum, cum de pijs tum de impijs iudicat, quae iudicia frequenter scriptura cominatur.

Et misit in abyssum, & clausit eum & signauit super illum.] Hoc est, coeruit, potestatem ademit, ne quos alioqui uellet, seducere possit. Vellet autem gentes uniuersas seducere, & in pestiferis idololatrię erroribus, adeoque in omni flagitiorum genere detinere, sed eruit eas Christus de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij claritatis suae, &c. Ephe. 1. Coloss. 1.

Et post hoc oportet illum solui modico tempore.] Hoc factum puto, postquam adeo fortificatum est cum Mahumeti tum Romani pontificis imperium, ut sint facti uniuersis regibus ac principibus orbis formidabiles, quando non modo ubi libuerit incommodare eis possint, sed & sedibus suis eijcere ac prorsus conculcare, quoad falsae religioni & iniquis legibus colla submiserint, id quod est dies hodierna, quemadmodum 2. Thessal. 2. Paulus praedixit. Igitur solui, est suis uiribus ad seducendas multas gentes permitti, sicut alligari, est non permitti. Porro modicum illud tempus, ceu iam saepe diximus, intelligendum est, quod in medijs conatibus, dum iam omnia in tuto posita existimat, sistendus sit illius cursus, & ipse prorsus confringendus.

Et uidi sedes & sederunt super eas.] Ad recapitulandum haec dicta sunt, quemadmodum Augustino uidetur 20. libro de Ciuitate dei, cap. 9. Nam quum dixisset mille annis ligari diabolum, recapitulando exponit, quid in illis annis agat Ecclesia. Sedes ergo positas, & sedisse super eas, illud est quod sequitur.

Et uixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.] Quanquam enim

uisi sunt insipientium oculis mori, illi autem sunt in pace, atque interim felices cum Christo regnant. Item regnat etiam Ecclesia interim cum Christo, iuxta illud 1. Corinth. 2. Spiritualis omnia diiudicat, & ipse a nemine iudicatur. Præterea uel tum maxime regnant pii, ubi minime putantur regnare: nimirum, ubi pro Christo supplicium ferunt, sicut & ipse Christus a ligno iuxta Psal. potissimum regnauit. Hunc in modum & Ecclesia orat, ut solus Christus in nobis regnet, de fructo in uniuersum sathanæ, adeoque Antichristi regno, dicens, Adueniat regnum tuum.

Cæteri uero mortuorum non reuixerunt donec consumentur.] Mille anni præsentis uitæ Ecclesiam siue regnum Christi referunt; de quibus intelligitur illud Iohannis quinto, Venit hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint uiuent. Sunt uero mortui, de quibus dicit, Sine ut mortui suos sepeliant mortuos. Et illud Pauli, Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Item supra 3. cap. Nomen habes quod uiuas, & mortuus es. Si quis igitur in præsentis uitæ Christi uocem audierit, hoc est animo receperit, & corde crediderit, hic de morte pertransijt ad uitam, nec morietur in sempiternum, Iohannis 11. Qui uero hanc contempserit, in morte manet. Recte igitur hoc loco dicit Iohannes, Cæteri uero mortuorum: quo significat quosdam reuixisse, quosdam uero non, nimirum eos qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & acceperunt caractèrem eius, & cætera. Ii enim per fidei pœnitentiam ad uitæ nouitatem non surrexerunt, quæ est resurrectio prima, adeoque ad secundam non peruenient.

Donec consumentur mille anni.] Dum præsentis fruerentur uita, de morte peccati, non reuixerunt per pœnitentiam ad uitæ nouitatem, adeoque nullo unquam tempore reuiuifcent a peccato, neque igitur ad beatæ uitæ gloriam. Igitur ad uerbum Donec, hoc loco ut & aliàs crebro in scripturis infinitum tempus notat, ut Psal. Donec ponam inimicos tuos, &c. Item, Oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri. Item, Donec peperit filium suum primogenitum. Item, Donec reddat nouissimum quadrantem. Et, Donec siccarentur aque super terram: & similia.

Hæc est resurrectio prima.] Nimirum qua per pœnitentiam fidei in Christum resurgimus a morte peccati, iuxta illud Coloss. 3. Si consurrexistis cum Christo. Item Ro. 6. Quemadmodum Christus resurrexit per gloriam patris, sic & nos in nouitate uitæ ambulemus. Prima enim mors peccati est, qua anima interit. Gen. 2. In quacunque die comederis ex eo morte morieris: ex quo corporis mors subsequitur, ut Ro. 5. Per unum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors.

Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima.] Id est, qui seruat quod renatus est, hoc est, in nouitate uitæ ambulando perseverat. Porro Beatus, iuxta illud, Beati qui audiunt uerbum dei & cust. Et Sanctus, nimirum renatus uerbo uitæ & spiritu Christi sanctificatus, hoc est repurgatus & dei habitaculum factus. Unde Paulus renatos uitæ fonte Sanctos appellat. Partem uero, primitias spiritus dixisse uidetur respectu decimarum ac plenæ messis olim consequendarum.

In ijs secunda mors non habet potestatem.] Est autem secunda mors gehennæ condemnatio, iuxta illud Seruatoris, Eum timete, qui postquam occiderit, potest & animam & corpus perdere in gehennam. Item, Super quem ceciderit lapis, &c. Sicut secunda resurrectio est, qua & corpora electorum resurgunt ad uitæ immortalitatem, iuxta Apost. 1. Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem.

Sed erunt sacerdotes dei & Christi.] Primum ijs uerbis, breuiter licet ac transeunter, deum esse Christum insinuat, dicendo, Sacerdotes dei & Christi, hoc

est patris & filij, quamuis & ipse ut filius hominis sacerdos sit in æternum, Deinde non ad solos illos pertinere, qui hodie in Ecclesia episcopi & sacerdotes uocantur, quod hic dicitur: sed sicut omnes credentes propter mysticum chryisma Christianos dicimus, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. Idcirco de translato, adeoq; unico & æterno Christi sacerdotio, libuit propositiones quasdam subiungere.

1 Papa non solum summus sacerdos non est, sed ne sacerdos quidem: nisi ea ratione, qua iuxta noui Testamenti ritū, omnes omnino Christiani sunt sacerdotes, modo & ipse Christianus fuerit.

2 Itidem & de alijs, siue episcopis, siue sacerdotibus, quos uocant, siue sacrificis in uniuersum sentimus.

3 Id ex eo manifestum fit, quod Christus dominus, in quem typicum translatum est sacerdotium, sacerdos in æternū iureiurando ac sine poenitentia dei constitutus sit, adeoq; nullum omnino possit habere successorem, Psal. 110. & Heb. 2.

4 Quemadmodum igitur in regno Christi, quod est Ecclesia, nullum est æternum sacerdotium, ita nullum pro peccatis est sacrificium, Christo una oblatione repurgante uniuersa omnium electorum peccata, & in æternum illos sanctificante, Heb. 10. cap.

5 Omnium omnino Christianorum est, offerre semetipsos per sui abnegationem, & carnis mortificationem, sacrificium iustitiæ, laudis, confessionis, ac beneficentiæ, Rom. 12. Malach. 3. Heb. 13. Apoc. 1. 5. & 20. cap.

6 Non est igitur quod Papa solus gloriatur de clauibus, aut quædam peccata sibi soluenda reseruet, quando una fides Christi ab uniuersis simul peccatis iustificat credentes.

7 In cœna dominica, præsentē Ecclesia, per ministros celebratur recordatio unici illius atq; consummatissimi sacrificij, per Christum ad repurganda mundi peccata semel oblatis: qua quidem ratione, nobiliores & probatiores ex patribus, cœnam sacrificium, ac ministros illius Sacerdotes uocauerunt.

8 Presbyteri, qui iidem & episcopi, soli in Ecclesia habendi ac honorandi sunt qui docent in uerbo dei, 1. Timot. 5.

9 Ecclesia igitur ministros nouit. Præterea episcopos, presbyteros, apostolos, euangelistas, prophetas, pastores, doctores nouit, quæ ministerij, dispensationis, ac laboris, non dignitatis & arrogantia nomina sunt: reliqua, ut nunc habet, blasphemia, de quibus Apocalypsis liber, nomina sunt.

10 Ii deligendi iuxta potentiam doctrinæ in uerbo, & uitæ integritatem idonei, seniorum Ecclesiæ consensu: atque ad id muneris gratis adsumendi, ut & gratis ecclesiæ ipsi inseruiant, tenui uictu & amictu contenti.

11 Neq; igitur debent nec possunt huiusmodi ministri nouas condere leges, aut præcepta alia Ecclesiæ dei obtrudere, præter ea quæ Christus ipse in apostolicis scriptis per spiritum sanctum expressit, Neque enim domini sunt, sed ministri tantum. Qui igitur conseruis suis imperabunt, aut fidei seruorum alienorū, nempe dei, dominabuntur?

12 Verum, quo iuxta Apostolum omnia ordine in Ecclesia dei gerantur, posunt in externis ceremonijs administrandis, per ministros, de seniorum Ecclesiæ consilio pariter & assensu, fieri ordinationes quedam, iuxta temporum, locorum, ac personarum exigentiam. Cauendum tamen omnino, ne quid in hijs temere ab apostolicis institutis innouetur, 1. Cor. 11. & 14. Quæ igitur præter imò contra uerbum dei in Ecclesiam irrepserunt, enitendum modis omnibus, ut ea quàm com-

modissime

modissime ac pacatissime fieri possit, aboleantur.

14 Poterit uero id commodissime ac pacatissime fieri, ubi ij qui se habenas Ecclesiarum moderari gloriantur, timore dei percussi, agnitis erroribus, ac sui officij memores, rem serio cū principibus tractent. Nam facile principes uniuersi assentientur, ubi illi uoluerint.

15 Talia sunt Missæ abominatio, auricularis Confessio, iuxta tenorem ca. Omnis utriusq; Indulgentiarum quæstus & impostura, Purgatorium cum suffragijs mortuorum: Coniugium clericis in totū interdictum, alijs uero Christianis in gradibus quibusdam, lege dei non prohibitis, prohibitū; Diuorū festa, & cultus propemodum diuinus, eorundem inuocatio: Peregrinatio ad illorum tumulos & statuas cum indulgentijs: Statuarum usus in ecclesia, & miraculorum ad illas factorum approbatio: Decimarum exactio, nisi iuxta naturam & institutum illarum, pauperibus, quorum etiam secundum ipsos pontificios Canones tributa sunt, elargiantur.

16 Commemorationes diuæ uirginis, apostolorum ac martyrum Christi. Præterea & ieiunia, & si quæ aliæ uidebuntur utiles ceremoniæ, in arbitrio & ecclesiarum libertate permittantur moderandæ.

17 Papa si huiusmodi, quæ contra uerbū irrepsērunt, in Ecclesia dei dolet fieri, modisq; omnibus conatur, ut ceu diximus, q̄ comodissime & pacatissime aboleantur, Bonus utiq; pastor ac honore dignus censendus est. Sin uero cōtra, ui atque armis, brachijsq; sæcularis auxilio, ista q̄ maxime tuetur, Seruus ille nequam, de quo in Euangelio Matthæi, & indubitatus, de quo in scripturis sanctis prædictum, habendus est Antichristus: cui militant omnes quicunq; in hoc illum adiuant & tutantur: quanq̄ fieri potest, ut multi ex ijs ignoranter hoc faciant, putantes obsequium se interim præstare deo.

Et consummati fuerint mille anni soluetur Sath. de carcere suo & exi.] Vergente iam mundi uespere, soluetur Sathanas, et ingrauibitur per orbem penè uniuersum Antichristi imperium. Soluetur, hoc est seducendi ac nocendi potestate, qua maxima pollet, uti permittetur. Porro exhibit, hoc est apertè sauiet aduersus Christi Ecclesiam; atque tum aperientur ex multis cordibus cogitationes, & apertos se exhibebunt hostes, qui amici ac domestici putabantur.

Ut seducat gentes quæ sunt super angulos terræ Gog & Magog.] Nimirum falsa religione imbutas Antichristi regno aduersus pios iunget.

Super quatuor angulos terræ.] Non igitur una aliqua gens aut religio, sed omnes quotquot in toto orbe sunt falsæ religiones, aduersus uerum Christi Euangelium conspirabunt, & undiq; illud oppugnabunt. Id quod puto significasse Iohannem, quando ait, Super quatuor angulos terræ.

Gog & Magog.] Quod sonat testum & reiectū. Sunt omnes omnino impij, siue occulti siue aperti, siue domestici siue extranei hostes, qui unā aduersus Christi Ecclesiam prodibunt in aciē. Hij apud Esa. cap. 53. uocantur Fortes & Plurimi, quorum tamen spolia diuidet Christus. Et apud eundem 54. dicitur Antichristus cum suo exercitu Faber conflans in igne prunas. Apud prophetam Ezechielem in hunc modum de illo scribitur ca. 38. Ascendes, inquit, ueluti multitudo aquarum, uenies tanquam nubes, ut operias terram. Item apud Daniele capite 11. sub typo regis Aquilonis, Veniet, inquit, super regem Austris rex Aquilonis in curru & equitibus & nauibus multis, & ueniet in terras & inundabit & transibit, & ueniet in terram desiderabilem, & cætera. Item Zachariæ duodecimo capite, Congregabuntur contra Hierusalem omnes gentes terræ, & cæt.

Hæc igitur & similia, quæ Iudæi ex prophetarum oraculis de sua gente interpreta-
 tantur, Iohannes noster, optimus prophetarum paraphrastes, de Christo & Ec-
 clesia exponit, cuius typum Hierosolyma illa in scripturis præfert, iuxta Aposto-
 lum Galat. 4. Vnde ait Iohannes cum prophetis iam adductis concordans, Quo-
 rum numerus est sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, &
 circueverunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. Et nisi prorsus cæci & amen-
 tes sumus, non nihil coniectari licet ex uictorijs Turcæ, quibus nostra tempestate
 de regno Aegypti, Iudæa & Hierosolyma, exterminato Sultano magno, triumphauit:
 paulo post de Rhodò insula, demum & de regno Vngariæ, interempto illius
 rege. Quid inde nobis metuendum sit, quis non uidet?

Quorum numerus est sicut arena maris, & ascenderunt.] Hac loquutio-
 ne uidetur innui paucitas piorum, & multitudo impiorum innumera, nec tamen
 deserturos militiam pios, hoc est minime hosti fore cessuros, id quod castrorũ no-
 mine datur intelligi. Atq; hoc loco uidere est, tantam esse Sathanę potentiam, quę
 humanis uiribus omnino superari nequeat, sed cœlesti nobis opus fore auxilio.
 Fallimur ergo, qui cum hominibus nobis putamus esse negotium in hac fidei pa-
 lestra, & nostris armis nobis uictoriam pollicemur: quin potius scire oportebat,
 quemadmodum in Ephesijs docet Paulus, cum spiritalibus nequitijs, hoc est cum
 nequissimis spiritibus, cum quibus precatione, ieiunijs, elemosynis, lachrymis,
 adeoq; omnimoda nostri abnegatione, nõ armatis copijs, non curiosulis discepta-
 tionibus congregiendum esse.

Et descendit ignis à deo de cœlo, & deuorauit eos.] Hactenus aduersa &
 tristitia, nunc læta nunciat Ecclesię. Vtitur uero præterito pro futuro, quod omnia
 certo firmissimoq; cõsilio diffinita sint, adeoq; tanquam iam facta habeantur. Vi-
 detur autem alludere ad ignem, qui Sodomorũ ciuitates, castra tumultuantium
 in deserto, & quinquagenarios milites regis Syriæ ad capiendum Heliam missos,
 uorauit. Aequę enim facile est deo innumeram locisq; longe distitam multitudine
 igni cœlesti atque paucos quosdam uno loco positos consumere. Quamq;
 ignis pro alijs quoq; supplicijs, quibus perdere impios deus solet, in scripturis ac-
 cipitur, quemadmodum in superioribus aliquoties monuimus. Neque uidentur
 hæc ad extremum referenda iudicium, sed ad Antichristiani exercitus interitum
 per orbem uniuersum, iuxta Augustini sententiam 20. lib. de Ci. dei, cap. 12.

Et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis.] Commemora-
 to Antichristi interitu, paucis complectitur totum hoc, quod ultimo iudicio, cum
 suo principe diabolo, ciuitas inimica passura est. Porro stagnum ignis & sulphu-
 ris, dicitur ad significandam incendij cum grauitatem tum perpetuitatem, iuxta
 illud Matth. 25. cap. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo.

Vbi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte, in sæc.] Vbi,
 nimirum in stagno ignis & sulphuris, cum diabolo suo principe. Bestiam uero in-
 telligit ipsum Antichristum cum electis suis proceribus. Porro pseudoprophetas,
 regni Antichristiani præcones. Hos uero specialiter commemorat, propter insi-
 gnem malitiæ illorum prauitatem, quam & grauiores manebunt pœnæ.

Et uidi thronum magnum candidum & sedentem super eũ, à cuius consp.]
 Recapitulatio narrationis est. Ordine em̃ narrat quo pacto sibi fuerit reuelatum
 iudicium. Vidi, inquit, thronum magnum & candidum, &c. Magnum quidem,
 quia magnus orbis iudex insidet: Candidum, nimirum luce diuinæ claritatis col-
 lustratũ. A cuius conspectu fugit, non tum quidem quando uisionem uidit Iohan-
 nes, sed quãdo Christus iudicaturus orbem aderit. Loquitur enim de innouatio-
 ne

ne mundi, de qua Psal. 102. *Ipsi peribunt tu autem permanebis. Et Christus, Tunc sol obscurabitur, & uirtutes cœlorum mouebuntur, & cætera. Item Roma. 8. & 2. Petri ulti. cap.*

Et uidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu.] *Matth. 25. Quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, &c. Per magnos uero uidetur mihi intelligere potentes huius sæculi tyrannos. Et pusillos, hoc est humili loco, & nullius existimationis apud mundum habitos, quin etiam pueros, qui recens nati, è corpore migrarunt. Quo significare uult deum omnium habere rationem, siue magni siue nullius pensati apud homines habeantur. Vnde & Paulus ait, Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque quod gessit in corpore, siue bonum siue malum.*

Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est uita.] *Libri uidentur singulorum, siue bonorum siue malorum, conscientia, quæ tum patebunt iuxta Apostolum Rom. 2. & 1. Cor. 4. Christo in lucem producente omnia, quæ antea operta erant. Liber autem uitæ, in quo electi, ante cõditum mundum scripti perhibentur, propter prædestinationis certitudinem, ut in Exod. cap. 32. Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro uitæ quem scripsisti. Item Luc. 10. Gaudete quia nomina uestra scripta sunt in cœlo. Porrò simile est ab hominum consuetudine desumptum, qui in delectu habendo selectiores ex nomine solent conscribere & recensere. Sic deus ex nomine dicitur cognoscere suos, & ex nomine compellare illos.*

Et iudicati sunt mortui ex hijs quæ scripta erant in libris secundum.] *Hoc uidetur mihi Iohannes dicere ad commendandam iudicis Christi æquitatem, qui personam non respicit, sed secundum ea quæ libri continent, iudicat, hoc est iuxta ea quæ quisque sibi conscius est, conscientia propria testimonium reddente, Rom. 2. Porrò mortui ipsi impij uidentur accipiendi, nam pii iudicabunt, nõ iudicabuntur, Matth. 19. Iohan. 5. 1. Cor. 6. Quanquam & in genere accipi potest, tam de pijs quam de impijs, quemadmodum Matth. 25. & Paulus, Ut referat unusquisque pro ut gessit in corpore, &c. Et dici mortuos iudicari, ut sciamus supplicia & præmia manere eos à resurrectione & iudicio, qui hinc migrauerunt, nec pro factis condigna receperunt in hac uita.*

Et dedit mare mortuos qui in eo erant.] *Hoc per recapitulationem dicitur, exponendo quod præmiserat, Et uidi mortuos magnos, &c. Ego simpliciter intelligendum puto de hijs, qui in mari aut fluminibus interierunt, aut quorum exusta corpora, & cineres in mare aut flumina persecutionis tempore proiecta, ut incredibile uideri possit, unquam in integrum illa restitui, & tamen ea Christi uirtute reparari. Quanquam Augustinus de Ci. li. 20. cap. 15. de hijs exponit, qui tempore iudicij superstites erunt: propterea quod sæculum præsens, mare aliquoties in scripturis appellatur. Sed uidetur mihi coactius hoc loco.*

Et mors & infernus dederunt eos qui in ipsis erant mortuos.] *Per mortem intelligo qualitercumque mortuos, siue igni, siue laqueo, siue gladio, siue sepultos, siue insepultos, bestijs ac uolucris cœli uorandos expositos. Per infernum uero sepultos, & in terræ pulueres redactos: quo significat Christi uirtuti nihil esse impossibile.*

Et infernus & mors coniecti sunt in stagnum ignis.] *Hoc ea figura dictum puto, qua dicitur, Absorpta est mors in uictoria. Item nouissimus hostis aboletur mors, prima Corinthiorum decimoquinto. Quanquam potest accipi etiam de ijs, qui non uixerunt à morte peccati prima resurrectione, igitur neque partem in se-*

cunda resurrectione habituri sunt, sed conijcientur in stagnū ignis, quæ est mors secunda.

Et qui non est inuentus in libro uitæ scriptus, in stagnum missus.] Hoc uideatur mihi accipi de hijs quos Christus in iudicio superstites reperiet, iuxta Paulum 1. Thessa. 4. Nam de mortuis ante iudicium uidetur prius egisse Iohannes: quanquam nihil prohibet, ut in genere de omnibus reprobis quis accipere possit.

CAPVT XXI.

ET uidi cælum nouum, et terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abiit, et mare iam nō est. Et ego Iohannes uidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cælo, à deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum dei cum hominibus: & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt: & ipse deus cum eis eirit eorum deus, et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc uerba fidelissima sunt & uera. Et dixit mihi, Factum est. Ego sum α & ω: initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis. Qui uicerit, possidebit hæc, & ero illi deus: & ille erit mihi filius. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & ueneficis, & idololatriis, et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardentis igne & sulphure, quod est mors secunda. Et uenit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & loquutus est mecum, dicens, Veni, & ostendā tibi sponsam, uxorem agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, descendentem de cælo à deo, habentē claritatem dei, et lumen eius simile lapidi precioso tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum et altū, habentem portas duodecim: et in portis, angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuū filiorū Israel. Ab oriente, portæ tres: & ab aquilone, portæ tres: & ab austro, portæ tres: & ab occasu, portæ tres. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim: & in ipsis duodecim, nomina duodecim apostolorum agni. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur ciuitatem et portas eius, et murum. Et ciuitas in quadro posita est, & lōgitudō eius tanta est quanta & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia, & longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt. Et mensus est murum eius centum quadragintaquatuor cubitorū, mensura hominis quæ est angeli. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa uero ciuitas aurū mundum, simile uitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioso ornata. Fundamentum primum, iaspis: secundum, sapphirus: tertium,

tium, calcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonius: sextum, sardius: septimum, chrysolitus: octauum, berillus: nonum, topazius: decimum, chrysolitus: undecimū, hyacinthus: duodecimum, amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ, erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum nō uidi in ea. Dominus enim deus omnipotens templum illius est & agnus. Et ciuitas nō eget sole neque luna, ut luceant in ea. nam claritas dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius: & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquatum, aut abominationem faciens et mendacium: nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni.



S T uidi cœlum nouum & terram nouam. Primū enim cœlum & pri.] Hæc septima & ultima huius libri uisio est, qua de fœlici Ecclesiæ, hoc est regni Christi, statu, adeoq; de mundi inuouatione edocemur. Quidam aut hoc ca. de apostolica Ecclesia sub initium exponunt. Alij uero de tempore intermedio post excisum Antichristi regnū usq; ad iudiciū. Rursus alij ad futurum sæculi fœlicitatem detorquent. Inter quos & Augusti, esse uidetur 20. lib. de Ci. ca. 17. Porro mihi de toto Christi regni statu, sub initium uidelicet, medio tempore & ultimæ fœlicitatis uidetur exponendum: sic tamen ut quædam initio illius regni, quædam uero medio tempore, quædam fini respondeant, nonnulla & initio & medio & fini congruant, quæ prudens lector discernere curabit.

Et uidi cœlum nouum & terram nouam.] Esa. propheta c. 65. de futura populi dei fœlicitate, qua post finitā captiuitatem, fruituri erant in Hierusalem & tota terra Chanaan uaticinaturus, inter alia quibus eam fœlicitatem ob oculos depingit, & cœli & terræ inuouationem pollicetur. Ecce, inquit, ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, &c. Et post pauca, Quia ecce ego creo Hierusalem exultationem & populum eius gaudiū, &c. Quādo igitur uates de restitutione pietatis adeoq; fœlicitatis in populo dei uaticinatus est, recte & de regni Christi fœlicitate subiicit. Sub cuius typo, & de inuouatione mundi, cuius interim gustus quidam pro uniuscuiusq; pietatis portione percipitur, consummatio uero illius in regeneratione tandē plena expectatur, iuxta Apost. Ro. 8. Est aut metaphoricè dictū, cœlū & terram inuouari, qd tristitia adfectis, cœlum, terra, breuiter omnia in amœna & ruituris similia uideantur: ubi uero rebus in melius mutatis, tristitia cessarit, animiq; exhilarati fuerint, noua cū cœli tū terræ omniumq; rerū facies adparet. Quemadmodū Lactantius in carmine paschali elegantissime scribit, Si igitur tum, ubi populus dei è captiuitate liberatus, & pietate in parte restituta, noua cœli facies uisa est: quanto igitur magis ubi per Christum regnum dei auspiciari cœperit plenius, ubi deinde aduersarijs potestatibus deletis, plena pax reddita Ecclesiæ, ubi creatura liberata fuerit à seruitute corruptionis, & in libertatem gloriæ filiorum dei adferta?

Et mare iam non est.] Mare ad uarios usus ac hominum utilitatem, optimi creatoris iussu deseruit. Inuouabitur ergo unā cum cæteris elementis, & à seruitute restituito homine, liberabitur, Rom. 8. Quanquam Augustinus putat turbulen

ram huius sæculi uitam, quæ maris nomine aliquoties in scriptura significatur, tum cessaturam, his uerbis significari.

Et ego Iohannes uidi ciuitatem sanctam Hierusalem descen. de cœlo.] Quem admodum cœlum nouum & terra noua, ita & ciuitas noua. Nempe quæ cœlesti dono prædita, cœlestem quoque uitam meditetur. Sancta, spiritu sanctificationis donata. Hierusalem, propter mutuam ciuium concordiam, & fœdus cum deo per mediatorem Christum inïtum, unde pax & tranquillitas. Vnde Psal. 72. Orietur in diebus eius iusticia & abundantia pacis, &c.

Descendentem de cœlo.] De qua Paulus Galat. 4. Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra. Et Heb. 11. Expectabant enim fundamenta habentem ciuitatē, cuius artifex & cōditor deus. Et paulo inferius, Confitentem quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere, &c. Et concludit, Nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. De cœlo igitur descendit hæc ciuitas, cuius rex de cœlo descendit, quæ & cœlesti prædita numine, mente interim in cœlestibus uersatur.

A deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo.] De hoc etiam Paul. Eph. 5. cap. Mundans, inquit, eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi. Item supra cap. 1. Dilexit nos et lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Loquitur uero de donis spiritus, quæ ueluti ornamento sunt Ecclesiæ, quæ sponsa Christi est. De quibus 1. Cor. 12. & Gal. 5. cap. ubi fructus spiritus illa uocat.

Et audiui uocem de throno dicen. Ecce tabernaculum dei cum hominibus.] Hoc in Ezech. totidem serè uerbis habetur cap. 37. Et fundabo, inquit, eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis deus, & ipsi erunt mihi populus, & scient gentes quia ego dominus sanctificator Israel, &c. Ex quo simul adparet, quorsum spectarit ueteris tabernaculi ritus. Id quod & Paulus 1. Cor. 3. Nescitis, inquit, quia templum dei estis uos, & spiritus dei habitat in uobis?

Et absterfurus est deus omnem lachrymam ab oculis eorum.] Sic & Esa. 65. de populi dei foelicitate post reditum è captiuitate Babylonica futura cecinit, Exultabo, inquit, in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea ultra uox fletus & uox clamoris, &c. Porro in hijs uerbis simul prædicit uates lætitiæ piorum in regno Christi, quod interim pij habent in spiritu sancto, ut Paulus ait, donec olim plenissime fuerit consummatum.

Et mors ultra non erit, nec luctus.] De quo etiam apud Esa. 65. cap. Non erit ibi amplius infans dierum & senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit, &c. Loquitur uero uates de longæuitate uitæ, quæ & ipsa pars foelicitatis haud modica censetur. Hanc tantam populo dei futuram pollicetur uates, ut qui centum annos natus è uiuis excesserit, puer mortuus censeatur, & peccato ac maledicto deputandum uideatur. Senectus autem, quam uirium imbecillitas comitatur, ibi erit sine uirium defectu. Sic & pij in regno Christi de communi lege ad maturam perueniunt ætatem, quemadmodum in apostolis serè omnibus cerne re est. Præterea qui in Christum crediderit non morietur in æternum, Iohan. 11. Quando mors piorum somno ac refrigerio siue quieti comparatur. Quamquam cum Esaias tum Iohannes ad plenam immortalitatem respicere mihi uidentur.

Ecce noua facio omnia.] Id quod etiam de nouæ legis instituto accipi potest, antiquatis Mosaicæ legis ceremonijs, iuxta Esa. cap. ulti. Quæ est ista domus quam

quam ædificabitis mihi, &c. Et post aliquot uersus, Lætamini cum Hierusalem & exultate in ea omnes qui diligitis eam, &c. Et iterum post pauca, Mittā ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, &c. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducēt omnes fratres uestros, &c. Et assumam ex eis in sacerdotes & Leuitas dicit dominus, quia sicut cœli noui & terra noua quæ ego facio stare corā me dicit dñs deus, sic stabit semen uestrum & nomen uestrum, &c. Quæ omnia satis quadrant de regno Christi per apostolos. Quamq̃ & hic uterque uates altius prospexerit, nempe ad regenerationem futuri sæculi, quando plenissime renouato homine, omnia restituentur & in melius commutabuntur.

Et dixit mihi, Scribe, quia hæc uerba fidelia sunt & uera.] Esa. 55. Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semē serenti, & panem comedenti: sic erit uerbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunque uolui, & prosperabitur in hijs ad quæ misi illud. Ita & Christus, Cœlū & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt, &c.

Hæc uerba fidelia.] Nimirum quibus solatur afflictos suos, de throno dicens, Ecce tabernaculū dei cum hominibus, &c. Et abstersurus est deus omnem lachrymam, &c. Miram profecto consolationem afflictis mentibus ingerunt huius promissionis uerba, quibus comparat deum pietissimæ matri tergentis natōrum lachrymas, & blandissimē illos demulcentis. Operæpretium igitur est, ut hæc certissima teneamus fide.

Et dixit mihi, Factum est.] Adseueratio est. Dicere dei, illius facere est. Nāq̃ dixit & facta sunt. Vel quod dicto facilius fiunt. Quæcunq̃ igitur dicit, tanquā facta habenda sunt, adeoq̃ minime de hijs ambigendū. Qua quidem ratione, ea quæ porro futura sunt, prophetæ tanquā iam facta pronunciant. Itaque hic dicit, Factum est.

Ego sum α & ω, principium & finis, &c.] Ethiolgia est. Causam namq̃ reddit, cur uerba illa fidelia & uera, & tanq̃ iam factum habenda, quando is promittit, qui omnia in manu habet, à quo omnia initium, in quem omnia finiuntur. Neque enim ante eum quisquam fuit, nec post eum futurus est deus.

Ego sitiēti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis.] Propheta Esa. ubi de regni Christi foelicitate uaticinatur, omnes omnino gentes inuitat, ut ad Christum uitæ fontem properent, Euangelij doctrinam sectādo, Omnes, inquit, sitiētes uenite ad aquas. Ad quem locum & Christus aspexisse uidetur Iohan. 4. & 7. cap. Item, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c. Item, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos, Porro Metaphora sitis pro quouis ingenti animi desyderio usurpatur, ut in Psal. Quemadmodū desyderat ceruus ad fontes aquarum, ita desyderat anima mea ad te deus. Si uero hunc locum ad futuram referas foelicitatem, habes etiam similes locos in Psal. Apud te est fons uitæ, &c. Item, Potabis nos torrente uoluptatis tuæ.

Gratis.] Quali dicat, Magno uendunt philosophi & mundi sapientes sua dogmata, quæ sunt uelut aquæ turbulenta, nec sitim restinguere ualent; ille dabit aquam uiuam gratis, modo quis sitiat. Quid quæso hic ogganient meritorū prædicatores: ubi ipsum Christum audiunt daturum aquam uitæ gratis. Et omnino uerissimum est, quod sæpius inculcat August. Non enim merita nostra, sed dona sua coronat deus in nobis.

Qui uicerit possidebit omnia, & ero illi deus, & ipse erit mihi filius.] Militia est uita Christiani hominis. Nam ubi Christo nomen dedimus, aduersus mun-

di principem conspirauimus, adeoq̄ ipsum cum uniuerso mundo aduersum nos irritauimus. Conandum igitur nobis, ut uiriliter decertemus, neq̄ locum hosti cedamus, aut desertores militiæ ad hostis castra ignaui transfugiamus. Siquidem nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Porro ingens præmiorum pollicitatio est. Quis unquam Imperator tanta potuit aut poterit suis militibus polliceri? Possidebit, inquit, omnia, nimirum cœlum & terram, & quicquid usquam in eis bonorum continetur. Quid enim non habet, qui deum ipsum, cuius est terra & plenitudo eius, possidet? Ero, inquit, illi deus, & ipse erit mihi filius. Qui enim deum patrem habet, omnium bonorum, quæ illius sunt, hæres factus est. Roma. 8. Quod si filij & hæres. Est uero desumptum ex pollicitatione Dauidi facta 2. lib. Samuelis cap. 7. quam repetit Psal. 89.

Timidis autē & incredulis.] Timidos & incredulos uocat, qui diuinæ promissioni, qua pollicetur suis adfore opemq̄ laturum, fidem nō habent. Verum re culis suis, aut famæ aut cuticulæ timentes, sese ultrò in fœdam aduersariarum potestatum seruitutem dedunt. Habet namq̄ incredulitas pusillanimitatē comitem. Qui autem fidunt in domino, sicut mons Zion, &c.

Execratis.] Execratos uocat, qui post agnitam ueritatem non modo per apostasiam retrocedunt, sed etiam infensissimi illius hostes facti, caninis rictibus illam mordent & blasphemant: & qui ipsi ueritatem abominantur, abominatur uicissim illos deus, qui ueritas est. Latinis namq̄ Execrari, horrori & abominationi esse sonat.

Homicidis.] Quales sunt Caini illi, gigantes & uiri nominis Nimroth, uenatores robusti, qui innocuos pro libidine trucidant, & ceu oues mactant. Id quod nemo crudelius hodie quàm pontifex Rom. mansuetissimi illius agni uicarius & imitator, patrat, Petri apostoli, quem Christus gladium reponere iussit, successor. Hunc Rom. pontificem & alij supremi ordinis antistites sedulo in hoc imitantur: sed uiros illos sanguinum & dolosos abominabitur dominus.

Scortatoribus.] Quid oggānient oro hic nostri cœlibes, qui castitatē, quam aut uoto aut iureiurando tactis sacrosanctis Euangelijs polliciti sunt, iactitantes, periurij crimen se putant euasuros, quod à coniugali ac legitimo abstineant congressu, q̄libet egregie interim scortentur? Verum absq̄ hospite, quod dici solet, symbolū computant, hoc est apud sui similes iudices casti & iuris iurandi seruantes pronunciantur, apud uerum iudicem non item.

Veneficis.] Siue ueneficos accipias pro hijs qui uenena alijs propinant, siue pro hijs qui magicis artibus homines dementant, quo illos ad sui amorem & cultum pelliciant, uix ullis hominibus in nostro orbe rectius conuenit, quàm Romanis illis antistitibus, & qui sanctam illam Romanā curiam frequentant. Sunt autem huius uaria genera, de quibus Deut. 18.

Idololatriis.] Hoc est, qui quouis superstizioso cultu, præter institutum uerbi, deum colere præsumunt. Deute. 12. Non quod tibi rectum uideatur. Et Rom. 1. Qui cum deum cognouissent, &c.

Et omnibus mendacibus.] Nimirum qui uel religionem Christi uel proximorum famam mendaciter lادere pergunt. Sunt enim ex patre mendaciorū diabolo nati, Iohan. 8.

Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure quod est mors secunda.] Partē pro hæreditate ac peculio dixit, iuxta illud Psal. Ignis, sulphur, spiritus procellarū, pars calicis eorum. Item Matt. 24. Scindet illum medium, & partem eius ponet cum hypocritis. Porro mortem secundā dicit, id quod Daniel opprobrium &

& contemptū sempiternū, Dan. 12. Et Christus gehennā siue supplicium aeternū. Et attende quod sceleratis illis, execratis, hoc est abominabilibus deo, homicidis, scortatoribus, ueneficis, idololatrīs, ac mendacibus, cōiungit timidos & incredulos, ne quis existimet tñ crassos illos ac scelestos peccatores huiusmodi manere poenas.

Et uenit ad me unus de septē angelis habentibus septē phialas.] Paulò suprā dixerat se uidisse ciuitatē sanctam Hierusalē nouam à deo paratā & ornatam, atq; id in genere quidem, iam rem per partes explicat. Quo commōstrante quali habitu atq; ornatu, &c. Sponsam uxorē agni, ipsam Ecclesiam, hoc est credentiū multitudinem, cuius typum ciuitas Hierosolyma præfert, accipimus. Porrò sponsi ac sponsæ comparatione, tenerrimus ille ac incessabilis Christi & Ecclesiæ suæ mutuus amor, de quo & Salo. in Canticis, significatur.

Sustulit me in spiritu in montem magnum & altum.] Ciuitas Hierosolyma montem Zion habet, qui typus est regni Christi, iuxta Esa. ca. 2. & Dan. 2.

Ostendit mihi ciuitatē magnam sanctam Hierusalem descen. de cœ.] Magnam quidem, quia magni regis. Deinde quia innumera populi dei multitudo, q̄ & ordine & dignitate omnibus totius terræ populis maior, Deut. 4. Adde quod toto terrarum orbe diffusa est Ecclesia. Sanctam, quod nomen dei sanctum et terribile inuocatum est super eam, qui & illam quoq; sanctificat, hoc est firmat & omnino inexpugnabilem facit, q̄libet ab aduersaria oppugnetur potestate. Descendētem de cœlo à deo, habentem claritatē dei, hoc est bonis cœlestibus adfluētem, adeoq; cœlestem in omnibus conuersionem præ se ferentē. Porrò si ad futuram referas fœlicitatem, significat gloriam immortalitatis in corporibus electorū relucētem, iuxta illud Ephe. 4. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. Et 1. Iohan. 3. Scimus, quoniam si apparuerit similes ei erimus, &c.

Et lumē eius simile lapidi preciosissimo, tanq̄ lapidi iaspidi cryst.] Regnum Christi in spiritu, adeoq; futuram electorū fœlicitatem, quæ prorsus omnē humanū superat captū, iuxta Apost. 1. Cor. 2. post Esa. descripturī prophetæ, miris utuntur amplificationibus, metaphoris, hyperbolis & collationibus, idq; ex eis potissimū rebus desumptis, quas maxime homines admirari, & in precio habere solent. Sic ingentem ciuitatis Hierosolymæ fœlicitatē legis apud Esa. 54. Dilata, inquit, locum tentoriū tui, & pelles tabernaculorū tuorū extende, &c. Et apud Ezech. 40. & sequentibus. Item Zach. 2. Absq; muro, ut uetus interpres, siue uillæ more, ut Oecolamp. habitabitur præ multitudine hominis & iumentī in medio eius. Id quod alijs locis disertis uerbis prædicunt, nimirū omnes gentes uenturas, & Christum usq; ad terminos orbis terrarū regnaturum. Præterea latissimos ac miræ altitudinis muros, & ex margaritis. Item fontes, flumina, lignum uitæ, & similia: quibus urbes admirari, & cōmendari inter homines solent. Quæ omnia robur ac firmitatem: deinde ornatū, amœnitatem; præterea ubertatē, ac bonorū oīm copiā: adde pacē & securitatē regni Christi testantur, in præsentī quidē ex parte, in futuro aut plenissime, quādo similes illi erimus, & uidebimus eū sicuti est, ac facie ad faciem cum illo dulces miscēbimus sermones. Lumen ergo quod electissimo iaspidi crystallizanti comparatur, lumen fidei est, hoc est doctrina Christi purissima firmissima maq; omnium errorum tenebras depellens, iuxta illud, Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ.

Et habebat murum magnum & altum.] Hinc Psal. Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui. Item apud Zacha. cap. 2. Et ego ero ei, dicit dominus, murus igneus in circuitu. Præterea & angelica custodia in murum reputatur, ut Esaia 62. Super muros tuos constitui custodes, & cæc. Item in alio Psal. An

gelus domini castrametabitur in circuitu timentium eum, &c. Porro hac metaphora declarat prorsus inexpugnabilem esse Christi Ecclesiam, & nihil posse aduersus illam portas inferorum, Matthæi 16. Non enim rapiet quisquam de manu Christi, Iohan. 10.

Habentem portas duodecim & in portis angulos.] Portis recte comparantur principales familiarum patres, à quibus unius ueri dei cultus ad posteros subinde fuit propagatus, quemadmodum ipse Iohannes hoc loco exponit de duodecim tribubus populi dei, iuxta illud, Quia salus ex Iudæis est, Iohan. 4. cap. Et Roma. 12. Si radix sancta, &c. Qua quidem ratione & ipsos quoque apostolos intelligas licet. Duodenarius namque numerus uniuersitatis est. Porro angulos ipsa propugnacula in portis, propter munitionem fieri solita, accipio; per que fides patrum, hoc est, fides unius ueri ac omnipotentis dei significari mihi uidetur, per quam aduersariæ arcentur potestates, ne aduersus ciuitatem dei praualeant. Quanquam non angulos, sed angelos Græcè habet; id quod ad angelorum custodiam referendum, ut paulo ante diximus. Vnde & Psal. Dominus, inquit, custodiet introitum tuum & exitum tuum.

Ab oriente portæ tres.] Ecclesia Christi ciuitas est toto orbe diffusa, ad quam quisquis ingreditur, fide in patrem & filium & spiritum sanctum ingrediatur, necesse est. Igitur à quatuor mundi plagis per hanc fidem ad Ecclesiam ingreditur credentium multitudo maxima, iuxta illud Matth. 8. Multi uenient ab oriente & occidente. Quam quidem multitudinem portarum numero significari puto.

Et numerus ciuitatis habens fundamenta duodecim & in ipsis duodecim, &c.] Eadem omnino fides patrum, prophetarum, & apostolorum est. Nempe Christum esse agnum tollentem peccata mundi. Hic petra & fundamentum Ecclesiæ est, Matth. 16. cap. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo ponere potest, &c. Item Ephe. 2. Supra fundamentum apostolorum & prophetarum, &c. Sunt uero patres, prophetae, & apostoli lapides uiui, huic fundamento inædificati, 1. Pet. 2.

Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arum.] Mensuram, fidei regulam puto, quam auream, hoc est igni afflictionis probatam esse oportet, iuxta illud Galat. 6. Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint, &c. Item iuxta mensuram fidei qua unicuique mensus est deus. Alludit uero ad 40. cap. apud Ezech. & sequentia. Et ad 2. cap. in Zach. Adparet autem hunc Christum esse, qui huius ciuitatis architectus est, per spiritum suum cuique mensuram fidei ac donorum, suo muneri congruentium, dispertiens. Porro per ciuitatem, credentium coetum accipio. Per portas uero & muros, uerbi ministros: nempe prophetas, apostolos, doctores, qui sese murum et propugnacula aduersus fidei hostes fortiter opponunt. Præterea & pii principes ac magistratus, quibus & ipse Christus & angelici spiritus adsistunt, & certantibus opem ferunt.

Et ciuitas in quadro posita est.] Per hoc firmitas ac perpetua sanctorum stabilitas notatur, deo illam seruante.

Et mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia, &c.] Et duodenarius numerus, & millenarius, numeri uniuersitatis & perfectionis sunt, quibus amplitudo regni Christi, toto orbe portendi significatur, sicut etiam prædictum est in Ezechiele.

Et longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt.] Nam supra in quadro positam dixit. Hæc uero cum amplitudini tum stabilitati eius attestantur.

Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum.] Frequenter

quenter iam admonuimus, non oportere nos in hoc libro superstitiose numeros obseruare, sed potius mysteria quę sub hijs latitant; id quod ex presenti loco clarissimum sit. Nam si duodecim millia stadia ad quatuor latera simul referas, cuiuslibet lateri tria millia stadiorum respondebunt. Porro centum quadraginta quatuor cubiti, siue minores, quorum unus pedem cum dimidio continet, siue maiores, quos Geometricos uocant, quorum unus sex minores, hoc est nouem pedes continet, accipias, nondum unum stadium efficiunt. Continet enim stadium passus centum uiginti quinque, hoc est pedes sexcentos uiginti quinque. Quomodo igitur 144. cubiti, totum spacium 12. millium stadiorum, nam utroque illorum numero totum urbis ambitum describere uidetur, equabitur nisi mystica ratione numeros accipiamus. Igitur duodecim duodecies repetita, centum quadraginta quatuor efficiunt; qui supra cap. 7. & 14. numerus electorum dicitur. Per huiusmodi ergo mysticos numeros, nimirum 12. millia stadiorum, & centum quadraginta quatuor cubitorum, amplissimum uoluit describere electorum numerum futurum, adeoque ciuitatem Hierosolymam, quę typum Ecclesię siue regni Christi præfert, fore amplissimam. Id quod in Psalmis ac Prophetis usque ad fines orbis terrarum distendi dicitur, & incolas illius ex orbe uniuerso confluentes, præ multitudine numerari non posse. Vnde apud Baruch cap. 3. dicitur, O Israel quã magna est domus dei, & ingens locus possessionis eius: magnus est & non habet finem, excelsus & immensus, &c. Si uero de cœlesti & futura Hierosolyma, quę hic dicuntur, accipias, multo magis horum numerorum mysticam attendes rationem, &c.

[Mensura hominis, quę est angeli.] Hoc est, cubiti humani, qui est angeli in hominis effigie adparentis.

[Et erat structura muri eius ex iaspide.] Id quod haud minus firmum, quã etiam mirum in modum speciosum atque ornatum, ostendit regnum Christi. Nam talis est sanctorum cum fides tum conuersatio in Ecclesia.

[Ipsa uero ciuitas aurum mundum.] Sub Salomone rege ingens auri copia legitur fuisse Hierosolymis, & nihil fuisse in templo, quod uel non esset ex auro solido, uel obductum auro. Hic uero ipsa ciuitas aurum mundum perhibetur, quo clarissime ostenditur excellentia Ecclesię Christi, ad Synagogam comparata, iuxta illud Esa. Ponam omnes filios tuos doctos à deo. Item illud Hiere. 31. Non docebit ultra uir fratrem suum dicens, Cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me, &c. Item, Qui minor est in regno cœlorum, maior est Iohanne Baptista. Huc pertinent quę Paulus 2. Corin. 3. cap.

[Similis uitro mundo & fundamenta muri ciuitatis omnia.] Incomparabilem prorsus Ecclesię futurę ostendit decorẽ, quod fide idem sapiant, & per charitatẽ alterutrum honore præuenientes, pulcherrimo ordine, quisque concessis muneribus, Ecclesię atque fratrum ædificationi inseruiant. De quo 1. Cor. 12. & Rom. 12.

[Fundamentum primum iaspis, Secundum sapphirus, Tertium calce.] Gemmarum duodecim nominat genera, ex quibus fundamenta mœniorum Ecclesię constant, & easdem ferẽ gemmas, quas in rationali summi sacerdotis, Exo. 28. & quibus amiciebatur princeps Tyri apud Ezechielem 28. cap. iuxta septuaginta, licet ordine paulo immutato legimus. Quarum si quem delectat scire uim, naturam ac uarietatem, legat Plin. historię naturalis lib. 37. Deinde si mysterium illarum scire uelis in sacris, lege Hieronymum in Esaia cap. 54. super illud, Ecce ego ster nam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & cætera. Item Bedam super Apocalypsim præsentis capite. Neque enim animus est, huiusmodi metaphoras, collationes & hyperbolas curiosius & admodum anxie discutere, no-

stræ functioni satisfecisse rati, si id ex eis ad quod inducuntur, paucis, quoad possumus, indicauerimus. Quum ergo iuxta Augustinum diuersitas gemmarum in fundamentis, dona diuersarum gratiarum, quæ apostolis adeoq; Ecclesiæ Christi sub initium data, significet, iuxta illud, Hæc omnia operatur deus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult, satis fuerit lectorem huius admonuisse.

Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ singulis margaritis.] Augustinus sic legit, Et unaquæq; porta erat ex una margarita, Urbium portæ præcipuo & robore & ornatu insigniri solent: ita & ij qui ad iustitiã erudiunt multos, insigni præ cæteris robore & fulgore in donis dei polent. Porro per margaritæ unitatem, quilibet portæ multæ sunt, ego unum dei & hominum mediatorum hominem Iesum Christum intelligo, qui est ostium, uia, ueritas & uita.

Et platea ciuitatis aurum mundum tanq; uitrum perlucidum.] Platea ciuitatum, præsertim maiores, quadris sterni solent. Per plateam igitur ciuitatis intelligo simplices quosq; in Ecclesia, qui propter fidei puram ac simplicem intelligentiam auro perlucido recte comparantur: Platea uero siue pauimento, quod glutino charitatis inuicem cohæreant. De hoc paulò supra fufius, uidelicet, Ipsa uero ciuitas aurum mundum, &c.

Et templum nõ uidi in ea.] Hic uides apud Christianos nullum externum esse templum, sicut nec sacerdotium, nec sacrificium pro peccatis, ut supra ca. 20. dictum est, præter templum quod hoc loco Iohannes, & Paulus i. Cor. 3. & 6. cap. Id quod & ipse Christus Iohan. 4. testatur. Ob quam causam & templum Hierosolymitanum funditus dirui uoluit, ne in illo aut simili poneremus fidutiã, et locis alligaremus. Igitur prorsus humanum intentum est, quod Suffraganei se templa consecrare fingunt, mira quadam superstitione simplicem populũ dementantes. Fuisse quidem ab ipsis apostolorũ temporibus loca deo dicata, quæ à quibusdam Oratoria, à quibusdã uero Ecclesiæ appellabantur, ubi collectæ fierent per unam sabbati, & in quibus populus Christianus ad audiendum uerbum dei, & ad percipiendũ dominici corporis & sanguinis sacramentũ cõueniret, & apostolorũ edocemur epistolis, & sanctorum patrum instruimur gestis. Quæ licet salibus exorcizabantur, non tamen Chrysmate ungebantur, nec altare stabat lapideum adhuc erectum in titulum, Chrysmate delibutum. Hoc ipsi Pontificij testantur in breuiario Romano, in officio dedicationis Ecclesiæ. Ex quo adparet id qd diximus, nempe inuentum esse humanũ: quod tamen ipsi in Syluestrum primum eius nominis Romanum antistitem reijciunt, quo uetustas auctoritatem huic ritui faciat.

Et ciuitas non eget sole neq; luna ut luceant in ea, Nam cla.] Non enim lumine rationis & humanæ sapientiæ, quæ meræ sunt tenebræ, sed lumine fidei per Christum solem iustitiæ illustratur Ecclesia. Iohan. 1. 3. 8. & 12. cap. Nullo eget doctore aut monitore, iuxta illud Hiere. 31. Non docebit ultra uir fratrem suum, &c. Videbimus eum sicuti est. Item, Facie ad faciem.

Et ambulabunt gentes quæ seruatæ fuerunt in lumine eius.] Ad illud Esa. 60. cap. respexit, Super te autem orietur dominus, & gloria eius in te uidebitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, &c. Quæ seruatæ fuerunt, nimirum à seductione Antichristi & illius pseudoprophetis.

Et reges terræ adferent gloriam suam in illam.] De quo canit Psal. 45. Et Esa. 60. Id quod sub apostolis partim, deinde à Cõstantini magni temporibus adimpletũ & in futurũ plenius adimpleri cũ desyderio ingenti expectant omnes pij.

Et portæ eius non claudentur per diem.] Pacem & securitatem magnam in

in regno Christi futuram, ubiq; pollicentur prophete, precipue uero Psal. 72. Esa. 2. & 65. ca. id quod & Iohan. hoc loco significare uoluit. Et ne queres, Quid hoc magni est, q; portę per diē non claudent? Ideo subiungit huius dicti causam. Nox enim, inquit, non erit illic. Quod perinde est ac si dixisset, Portę eius nunq; claudentur. Verū sic maluit dicere, quo simul significaret cōtinuū in ea ciuitate diem esse, nulla noctis uicissitudine interpolatum. Sic Paulus quoq; in Rom. ait cap. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Hoc præfigurātū fuit per columnam ignis, noctis tenebras à parte populi dei illuminantem, Exo. 13. Videtur uero ad illud Psal. 139. Nox sicut dies illuminabitur, &c. aspexisse.

Non intrabit in eam aliquid quod inquinat aut abomi.] Nemo in eam ingreditur, nisi renati fide per spiritum Christi: ubi uides Iohannem loqui de interna Ecclesia. Nam in externa mixti sunt interim boni & mali, Matth. 13. Item 1. Iohannis 2. E nobis exierunt, &c. Id quod & sequentia declarant. Ex quo simul adparet, quid uoluerit Moses in lege, Deu. 23. cap. per hoc, Non intrabit eunuchus. Et ea quę sequuntur ibidem. Quanquam proprie ad futurā pertinet foelicitatem.

Nisi qui scripti sunt in libro uitę Agni.] Hoc est, qui iuxta apostolum Paulum Ephe. 1. ante iacta mundi fundamenta in Christo prædestinati & electi sunt.

C A P V T X X I I .

T ostendit mihi fluuium aquę uiuę, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede dei & agni. In medio plateę eius, & ex utraque parte fluminis lignum uitę, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructū suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictū non erit amplius: sed sedes dei et agni in illa erunt, & serui eius seruient illi. Et uidebunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum. Et nox ultrā non erit: & non egebunt lumine lucernę, neque lumine solis, quoniam dominus deus illuminabit illos, et regnabunt in secula seculorum. Et dixit mihi, Hęc uerba fidelissima sunt, & uera. Et dominus deus spirituum prophetarum misit angelum suum ostēdere seruis suis, quę oportet fieri cito. Et ecce uenio uelociter. Beatus qui custodit uerba prophetię libri huius. Et ego Iohannes qui audiui & uidi hęc. Et postquam audissem & uidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hęc ostendebat: & dixit mihi, Vide ne feceris. conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarū, et eorum qui seruant uerba prophetię libri huius. Deū adora. Et dicit mihi, Ne signaueris uerba prophetię libri huius. tempus enim propē est. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce uenio cito: & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundum opera sua. Ego sum α & ω, primus et nouissimus, principium & finis. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni: ut sit potestas eorum in ligno uitę, & per portas intrēt in ciuitatem. Foris canes & uenefici, & impudici, & homicidę, & idolis seruietes, & omnis qui amat & facit mendacium. Ego I E S U S misi angelum meum te

Q

stificari uobis hæc in ecclesijs: Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina. Et spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni. Et qui sitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquam uitæ gratis. Cōtestor enim omni audienti uerba prophetiæ libri huius, Si quis apposuerit ad hæc: apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis libri prophetiæ huius: auferet deus partem eius de libro uitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. dicit qui testimonium perhibet istorum, Etiam uenio cito, Amen. Veni domine IESU. Gratia domini nostri IESU CHRISTI cū omnibus uobis, AMEN.



T ostendit mihi purum fluuium aquæ uitæ splendidum tanq̃.] Fluuius ille ad ciuitatis Hierosolymæ amœnitatē pariter & inhabitantium sanitatem facit. Alludit uero ad paradisi flumina, Gene. 2. cap. Si uero huic fluuium ad baptismatis sacramentum referre libet, habes supra de mari uitæ, habes & similes locos ex prophetis huic sacramento attestantibus in regno Christi, Ezech. 36. Effundam super uos aquam mundam, &c. & Zacha. 13. Erit fons patens, &c. in ablutionem peccatorum & menstruatæ: ut tamen uim doctrinæ spiritus Christi intelligas, quemadmodum Christus loquitur Iohannis 4. & 7. Mihi uero referri uidetur ad uberrimam illam cōsolationum dei adfluentiā, quibus cœlestis pater suos consolaturus est filios, iuxta illud, Apud te est fons uitæ. Item, Torrente uoluptatis tuæ potabis nos. Et illud, Secundū multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animā meam. Item, Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Cuius fœlicitatis typū interim præse fert Ecclesia, quemadmodum uetus synagoga Ecclesiæ typum, hoc est regni Christi præferbat. Nos plus lucis & ueritatis q̃ ueteres habemus, longe tamen minus quàm in futura beata uita, in cuius comparatione ea quæ habemus adhuc umbræ & figuræ quædam sunt, 1. Cor. 13. Ex parte cognoscimus, &c. Totam uero hanc descriptionem ex Ezech. cap. 37. uidetur mutuatus esse Iohannes.

De sede dei & agni.] Attende quomodo Agnum patri semper æquat, ita hoc quoque loco, ubi unam dei & agni sedem facit.

In medio plateæ eius, & ex utraque parte fluminis lignum uitæ.] Alludit ad Psal. 46. & 48. præcipue uerò ad hortum Eden, in cuius medio arbor uitæ, cuius mysteria hoc loco eleganter aperit Iohannes, dicens.

Afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens.] Fortunatæ insulæ ac fœlices habentur regiones, quarū solū arboresq̃ bis in anno referunt fructum. Erit itaq̃ fortunatissimus nostræ ciuitatis ager, qui non solum semel atque iterum per circulum anni, sed duodenū reddit fructum, ubi singuli menses suum & uer & autumnum habent. Præterea scitum est, in Psalmis aliquot, uirū iustum arbori perpetuo uirenti, iuxta riuos decurrentium aquarum plantatæ, & fructus temporaneos proferenti, comparari. Erit itaque lignum illud uitæ in medio ciuitatis, hoc est Ecclesiæ, quæ est regnum Christi, Christus ipse mortis destructor, qui quos uult uiuificat. Nam in ipso omnis origo uitæ, imò ipse uiuentium uita est, in quo uiuimus mouemur & sumus. Cuius quidē arboris palmites sunt, prophætæ, apostoli, euangelistæ, doctores, perpetuo uirentes, & fructus uberrimos ac immarcescibiles sanctæ cum doctrinæ tum uitæ per singulos menses, hoc est incessanter q̃diu hic uiuunt, proferentes: quibus inter sæculi huius ærumnas, & uarios labores, recreatur Christiana mortalitas, nimirum fide ac spe pollicitationum piens-
tissimi

tissimi parentis suffulta, & gustu quodam eximiae illius in nos dilectionis, quae nobis in Christo Iesu filio suo unigenito exhibuit refocillata, ubi haec per huiusmodi uiros sapientius inculcantur.

Et folia ligni ad sanitatem gentium.] Sanitas gentium est, ut agnitis redemptoris beneficijs, perpetuo in laudibus dei patris atque ipsius occupari, beneficia illius cum nobis tum uniuerso mundo exhibita predicando, quemadmodum est uideri in Psal. et Canticis, Mirè enim in huiusmodi exhilarescit animus & uires sumit.

Et omne maledictum non erit amplius.] Christus enim redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Galat. 3. & Rom. 8. Nihil damnationis est hijs qui sunt in Christo Iesu, &c.

Et serui eius seruient illi.] Rom. 6. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato: liberati à peccato, serui facti estis iustitiae, &c.

Et uidebunt faciem eius.] Oculis scilicet mentis interim, Omnia uelut in conspectu dei constituti, magno timore & dicunt & faciunt.

Et nomen eius in frontibus suis.] Ne dum confessione oris, sed totius etiam uitae habitu, dei & Christi sui seruitutem ingenuè & intrepide coram mundo isto perditio profitentur.

Et nox ultra non erit.] Lucem Christum sequentes ac ueritatem illius amplexi, errorum tenebras refugiunt, ac mendacium omne detestantur electi. Sic Paulus Ephes. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino, ut filij lucis ambulate, &c.

Et regnabunt in saecula saeculorum.] Regnant etiamnum electi dum in hac carne uiuunt, neque regnum illorum ullo unquam tempore finietur. Nam spiritu & iustitia regnant cum Christo, iuxta dei patris uoluntatem omnem uitam suam attemperantes. Contra uero exiguo tempore durant tyrannorum mundi imperia, adeoque haud admodum formidanda. Psal. 82.

Et dixit mihi, Haec uerba fidelia sunt & uera.] Hac adseueratione prophetiae suae fidem conciliat Iohannes, quemadmodum & prophetae hijs uerbis, Haec dicit dominus deus Zebaoth. Et Christus, Amen amen dico uobis, Et, Doctrina mea non est mea, Et, A me ipso non ueni, sed qui misit me uerax est: atque id genus multa. Item, Paulus apostolus Iesu Christi, Apostolus uero non sua, sed eius qui semittit cum uerba tum mandata adfert. Item, Deus scit quia non mentior, &c.

Et dominus deus sanctorum prophetarum misit angelum suum ostendere seruis suis quae op.] Idem dominus deus qui olim sanctis prophetis locutus est, & nunc angelum quoque suum misit, ut ostendat seruis suis, tibi & Ecclesiae suae, quae post hac uentura sunt, quo aequanimius ea perferatis.

Etece uenio uelociter.] Ex hoc adparet dominum esse qui loquitur Iohanni, qui & supra ca. 1. Porro hac pollicitatione solantur pii in aduersitate positi, scientes prope adesse, & quod dici solet, in ianuis adstare qui liberaturus sit.

Beatus qui custodit uerba libri prophetiae huius.] Ne uel à pseudopphetis seductus, simplicem Euangelicæ doctrinae sensum relinquat, aut minarum Antichristi terrore percussus, à recto deuiet tanta diligentia praemonitus. Vides etiam hoc loco ut & saepe in superioribus, quanta adseueratione uerba huius libri prophetiam uocat, & eam à deo per angelum suum seruis suis, utique ad illorum utilitatem, reuelatam adstruit.

Et ego Iohannes qui audiui & uidi haec.] Ex hijs uerbis adparet hunc Iohannem magni nominis & autoritatis, adeoque celeberrimae fame fuisse apud Asiae

Ecclesias: qualem utique uerisimile est fuisse Iohannem apostolum, quando etiam eo tempore multi hoc nomen haberent, nec ille cognomen addidit quo praeter ceteris internosceretur. Quod uero quosdam mouet, praeter morem Iohannis apostoli esse ut suum nomen adscribat, quando id neque in Euangelio suo, neque in epistola fecisse legitur, satis adparet ad conciliandum fidem saluberrimae huic doctrinae factum, quod difficilius uideretur prophetiae quam historiae ac rei gestae, de qua & alij plura conscripserant, habere fidem. Perinde igitur est atque dicat, Ego ille uester Iohannes, cui & in alijs fidem habere consueuistis, &c. Sic & Paulus in re admodum graui & necessaria sui nominis autoritate, quo fidem dictis suis faceret, in medium adducit. Ecce ego Paulus dico uobis, inquit, quod si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit.

Audiui & uidi haec.] Hoc ideo adiicit, quod oculatis simul & auritis testibus maior fides haberi soleat.

Et postquam audissem & uidissem, cecidi ante pedem.] De hoc habes supra cap. 19.

Conseruus tuus sum & fratrum tuorum prophetarum.] Hic uides etiam angelum domini Iohannem appellare Prophetam.

Deum adora.] Nimirum solum, de quo Deut. 6. & Matth. 4. Est autem adoratio cultus, seruitus, quo deo, ut corpore ita & animo quoque inclinamus supplicantes, & nostras illi necessitates commendantes.

Et dicit mihi, Ne obsignaueris uerba prophetiae libri huius. Tempus enim.] In Ecclesiae utilitate uisiones huiusmodi Iohanni reuelatae sunt; quarum quaedam etiam tum erant adimplendae, aliae tardius aliquanto, Non igitur erant obsignandae, id est, occultandae.

Qui nocet, noceat adhuc, & qui sord. est sord.] Peruersi homines occasione correptionis, iusto quidem sed occulto dei iudicio, in peius proficiunt, sicut contra prius in melius. Sic Christus lapis offensionis & resurrectionis multorum: apostoli bonus odor quibusdam ad uitam, alijs ad mortem. Et sermo crucis pereuntibus quidem stultitia, nobis autem credentibus uirtus dei ad salutem. Perinde igitur est ac si dicat, Annuntianda est ueritas, quilibet peruersi ac noxij homines inde irritati, magis nocere pergant, & qui sordibus peccatorum subinde oblectantur, correpti, per contemptum amplius inquinare se sordibus pergant. Propter huiusmodi tamen non est obmittenda ueritas. Nam ea quidem iustitiae amatoribus proficit ad augmentum uirtutis, iuxta illud Prouer. 11. Audiens sapiens sapientior erit. Sapientiam uero & doctrinam stulti despiciunt. Item, Omni habenti dabitur, & non habenti auferetur.

Et ecce uenio cito, & merces mea mecum est, ut reddam uni.] Sedulos nos esse oportet, ut diligenter munera nostra quisque pro sua uocatione obeamus, proficiat nec ne labor noster, ei permittendum, qui unicuique mercedem iuxta suum opus se redditurum pollicetur. Porro merces non ad meritum operis, ut praedicatores operum loquuntur, sed ad fidem promissionis referenda, iuxta illud, Cum feceritis omnia quae praecepta sunt uobis, dicite, quia inutiles serui sumus. Gratia enim dei, & bona uoluntas, & bonum opus, & perseverantia in bono opere, & ipsum quoque praemium, omnia donantur pijs, non ipsorum merito redduntur: quam scriptura paruulos praemiorum pollicitatione ad bonum opus pellicere solet. Quando igitur omnia ex gratia largitoris nobis contingunt, nihil ex merito nobis debetur. Roman. 4. & 11. Ei enim qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Item, Sic reliquiae secundum electionem gratiae dei saluae factae sunt: Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Et in Corin. Quid enim habes quod non accepisti? Cur ergo

ergo gloriaris quasi non acceperis: Et quemadmodū preclare inquit Cyprian, li. 3. ad Quiri. ca. 4. In nullo esse gloriandum quando nihil nostrum est. Et Augustinus inculcare aliquoties solet, Non nostra merita sed dona sua in nobis coronat deus. Ne igitur gloriatur ulla caro in conspectu dei, sed qui gloriatur, in domino gloriatur, ut inquit Paulus post prophetam Hieremiam. Quando uero ipse deus mercedem pollicetur, & præmijs allicit, nostræ, ceu diximus, subinde consulit imbecillitati, instar puerorum habentibus, qui promissis, ut pergant recte uiuendo, pelliciuntur, sapius etiam minis in officio continentur.

Ego sum α & ω , primus & nouissimus, principium & finis.] His uerbis iam aliquoties repetitis, sempiternam in Christo homine diuinitatē nobis nō tam insinuat, quā uel maxime inculcat. Ante quem, iuxta prophetam Esa. cap. 43. non est formatus deus, & post quem non erit, qui omnibus essendi est initium, & consummationis finis.

Beati qui seruant mandata illius, ut sit potestas eorum in ligno uitæ.] Mandata illius grauiā non sunt, ipso porrigente manum qui iubet, & spiritum inhortatorem & agitorem suppeditante, qui de nō uolente uolentem reddit, qui & magnitudinem futurorum bonorum nobis ob oculos ponit, quo neglectis presentibus & perituris bonis, ad æterna continue anhelemus. Id quod hoc loco huiusmodi uerbis exprimit, Vt sit potestas eorum in ligno uitæ, & per portas ingrediendi ciuitatem.

Foris autem canes & uenefici, & impudici, & homi.] Canes uocat Iracundos contra ueritatem dei oblatrantes, ac seruos dei morsibus impetentes. Veneficos, qui magicis artibus dediti, falsis cum prophetijs tum miraculis indoctos principes dementant. Impudicos, adulteros, hoc est alieni thori inuafores, scortatores, incestos, uirginum stupratores, & Sodomorum instar prepostera Venere abutenes: quales sunt hodie Romanæ castitatis iactatores, nostri cœlibes, nempe clerici & religiosuli. Homicidæ, maxime prophetarum atq; eorum qui corruptissimos clericorum ac monachorum mores suggillant, & ad frugē uitam adhortantur. Et idolis seruientes, quo nomine perstringit omnes illos, qui falsa & fictitia religione, præter dei institutum, deū promereri student: qualis erat olim cultus excelsorum, serpentis ænei, mactatio filiorum, atque hodie Missæ abominatio, statuarum ac diuorum cultus, peregrinatio ad Romam & sanctum Iacobū pro uenijs consequendis, & sexcenta id genus alia. Et omnis qui amat & facit mendacium: quales sunt omnes hypocritæ, sanctimoniam uitæ in speciem præ se ferentes, & qui falsa scripturarum interpretatione ac mendacibus signis fictitiæ religioni patrocinantur. Præterea qui uerbi dei ministris criminum notas inurunt, quo illis docendi auctoritatem adimant, & contiones illorum de ueritate suspectas, ac creditu indignas reddant, ut ipsi interim licentius in fastu suo, quæstu, & luxu pergant. Porro Emphasim habet uerbū Amat. Plus namq; est amare, q̄ simpliciter facere mēdacium.

Ego Iesus misi angelum meum.] Adseueratio est quo magis animum admoveant, & fidem habeant huic prophetiæ auditores Christiani.

Ego sum genus & radix Dauid.] Nimirum in quo & per quem uniuersæ omnino promissiones adimplentur. Porro radix Dauid, est Christus iuxta naturam uerbi; germen uero Dauid, iuxta hominem assumptum.

Stella splendida & matutina.] Quæ noctem ignorantia & cunctorum errorum finit, diem gratiæ atq; salutis adducit.

Et spiritus & sponsus dicunt ueni.] Spiritus in electis sponsi orat iungi amplexibus, Roma. 8. cap. Itidem & ipsa quoq; sponsa in spiritu continue orat. Nam

de nuptiarum sponsi Christi & sponsæ suæ Ecclesiæ hic agitur amplexibus, ut & in Canticis canticorum prædicatur.

Et qui audit,] Hoc est qui mente credit hanc prophetiam per Christum fore adimplendam, ingenti animi desiderio dicat:

Veni,] Hoc est, precetur ut suum acceleret aduentum, quo liberentur electi, & cupitis fruantur amplexibus.

Et qui sitit ueniat, & qui uult accipiat aquam uitæ gratis,] Non quod sit uolentis aut currentis, sed ille qui inuitat ad uitæ aquas, etiam sitis indit ardorem, animum & uires suppeditat ut ueniamus, quo omnis gloria ad ipsum redeat, non penes nos resideat, Aspexit uero ad cap. Esa. 55. quod etiam Christus adspexit Iohannis 7. Vides etiam rursus hoc loco, aduersus operum ac meritorum iactatores, gratiam dei commendari, Accipiat, inquit, aquam uitæ gratis.

Contestor enim omni audienti uerba prophetiæ huius, Si quis ap,] Falsarijs hoc imprecatur, quorum tum plures erant, ut uel ex 2. Tessa. liquet. Similè ferme contestationem fecisse Ireneum, Lugdunensis ecclesiæ antistitem, in libro de Ogdoadis, testis est Euseb. lib. 5. Ecclesiastica historia cap. 20. cuius uerba supra in præmio ad lectorem recensuimus.

Dicit qui testimonium istorum perhibet, Etiam uenio cito,] Etiam confirmantis est. Videtur igitur Iohannes inducere dominum Iesum, qui testimonium eorum quæ Iohannes scribit perhibet, precationi suæ subscribentem & ratificantem dicendo, Etiam, siue fiat, Venio cito: nimirum pios à malorum erepturus calumnijs, impijsq; suæ perfidiæ redditurus supplicia.

Amen, etiam, Veni domine Iesu,] Amen similiter optantis ac ratum habentis est, quemadmodum uidere est in Psalmis, in Canticis, & Precationibus. Optat namq; Iohannes unà cum pijs, siue Ecclesiæ nomine, aduentum Iesu.

Gratia domini Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen,] Apostolica saluatio est, quam scriptis suis & præmittere & subiungere consueuerunt, quemadmodum ferè in omnibus epistolis apostolicis est cernere. Siquidem sola domini Iesu Christi gratia salus cõtingit credentibus. Hanc unã igitur omnibus optant. Quam & ego Ihs qui has nostras cogitationes, quales quales fuerint, boni consulentes legerint uel audierint, ad laudem omnipotentis dei, & domini seruatoris Iesu ex corde opto.

FINIS.

D. SEBASTIANVS MEYER

AD LECTOREM.

HAec sunt charissime Lector, quæ mihi in Apocalypsim notatu digna uisa sunt. Ea mihi ipsi, memoriæ consulturus, conscripseram; fieri tamen potest, ut ad aliorum quoque manus sint peruentura. Qualiæcunque igitur fuerint, certiora tamen sunt, & quæ tutius sequi possis, quæ ea quæ multi cum ex ueteribus tum ex recentioribus scripta reliquerunt, id quod citra iactantiam polliceri audeo. Verum tuum interim esto iudicium, quæ ubi diligenter expendis, ac uera probaueris, deum pro suo munere tecum collaudabis. Sin uero minus prophetae sensum me assequutum deprehenderit, id quod ingenuè quidem fateor, haud uno in loco pro rei difficultate ac temporum ratione, mihi quoque cum alijs commune esse, quando adhuc multa futuris temporibus complenda restare dubium non est, de quibus subinde ipsa posteritas iudicabit, ueniam temeritati meæ à Christo seruatore precaberis. Veteres autem in exponendo Apocalypsim, non potuisse uidere Antichristum ex ipso Ecclesiastico ordine proditurum esse, adeoque non potuisse illum agnoscere, ubi iam non nihil caput exporrigere cœpisset, in causa fuit, quod nondum ad tam apertam à Christi & apostolicis institutis uentum esset defectionem, uigente adhuc apud illos uitæ quadam sanctimonia ac specie honestatis. Quamquam etiam Hieronymus suo tempore queritur de Pharisæico Romanæ Ecclesiæ senatu, in præfatione libri Didimi de spiritu sancto. Iridem & Augustinus suis temporibus queritur ecclesiasticorum quorundam præsumptionem eò processisse, ut Christi Ecclesiam, quam liberam esse uoluit, seruilibus oneribus premerent, adeo ut tolerabilior fuerit olim Iudeorum cōditio, quod legalibus tantum sarcinis, non etiã humanis præsumptionibus subijcerentur. Lege epistolam eius ad Ianuarium, quæ est 119. Posteriores uero cum iam ad apertam defectionem uentum esset, uel animum non satis aduerterunt, aut, quod equidem magis crediderim, pro dignitatibus ac beneficijs consequendis Romano pontifici adulati sunt, aut metu poenarum cohibiti, quod animo sentiebant haud prodiderunt. Quamquam etiam illorum temporibus pauci quidam fuerunt, qui zelo ueritatis adacti, aduersus Rom. curiæ abusus, magna animi cōstantia inuecti sunt: de quibus supra in expositione mentionem fecimus. Porro qui nostris temporibus scripserunt, omnia ferè ad nostra tempora, personas, & facta aduersus Rom. pontificem adeoque aduersus Ecclesiasticos detorquent. Nos quoad potuimus, mediã uiam sequuti, malorum cum pontificum tum ecclesiasticorum mores, tyrannidem, imposturas, quæstum, luxum, fastum, impietatem, abominationesque taxauimus. Et ea quæ hic dicuntur, ad nostrorum temporum mores quadrare ostendimus, non negantes interim, ad alia quoque sæcula cum præcedentium tum sequentium temporum referri. Quemadmodum & Christus & apostoli, prophetarum dicta, suorum temporum moribus accommodant. Scias deinde optime Lector, mihi accidisse id quod plarumque studentibus breuitati usu uenire solet; nimirum ut inde factus sit sermo obscurior. Deinde ut scripturas indicauerimus magis quam citauerimus; quas oro diligenter consulas, tecumque expendas, an proposito loco seruiant, nec ne. Scias quoque nos Psalmos iuxta Hebræorum numerum adduxisse, ne tibi & hoc errorem pariat. Præterea eodem breuitatis studio factum est, ut autores quos in hoc libro exponendo consului, nominatim non adduxerim, nisi rarissime. Sunt autem illi, in primis diuus Augustinus ille, Beda Venerabilis, Albertus magnus, Nicolaus de Lyra,

A D L E C T O R E M

Rupertus Tuitiensis, Dionysius Carthusianus, Iohannes quidam Viterbiensis. Scripsit & Haymo in hunc librum, item Iohannes Hussz, & ut audio Franciscus Lamberti Auinionensis. Verum hos tres ego non uidi, quos Lector poterit consuleri, & cum nostris conferre. Præterea & alios quosdam, qui aliud quiddam agentes, in locos huius libri inciderunt: eosque quoquo pacto explicarunt, nonnunquam ubi ad rem facere uisi sunt, imitati sumus, quos si quis diligenter euoluerit, & hæc nostra legerit, facile deprehendet. Postremo in insectando pestilentes Romanæ curiæ abusus, partim autoribus Bernhardo Clareuallensi, Iohanne Salesbariensi, Vbertino de Cafali, Gersone Parisiensi, Michaële de Cesena, Gulielmo de Octam minoritis, Petro de Aliaco Cameracensi, Francisco Petrarca, Nicolao Clemāgis, Enea Syluio in actis concilij Basiliensi, alijsque, quibus dolebat dum uiuerent Ecclesiā Christi ita prostitui, uisi sumus. Partim uero experientia & facti euidentia nos docuit. Tui candoris fuerit omnia boni consulere, errata castigare, & talem te per omnia in nostris exhibere scriptis, quales alios in tuis optares. Vale.

NUNC sub finem uideo mihi restare potissimum tria aduersariorum argumenta, ad que necesse sit respondere, ut Lector in promptu habeat, quibus ora illis obstruat. Primum uidemur aduersarijs egregie ineptire, quando sanctissimum illum beatissimumque patrem, Pontificem maximum ac Christi uicarium, quem summi quoque orbis principes suspiciunt, ad sanctos illius pedes procumbentes, illos deosculando, & ut in summa dicam, quo totus orbis Christianus nihil habet admirabilius, ac maiori dignum ueneratione, ego audeam Antichristum facere. Deinde tantum non insanire illis uidemur, quod id huius præcipue libri autoritate tenemus. Tertio quod cum negari non possit aliquot optimos fuisse Pontifices, atque etiā hodie bonos reperiri posse, ego audeam huiusmodi Antichristos compellare.

AD PRIMVM istorum responde, Ex fructu, iuxta Christi sententiam, arborem cognosci, bona ne sit an mala, neque posse arborem bonam fructus malos facere. Quemcumque igitur uideris Antichristi fructus proferre, eum ne dubita Antichristum esse, siue is Romanus, siue Alexandrinus fuerit Pontifex, siue quispiam alius. Sic non dubitauit Iohannes apostolus, suorum temporum pseudoapostolos, Hebionem, Cherintum, eiusdemque farinae homines, qui ne millesimam quidem Antichristianæ perfidiæ & abominationum portionem attigerant, Antichristos uocare. Nunc, inquit, Antichristi multi facti sunt. Porro fructus Antichristi est, uerbo & facto negare Iesum esse Christum. Quicumque igitur hoc negat, is tibi certo certius Antichristus est habendus. Negat autem hoc quicumque remissionem peccatorum, adeoque solidam iustitiam atque salutem, alia uia, quam per unum mediatorem Iesum Christum esse querenda, docet. Iam id docet Romanus Pontifex cum suis sacrificiis, quando per fictitium Missæ sacrificium, ac Romanas indulgentias ueniam peccatorum adeoque iustitiam & salutem pollicetur, negat ergo Iesum esse Christum. Præterea quando in aperto est, Romanum pontificem ea per omnem uitam agere, que in scripturis sanctis de Antichristo secundum omnes catholicos expositores prædicta sunt. Quid igitur dubitamus ipsum Antichristum esse? Ea uero sunt,

1. Primum non ex Iudæis aut idololatri gentibus, sed ex Christianis fore Antichristum. Matth. 24. Surgent pseudoprophetae, &c. Item Iohan. 5. Alius ueniet in nomine meo. Item 1. Iohan. 2. E nobis exierunt, &c. Et 2. Theff. 2. Ita ut in templo dei sedeat, & cæt. Et Act. 20. Ex uobis ipsis exurgent uiri loquentes peruersa. Item 2. Pet. 2. Inter uos erunt falsi doctores, qui iuxta inducēt sectas perniciosas.

Deinde

2 Deinde non ex claro stemmate aut regia stirpe, sed prorsus humili ac despiciabili conditione, in summum dignitatis fastigium euasurum. Danielis 7. Cornu paruulum, &c.

3 Iam non ex prophanis, sed ex ijs qui summam pietatis perfectionem iactitant, proditurum. Danielis 7. Cornu quod habebat oculos, &c. Zachar. 11. Pastor stultus. Item, Abominatio erecta in loco sancto. Matth. 24. In templo dei seder. 2. Thessa. 2. Item, Prohibentes nubere. 1. Timothei ca. 4. Et duo cornua similia agni.

4 Præterea non esse unum aliquem hominem Antichristum, sed tyrannidem plurimorum per successionem, Dan. 7. cap. & Apoc. 17.

5 Item non cognosci eum, etiam ubi iam rerum potitur, donec diuinitus fuerit reuelatus, 2. Thess. 2. cap.

6 Adde tum maxime sæuiturum aduersus pios, ubi agnitus fuerit, Ezech. 38. Dan. 11. Zacha. ult. Apoc. 20.

7 Demum non ullis humanis uiribus, sed spiritu oris Christi interimendum Antichristum, adeoque infœliciter res à nonnullis Cæsaribus tentata hactenus. Non igitur fauor, quod iactitant, sed magna ira dei est in Papistas, quod nihil hactenus promouerunt, qui Romanam curiam reformare siue in ordinem cogere attentarunt. Ezech. 38. Dan. 8. & 12. Zach. ult. & Apoc. 19. cap.

8 Postremo fictitia religione ac splendido quodam externo cultu, Christiani orbis principes cum omni populo in suas leges pellecturum, ac prospere quæcumque uolet acturum, opibus ac delitijs mundi uniuersis potiturum, & in summa deum quendam sese iactaturū, trœulentissimeq; in eos, qui uel modice illi contradicuri sint, sæuiturum. Quæ omnia haud minus in Romanum pontificem, quam in Mahumetem impurum quadrare, in confesso est. Non igitur nos illi iniuriam facimus, ipsum appellando Antichristum, sed ipse sibi facit iniuriam, Antichristum sese exhibendo.

AD SECVNDVM argumentum, nimirum de huius libri autoritate, quanq̃ satis dictum est supra in proœmio, tamen et hoc loco dupliciter responderi potest. Primum, quando ipsi autoritatem huius libri sacrosanctam habent, qua etiam in sacra (ut uocant) Missa utuntur, nēpe in festiuitatibus sancti Michaëlis, omnium sanctorum, & in animarum exequijs, Innocentum, ac dedicatione templi. Cur nos illa aduersus ipsos non uteremur, etiamsi apud nos minus haberet ponderis? Siquidem recte usus fuit Dauides gladio ipsius Goliath, quo & ipsum confodit. Deinde quando ipsi aduersarij sibi permittunt, nedum huius, sed etiam longè minoris, imò nullius autoritatis libris aduersus nos uti, nempe Theolesphori Heremita, Methodij, Merlini, Abbatis Ioachimi, Dandali, Vincentij monachi, Lolhardi, Brigittæ, Hildegardis monialis sancti Rudberti, Catharinæ Senensis prædicatorij ordinis, & quorū tandem non: ut nos (qui hac tempestate prædicamus euangelium) apud orbis principes ac magistratus traducant, eisq; persuadeant, nos falsos illos esse prophetas, per quos fides Christi subuertenda, ac maximæ calamitates Ecclesiæ dei intentandæ sint, de quibus illi spiritu prophetico prædixerint. Cur igitur nos non eodem iure huius libri autoritate aduersus eos uteremur?

AD TERTIVM respondendum, à Bonifacio tertio eius nominis Romano pōtifice, qui primatum à Phoca Cæsare super omnes orbis Ecclesias obtinuit, uix quempiam bonum fuisse repertum Pontificem. Ab eo namq; tempore cœpit malis artibus, uī atq; armis, pecuniā, astu ac dolo quæri pontificatus: inuenta est uia, ne amplius ad Cæsaris uotum deligeretur Pontifex, sed contra ad Pontificis uotum Cæsar inauguraretur. Inde cœperunt Pontifices sacra diuendere, belligera

ri, satrapas ac planè tyrannos agere. Ut ut uero adpareat aliquos Pontifices interim bonos quidem fuisse uiros, non tamen ideo donandum est, bonos illos fuisse Pontifices, quando ne in animum quidem receperunt, ut fictitia adeoque impia aboleretur religio, ut tyrannidem ponerent, ut cupiditati habendi sinem facerent, ut rempub. Christianam ad primæuæ nimirum apostolicæ institutionis simplicitatem reducerent. Id quod bonorum Pontificum munus fuerat. Verum illi nihil horum, quin contra, quo meliores uisi sunt, hoc magis primatum & Ius, quod uocant, Romanæ Ecclesiæ mordicus tutati sunt, eoq; magis impietatis cultum auxerunt. Alius stationes urbis instituit, Alius Iubileum & ueniarum nundinas adinuenit. Quidam, oblata pecunia, demortuos retulerunt in diuos. Alij diuis solennes dies decreuerunt. Nonnulli nouas religiones monachorum excogitarunt. Fuerunt qui sanxerunt, ut perpetuo lampades in templis arderent. Demum etiam qui Letanias siue processiones cum eucharistia, & id genus alia addiderunt. Quæ quid quæso aliud sunt, quàm uanissimæ quædã superstitiones & Antichristi opera? Et talia plarumq; sunt eorum, qui uulgò optimi putantur Pontifices.

FINIS.

ERRATA.

Huiusmodi, aliquoties loco Huius ponendum.


Folio 17. linea 14. lege prosperis.

Fol. 23. facie post. sub calcem lege Germanæ ciuitatis.

Fol. 37. linea 8. lege fictis.

Fol. 82. facie post. linea penultima, præfigendus numerus 13. dict. Quæ.


Cætera nonnulla æquus Lector facile restituet.



A 23063 n

Asplenium 711

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side]



BOEKBINDERIJ
OELLERS
VALKENBURG

